Digitized by Google

A. Tab.ª IV. n.° [illegible]



31
4 E
22


VITÆ
D AURELII
AUGUSTINI
LIBRI IV.
AUCTORE
R.P. IOANNE RIVIO,
S. TH. Doctore,
Ordinis Eremitarum
S. AUGUSTINI
Per Inferiorẽm Germaniam
Priore Provinciali.
ET HAC
ET ILLA.

31.4 E.22

B

VITÆ
DIVI AVRELII
AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
ET
ECCLESIÆ DOCTORIS EXIMII,

Ex Operibus eius concinnatæ, rerumq́ue ab eo geſtarum & ſcriptarum

LIBRI QVATVOR.

In quibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Africanæ, Manichæorum item, Donatiſtarum, Arianorum, Pelagianorum, aliarumq́ hæreſeon

SYNOPSIS:

Omnibus Auguſtini Libros legere & intelligere volentibus neceſſaria.

Studio & Induſtriâ Reuerend. P. IOANNIS RIVII, S. Theol. Doctoris & Profeſſoris, Ord. Eremitarum S. AVGVSTINI, per Germaniam Inferiorem Prioris Prouincialis.

ANTVERPIÆ,
Ex Officina HIERONYMI VERDVSSII 1646.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISSmo.

DOMINO,

D. IACOBO BOONEN,

ECCLESIÆ METROPOLITANÆ

MECHLINIENSIS

ARCHIEPISCOPO,

Belgicæ Primati, Regiæ Majeſt. ibidem
à Conſiliis Status, &c.

Illuſtriſsime Domine.

ETſi D. AVGVSTINVS, tum propter excellentem vitæ ſanctitatem, tum doctrinæ ac Theologicæ præſertim eminentiam, omni ſæculo & ætate apud omnes in ore & honore fuerit; hâc attamen tempeſtate non puto eſſe vllum hominem, vel tam temeriter in ſacra doctrina verſatum, vel nouorum adeò negligentem, vt non ſæpiùs ſenſerit Auguſtini nomine aures ſuas animumque pulſari. Hoc vbi primùm à ſexennio circiter, fieri cœpiſſet; dolebam ſanè (quam-

quam id ſæpe deploraueram) non exſtare conſcriptam eius vitam , aliaſque res geſtas & ſcriptas, vti tanti viri nominiſq; dignitas exigebat. Verum quidem erat hanc vitæ rerumque hiſtoriam contineri in Operibus ipſius, ab Auctore vbi occaſio tuliſſet, poſteritati commendatam ; ſed quoniam vaſta eadem ſunt & ardua, lectoreſque ſuos aliò rapiunt ; nemo obſeruabat omnia, ſed pauci pauca. Inter hos ego me fuiſſe profiteor: qui poſtquam huius Oceani profundum ingreſſus ſum, extuli quædam quæ palàm omnibus ſupernatabant, alia, quæ ſunt eruta altiùs. Neque ſum idcircò tam temerarius, vt omnia me putem expiſcatum eſſe: quin potius exiſtimem, longè plura fugiſſe ſollertiam meam, quæ repetitis fortaſſe laboribus, aut inſtituto ſpicilegio, in commune orbis vniuerſi horreum conferemus. Sciebam ex diſcipulis Auguſtini fuiſſe Poſsidium, qui Magiſtri vitam edidiſſet: ſed neque ignorabam id tum fuiſſe factum, cùm recens Viri memoria & honor, omnium animis occurſabat: vt non debuerit idcircò Poſsidius, plura quàm paucula complecti eo compendio vitæ Magiſtri, quod ſummâ fide conſcriptum poſteris reliquit. Cupidum enim plurium Lectorem, ad libros & volumina Auguſtini remittit. Igitur hic Poſsidij riuulus acceſsit ad ipſum quem adiuimus, Auguſtini fontem: hoc inquam ſimpulum, ad eius puteum. Ceteri qui pòſt

ſecuti

ſecuti ſunt, Vitæ D. Auguſtini Scriptores, ponderandi fuerunt auctoritate ſuâ & vetuſtate: vt nemo laturus ſit ægrè, ſi fontem ipſum & puteum, poſt riuulum Poſsidij & ſimpulum adeamus potiùs, quàm in lamis & ſtagnis hominum recentiorum brachia laſſando eruamus non tam gemmas, quàm ſordes. De huius ergo Hiſtoriæ fide nemo in poſterum, opinor, dubitabit. Nam quis rectiùs nouerit Auguſtinum, quàm Auguſtinus ipſe? Quis eum fideliùs expreſſerit? Si enim rerum à ſe geſtarum certiſsimus Auctor eſt Iulius Cæſar; quantò iuſtius eſt, ſe ſuaque narranti Auguſtino fidem adhibere? Huius perinde voluminibus omnibus luſtratis, quod ſparſim annotare licuit, in narrationis ordinem redegimus, adſcripto ſicuti potuimus Anni indicio, tamquam vnicâ Hiſtoriæ & rerum præteritarum face.

Porrò hic D. Auguſtinus, non tam meo, quàm ſuómet proprio vt dixi, penicillo depictus, nullius alterius pinacothecam ſpectabat quàm Tuam, Illuſtriſsime Præſul. Nam ſicuti olim in Eccleſia, Litterarum quas Formatas appellabant beneficio, inuicem communicare Epiſcopi ſolebant; & ſuæ quodammodo fidei teſtimonium in alterius animum transfundere: ita ſanè non fidei dumtaxat ſuæ, ſed doctrinæ etiam & ſententiæ præſidio, pridem ſe penetra-

netralibus animi Tui intulit Auguſtinus. Neque formidamus, vt hanc poſſeſsionem priſtinam aliquando amittat. Radices eius nimiopere veteres ſunt: & non approbas, ſcimus, eos, de quibus grauiter
l. Diuin. Lect. c. 11. Caſsiodorus: *Sunt nonnulli qui putant eſſe laudabile, ſi quid contra Antiquos ſapiant, & aliquid noui, vnde perire videantur inueniant.*

Quàm enim id præſidenter hodie fiat, non eſt opus ſcribendo aperire: quando eadem ſuperbia, quæ homines arbitrij ſui laudatores facit & æſtimatores; reddat Veterum Patrum contemtores: quorum perinde Theologicam ſcientiam habeant infra Peripateticas ſuas & profanas quiſquilias.

Iam & Epiſcopi res geſtæ, tanti equidem quantus Auguſtinus fuit, nemini quàm eiuſdem Ordinis Viro ſummo, inſcribi debuerunt: vt cum Te temporum noſtrorum ſpeculum Vitæ habemus; habeas ipſe memoriam Ante-diu-ceſſorum. Etenim in doctrinæ puritate (quod tralatitium eſt) Auguſtinum nobis aliquem repræſentas: in animi robore, per hanc temporum difficultatem, Ambroſium: in benignitate Martinum: vt quos dignitate & ætate ſequeris, porrò ſequaris imitatione virtutum.

Atque hæ cauſſæ ſunt, cur Patrocinium Tuum,

meus

meus ecce Auguſtinus imploret : neque Epiſcopus pietate & doctrinâ præcipuus, voluerit alterius, quàm vtroque hoc titulo ſpectabilis Epiſcopi, tecta ſubire. Tu eum accipe Illuſtriſsime Præſul, & tantum ex Africa hoſpitem, cordis tui beneuolo hoſpitio dignare.

Bruxellæ è Cænobio Auguſtiniano, ipſo die ſancti Pręſulis Auguſtini. 1645.

Illuſtriſsimæ & Reuerendiſſ.
Gratiæ Tuæ humilis Seruus
F. Io. RIVIVS.

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

MVlti ſunt, fateor, qui in hoc vitæ D. Aurelij Auguſtini agro ampliſſimo, eruditionis & induſtriæ ſuæ ſulcos duxerunt; ſed haud tali exiſtimo ſucceſſu, vt eruerint omnia, & ſingula. Nam ſicuti omnes non habuerunt eaſdem ſcribendi cauſſas; ita in varios ſcopos abierunt, prout ſuam quiſque controuerſiam optabat eſſe deciſam. Nos, horum nihil oculis præfiximus, ſed vnam & ſolam Hiſtoriæ veritatem: quam vt aſſequi poſſimus tantò ſiue rectiùs, ſiue certiùs; non alium ferè vitæ, rerumq́; à ſe geſtarum ſcriptarumq́; teſtem citabimus, quàm ipſummet AVGVSTINVM: *qui vti optimus; ita veriſſimus ſuiipſius ipſe pictor eſt. Non tamen præteribimus quæ illius æui, atque etiam aliorum ſequentium ſcriptores fide digni, de eo memoriæ prodiderunt, quantum propoſiti noſtri ratio permittet. Ea verò ex ipſis fontibus, in quibus reperimus, educta publicamus: neque alienis oculis alicubi lectum huc transferimus magis, quàm ſcribimus alienâ manu. Vtrumque enim, quia errori atque deceptioni obnoxium, ſtudioſè vitauimus. Vale, ác fruere.*

AD AVCTOREM
HVIVS OPERIS.

AVdebóne tuis ſecretum tradere conchis
  Aurium, ab inuidia quod procul eſſe iubet
Et candor meus, & comperta ſcientia, quam te
  Hac in materie maximam habere ſcio?
Qui Vitam AVRELI mundo hactenus AVGVSTINI,
  Conſcriptam variis exhibuere libris;
Rancida dumtaxat ſæcli monumenta nouelli,
  Somnia quæ poſſis dicere vana ſenum,
Iudicio procul, & procul omni mente dediſſe,
  Atque ipſos fontes præteriiſſe Operum:
E quibus illius certo ordine geſta decebat,
  Et ſolis, vitam mordicùs eruere.
Hinc etenim turbata fides ætatis, & Anni
  Confuſi, & vitium repſit in Hiſtoriam:
Dum quæ facta, infecta volunt: infectaque facta,
  Quod pòſt anteriùs, quod priùs vlterius.
Cæteraque in genere hoc quamplurima, quæ tuus arte
  Mirificâ in verſum protulit ecce labor.
Ceſſabunt igitur lites: AVRELIVS ipſe
  Totius vitæ teſtis & auctor adeſt.

Ludebat God. vanden Mortelle. I. C.

AD EVNDEM.

DOctrinæ en phœnix ex ſe redit AVGVSTINVS:
  Scribere vel ſcribi veriùs an potuit?

ALIVD.

E RIVO pelagus doctrinæ exundat, ab orbe
  Pelagij ſordes diluat vt reliquas.

B. A. M. G. F.

CENSVRA.

PVblico Eccleſiæ bono & eruditorum deſiderio conſulit Reuerendus admodum ac eruditiſſ. Pater IOANNES RIVIVS S. Theol. Doctor, Patrum Auguſtinianorum in Belgio Prior Prouincialis, dum in hoc ſuo libro SANCTVM AVGVSTINVM rediuiuum exhibet, non alienis coloribus ſed propriis, & ipſis penè verbis Sanctiſſimi Doctoris depictum. Non potuit Alexander niſi Apellis penicillo depingi: non potuit magnus Auguſtinus niſi ab Auguſtino, aut magno Auguſtiniano viuis coloribus delineari. Ita cenſeo hac 21. Ian. 1645. Bruxellis.

HENRICVS CALENVS *Archidiaconus Metropolitanæ Eccleſiæ Mechlinienſis ac Illuſtriſsimi Domini Archiepiſcopi Vicarius Generalis.*

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS Dei gratia Hiſpaniarum, Indiarum, &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis Librum, cui titulus eſt, *Vita* D. AVRELII AVGVSTINI *Libri IV. Auctore* R. P. IOANNE RIVIO *S. Th. Doctore Ordinis Eremitarum* S. AVGVSTINI *per Inferiorem Germaniam Priore Prouinciali*, præter HIERONYMI VERDVSSII Typographi Antuerpienſis voluntatem vllo modo imprimat, aut alibi impreſſum in Inferioris Germaniæ ditiones importet intra nouennium. Qui ſecus faxit, confiſcatione Librorum & aliâ graui pænâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 28. Martij, Anno M. DC. XLV.

ſignat

STEENHVYSE.

DIVI

VITÆ D. AVRELII AVGVSTINI

LIBER PRIMVS.

HOc primo Libro, qui propriè Auguſtinum tangit, breuiter ac ſuccinctè vitam eius exhibebimus, quam tum ante tum poſt Baptiſmum duxit: illam liberam & per varios errores ceſpitantem; hanc Monachiſmo, Presbyterio, & denique Epiſcopatu, atque interea Libris conſcriptis & editis, oppidò memorabilem: vnàque cum naturæ dotibus, gratiæ diuinæ chariſmata. Quæ deinde in Epiſcopatu ſiue pro Fidei Catholicæ contra varias Hæreſes defenſione, ſiue pro morum reſtitutione egit; tribus ſequentibus Libris prolixiùs, ac plenis, vt ita dicam, velis perſequemur.

CAPVT I.

AVGVSTINVS ANTE ET POST BAPTISMVM, VSQVE AD PRESBYTERIVM.

§. I.

Naſcitur Anno 354.

AVguſtinus natus eſt Tagaſtæ, in Prouincia Africana, Idibus Nouembris: parentibus honeſtis & Chriſtianis. *Poſſid. c.1. Aug. l.de vit. beat. & l.4. Confeſſ. c.7.* Tanta verò res tamque mirabilis, viſa ei pa-

ei natiuitas humana fuit adituſque in vitam, vt de ſuâ ſcribat: Quid volo dicere Domine Deus meus, niſi quia neſcio vnde venerim huc? in iſtam dico mortalem vitam, an mortem vitalem, neſcio. Deus enim eſt qui per parentes carnales, ex carne & in carne nos format in tempore. &c. *l.1. Conf. c.6. & l.9. c.13.*

§. II.

Auguſtini Parentes.

PAter ei PATRICIVS fuit, de numero Curialium in municipio Tagaſtenſi. *l 9. Conf. c.13. Poſſid. c.1 l.2. conf. c.3.* Per id tempus Curiales & Decuriones in municipijs vocabantur, qui Romæ & in colonijs Senatores: ideò quia curiæ officium adminiſtrabant, & procurabant munia ciuilia. Erat vir animoſus, ſed opibus tenuis: ſicuti beneuolentiâ præcipuus, ita irâ feruidus: infidelis primùm, pòſt fidelis. *l. 2. conf. c. 3. l. 9. c. 9.*

Mater MONICA, orta Chriſtianis parentibus, & educata pudicè ac ſobriè: diligentiâ potiſſimùm famulæ cuiuſdam decrepitæ, quæ patrem eius infantem portauerat, ſicut dorſo grandiuſcularum puellarum parvuli portari ſolent. *l. 9. conf. c* 8. 9. *&* 13. Vbi plenis ànnis nubilis facta eſt; tradita viro, ſeruiuit veluti domino: atque ita tolerauit cubilis iniurias, vt nullas de hac re cum marito haberet vnquam ſimultates.

Nouerat enim non reſiſtere viro irato, non facto tantùm, ſed ne verbo quidem: refracto verò & quieto, cùm opportunum videret, rationem facti ſui reddebat, ſi fortè ille inconſideratiùs commotus fuerat. Hoc quoque illi munus grande Deus donauerat, quod inter diſſidentes atque diſcordes quaſlibet animas, vbi poterat, tam ſe præbebat pacificam; vt quidquid inimicum vtrimque audiſſet, neutri parti proderet, niſi quod ad eas reconciliandas valeret. *l. 9. conf. c. 9.*

Fuit viri vnius vxor: mutuam vicem parentibus reddidit: domum ſuam piè tractauit: in operibus bonis teſtimonium habuit: nutriuit filios, toties eos parturiens, quoties à Deo deuiare cernebat. *ibid.* Quare cùm videret mortem filij, ex fide & ſpiritu quem in Deum habe-

habebat; exaudiuit eam Dominus: exaudiuit eam, nec deſpexit lacrymas eius, cùm profluentes rigarent terram ſub oculis eius, in omni loco orationis eius. Hinc illud ſomnium, quo conſolatus eſt eam, vt viuere ſecum crederet filium, & habere eandem menſam in domo. Et alterum prætcrea reſponſum, per ſacerdotem Dei Epiſcopum quemdam, & exercitatum in libris diuinis, qui affirmabat fieri non poſſe, vt filius iſtarum lacrymarum periret. *l.3.conf.c.11.& 12.*

Etenim his freta, & pietate fortis, terrâ marique filium ſecuta eſt, in periculis omnibus de Deo ſecura. Nam & per marina diſcrimina ipſos nautas conſolabatur, à quibus rudes abyſſi viatores, cùm perturbantur, conſolari ſolent, pollicens eis peruentionem cum ſalute, quia hoc ei Deus per viſum pollicitus erat. *l.6.conf.c.1.*

Filium cùm Mediolani reperiſſet, falſitati iam quidem ereptum, ſed veritatem nondum adeptum; pectore pleno fiduciæ dicebat: credere ſe in Chriſtum, quod priùs quàm de hac vita emigraret, viſura eum eſſet fidelem Catholicum: cùm neque interea ceſſaret Deo miſericordiarum preces & lacrymas denſiores fundere, vt acceleraret adiutorium ſuum, & illuminaret tenebras filij ſui, & ſtudioſiùs ad Eccleſiam curreret in Ambroſij ora ſuſpendi. *ibid.*

Conuerſationis enim erat religioſiſſimę: quâ in bonis operibus tam feruens frequentabat Eccleſiam, vt eam propterea Ambroſius diligeret, & ſæpe, cùm Auguſtinum videret, prorumperet in eius prædicationem. Vnde & ipſa, pro eo affectu quo in Ambroſium ferebatur, quem propter ſalutem filij maximè diligebat, piè & obedienter prohibitionem eius amplexa eſt, quâ vetuerat ad Memorias vel Oratoria ſanctorum (ſicuti in Africa fieri ſolebat) pultes & panem & merum adferre: tum ne vlla occaſio ſe ingurgitandi daretur ebrioſis; tum quòd illa quaſi parentalia, ſuperſtitioni gentilium eſſent ſimillima: *l 6. conf.c.2.* vel quaſi egreſſæ de corporibus animæ carnales cibos requirerent. *ſerm.15. de ſanct.*

Cumque Iuſtina, Valentiniani Regis pueri mater, Ambroſium perſequeretur, hæreſis ſuæ Arrianæ cauſa; & ob id excubaret pia plebs in Eccleſiâ, ne fortaſſe ſubitâ hæreticorum audaciâ occuparetur, mori parata cum Epiſcopo ſuo; atque ibidem ne mœroris tædio contabeſceret, ſecundùm morem Orientalium partium, cœpiſſet hymnos & pſalmos concinere; primas ibi partes tenens ſollicitudinis & vigiliarum Monica, orationibus viuebat. *l. 9. conf.c.7.* Vnde contigit poſt *v. Theodoret. l. 5. hiſt. c. 13.*

diſputationem De vita beata, vt, recognitis verbis, quæ memoriæ ipſius penitùs inhæſerant, quaſi euigilans in fidem ſuam, verſum illum Ambroſij, *Foue precantes Trinitas*, læta effuderit. *l. de vit. beat. in fin.*

Erat etiam ſerua ſeruorum Dei, id eſt, eorum qui ante dormitionem ipſius, perceptâ gratiâ Baptiſmi, in Deo conſociati vnà cum filio eius viuebant: ita curam gerens, quaſi omnes genuiſſet; atque ita ſeruiens, quaſi ab omnibus genita fuiſſet. *l. 9. conf c. 9.*

Interfuit quoque diſputationi non paruæ rei, quam Auguſtinus die ſuo Natali cum conuiuis habuit, atque in libellum contulit: in quâ, licet anteà ingenium ipſius atque in res diuinas inflammatum animum, conviĉtu diuturno & diligenti conſideratione perſpectum habuiſſe dicat; tum verò tanta mens Monicę apparuit, vt nihil aptiùs veræ Philoſophiæ crederetur. Ob quam cauſam volebat, vt neque alijs colloquiis deeſſet. *l. 2. de Ord. c. 1.* Etenim cùm de Vitâ Beatâ diſputatum eſt; ipſam prorſus arcem Philoſophiæ tenuit eius ſententia: vt ei tantummodò verba defuerint, vt non ſicuti Tullius ſeſe tum panderet. *l. de vit. beat.* Quapropter recitante verba Tullij Auguſtino, ſic Monica exclamauit, vt ij qui aderant, obliti penitus ſexus eius, magnum aliquem virum conſidere ſecum crederent: Auguſtino quantum poterat intelligente, ex quo illa, & quàm diuino fonte manarent. *eod. lib.* Iam cùm Philoſophia ſit amor ſapientiæ, quam Auguſtinus â puero vehementer amauit; teſtatur matrem ſuam non minùs eandem amaſſe: imò in eâ adeo profeciſſe; vt nec cuiuſuis incommodi fortuiti, nec ipſius mortis (quod viris doctiſſimis difficillimum eſt) horrore deterreretur: vt ob id libenter ſe illi diſcipulum tradat. *l. 1. de Ord. c. 11.*

Quæ cognitione multis quidem ardua; Monicæ tamen (cuius ingenium quotidie nouum erat, cuiuſque animum vel ætate, vel admirabili temperantiâ remotiſſimum ab omnibus nugis, & à magna labe corporis emergentem, in ſe multùm ſurrexiſſe Auguſtinus cognouerat) tam erant facilia, quàm difficilia tardiſſimis, miſerrimeque viuentibus. Quapropter eius ſermo, tametſi non careret fortaſſe locutionis & linguæ vitio; attamen contemtis iſtis vel puerilibus rebus vel non pertinentibus ad ſe, ita Grammaticæ pænè diuinam vim naturamque cognoſcebat, vt eius animam tenuiſſe, corpus reliquiſſe, diſertis videretur *l. 2. de Ord. c. 17.*

Vt ſua perinde ſuorumque vota (quibus non diuitias, vel honores, vel

vel eiuſmodi res fluxas atque nutantes, & quouis reſiſtente tranſeuntes, optabant) deuotiſſimè impleantur; maximè iniungit negotium matri: cuius precibus indubitanter credit atque confirmat, iſtam ſibi mentem Deum dediſſe, vt inueniendæ veritati nihil omninò præponat, nihil aliud velit, nihil cogitet, nihil amet. Ideòque nec deſinebat credere, hoc tantum bonum, quod matre promerente concupierant, eâdem petente adepturos. *l. 2 de Ord. c. 20.*

Ceterùm religionis in Deum, eiuſque timoris manifeſtum in Monicâ indicium fuit, quòd die quodam poſt cœnam, cùm ad requiſita naturæ foras Licentius exiuiſſet, & ad aliquem cantilenæ modum quem nuper hauſerat & amabat, vt fit, melos inuſitatum iſthic loci paullò clariùs ceciniſſet, *Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*, quàm vt ipſa ferre poſſet; obiurgauerit illum religioſiſſima femina, quòd inconueniens locus cantico eſſet. *l. 1. de Ord. c. 8.*

In Africam rediens, cùm apud Oſtia Tiberina decubuiſſet febribus, licet magnâ ſemper curâ æſtuaſſet de ſepulchro quod ſibi prouiderat & præparauerat iuxta corpus viri ſui; volens, quia valde concorditer vixerant, adiungi ad illam felicitatem, & commemorari ab hominibus, conceſſum ſibi eſſe poſt tranſmarinam peregrinationem, vt coniuncta terra ambos coniuges tegeret: illam tamen tum curam dimittens, Ponite, inquiebat, hoc corpus vbicumque: tantùm illud vos rogo, vt ad Domini Altare memineritis mei, vbi fueritis. *l. 9. conf. cap. 11.*

Ergò imminente die reſolutionis ſuæ, non cogitauit corpus ſuum ſumptuosè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit ſepulchrum patrium: ſed tantummodò deſiderauit memoriam ſui ad Altare Dei fieri, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat; vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, quâ deletum eſt chirographum quod erat contrarium nobis, & triumphatus eſt hoſtis, qui delicta noſtra computans quærit quid obijciat, nihil inueniens in eo in quo vincimus. *l. 9. conf c. 13.* Obijt nono ægritudinis ſuæ die, anno ætatis quinquageſimo ſexto: *ibid. c. 11.* Corpus ſepulturæ eo loci traditum: *ibid. c. 12.* poſteà Martino V. Summo Pontifice Romam tranſlatum, in Eccleſiâ Sancti Auguſtini honorificè conditum eſt. *Martyrol. Rom. 9. April.*

§. III.

Conſanguinei: Amici ac Diſcipuli.

FRater Auguſtini fuit NAVIGIVS: *l. de vit. beat. & l. 1. de Ord. c. 2.* LASTIDIANVS & RVSTICVS conſobrini, qui nullum vel Grammaticum paſſi ſunt: *l. de vit. beat.* PATRICIVS ſubdiaconus, nepos: *ſerm. 50. de diuers.* Fuit & illi germana ſoror quæ vidua Deo ſeruiens, multo tempore vſque in diem obitûs, præpoſita ancillarum Dei vixit *Poſſid. c. 26. Aug. Epiſt.* 109. Neptes denique ex patruo & fratre, quæ pariter Deo ſeruiebant. *Poſſid. ibid.*

Filium habuit ex ſe natum carnaliter, nomine ADEODATVM: qui cùm eſſet annorum quindecim, ingenio præueniebat multos graues & doctos viros: *l. 9. conf. c. 6.* & magnum quiddam pollicebatur: *l. de vit. beat.* tantis nimirum à Deo gratijs inſtructus, vt in eo præter peccatum, ſuum nihil ipſe parens agnoſceret. *l. 9. conf. c. 6.* Cum Auguſtino loquitur in libro De Magiſtro: ſuntque illius ſenſa omnia, quæ ibi ex perſona collocutoris inſeruntur: & quia multa alia eius mirabiliora expertus fuerat; horrori ſibi fuiſſe illud ingenium ait *ibid.* Obijt baptizatus in adoleſcentia: ſecuriorque ob id eius meminiſſe pater ſolebat, non timens quidquam pueritiæ, nec adoleſcentiæ, nec omninò homini illi. *ibid.*

Inter Auditores, primùm Tagaſtæ, deinde Carthagine ALIPIVS fuit, ex eodem quo ipſe ortus municipio, parentibus primatibus, minor eo natu: quem dilexit propter magnam virtutis indolem, quæ in non magna ætate ſatis eminebat: *l. 6. conf. c. 7.* Alioquin & corpore ſatis paruo fuiſſe oſtẽdit, vbi ait: Quaſi verò longum aliquid nos quæramus, præſertim aduerſus Alipium: nam non mediocriter parua iſta eſſe fortia & vtilia, ſatis ipſe de ſuo corpore argumentaretur. *l. de vit. beat.* Quã ob cauſſam (dum contẽptim de Alipio iam Epiſcopo loquitur) Vernulam peccatorum Auguſtini, Iulianus diminutiuo vocabulo pôſt nuncupauit. *l. 1. op. imp. c. 8.* Mirum verò quàm huic Alipio conueniãt, quæ habet Eunapius de alio quodam Alypio Alexandrino, quod corporis modum & ingenium vtriuſque attinet, Eunapij verba ſunt: Aetate Iamblichi vixit Alypius, in Dialecticis exercitatiſſimus, corpuſculo exiguo admodum paulloque quàm cubitali, aut pygmæi maio-

maiore, quod intuenti videri poterat anima, ſpiritusue eſſe: vſque adeo quod corruptioni obnoxium erat, nihil adoleſcebat, ſed in diuinam quamdam naturam conſumebatur. Vt igitur magnus ille Plato, diuina corpora ait eſſe diuerſa ab ijs quæ ſunt animo circumfuſa; ita dixerit non abſurdè aliquis, etiam illum in animam immigraſſe, à quâ detineatur poſſideaturque velut à Deo. *ita Eunap.*

Hunc Auguſtinus Carthagine abduxit ab inſaniâ Circenſium, nè vanorum ludorum præcipiti ſtudio tam bonum interimeret ingenium. *l. 6. conf. c.* 7. ibidemque ab æditûis fori comprehenſum, tamquam furem, narrat *cap.* 9. Auguſtino priùs Romam profectus, vt Ius diſceret; iterum amicorum artificio capitur inſaniâ Ludorum gladiatoriorum, à quibus antea abhorruerat. *ibid. c.* 9. Et factus Aſſeſſor Comitis Largitionum Italicarum, rigorē Legum ſuſtinuit fortiter: nullius potentiam aut minas vti veritus, ita clauſus muneribus. *eod. l. c.* 10. Igitur Manichææ ſuperſtitionis cùm eſſet, *ibid. c.* 7. Romæ repertus, adhæſit Auguſtino fortiſſimo vinculo, vnàque Mediolanum profectus eſt, vbi & aliquid de Iure egit, & aſſedit ceteris mirabili continentiâ. *ibid. c.* 10. Nutabat cum Auguſtino in conſilio, Quiſnam eſſet tenendus vitæ modus? *ibid.* cumque eſſet per id tempus caſtiſſimus, & viueret continentiſſimè; prohibebat eum ab vxore ducendâ, tamquam certo inquirendæ Sapientiæ impedimento. *eod. l. c.* 12.

De Perſona Chriſti, ante conuerſionem (vti & Auguſtinus ipſe) perperam ſentiebat. Hic enim Chriſtum, non perſonâ Veritatis; ſed magnâ quâdam naturæ humanæ excellentiâ, & perfectiore participatione ſapientiæ præferri ceteris arbitrabatur: Alipius autem, Deum carne indutum ita putabat credi à Catholicis; vt, præter Deum & carnem, non eſſet in Chriſto anima mentemque hominis non exiſtimaret in eo prædicari. de quo errore videri poteſt, *l. de Agone Chriſt. c.* 21. Quamobrem pigriùs mouebatur ad Chriſtianam fidem: cùm videret ea quæ de Chriſto memoriæ mandata ſunt, ſine vitali & rationali creatura fieri non poſſe. Sed poſtea hæreticorum Appollinariſtarum hunc errorem eſſe cognoſcens, fidei Catholicæ contemperatus eſt. *l.* 7. *conf. c.* 19.

Réuerſus in Africam, priùs Auguſtino Epiſcopus creatus eſt patriæ Eccleſiæ Tagaſtenſis. Eam ob cauſſam nominari antè ſolet, *Epiſt.* 24. 36. 92. 95. 96. 145. 241. Attamen nondum ad hanc dignitatem erat

 aſſump-

aſſumptus, cùm Hieroſolymam profectus, ibidem Hieronymo innotuit, *Epiſt.* 8. (quem perinde Hieronymus amanter ſalutat, *Epiſt.* 18. *&* 26. *apud Auguſt.*) ac deinde in reditu Paullino Nolæ agenti: quem in Auguſtini amicitiam, virtutis commendatione intulit, *Epiſt* 31. Doctrinâ, ſanctitate, & legationibus obitis clarus, ad extremum Senex ſiue Primas Epiſcoporum Numidiæ fuit *Epiſt.* 67. & poſt mortem faſtis Eccleſiaſticis adſcriptus, 15. *Auguſti.*

Sequitur NEBRIDIVS: qui relictâ patriâ vicinâ Carthagini, atque ipſâ Carthagine vbi frequentiſſimus erat, relicto rure paterno optimo, relictâ domo, & non ſecuturâ matre; nullum ob aliam cauſſam Mediolanum venerat, niſi vt cum Auguſtino viueret in flagrantiſſimo ſtudio veritatis atque ſapientiæ. Vnde pariter ſuſpirabat, pariterque fluctuabat, beatæ vitæ inquiſitor ardens, & quæſtionum difficillimarum (vt patet *Epiſt.* 268. alijſque) ſcrutator acerrimus. *l. 6. conf. c.* 10. Ideoque valde oderat de quæſtione magnâ reſponſionem breuem: *Epiſt* 23. tantoque erant ei gratiores, quantò loquaciores paginæ. *Epiſt.* 72.

Cum his duobus vehementer anhelauit Auguſtinus ante conuerſionem, ad virtutem & ſapientiam: quam tum apprehendere non poterant; ſed neque tamen in ſæcularibus actibus ſuis reperire placidam quietem. Vnde repetebant cum gemitu: Quamdiu hæc? *l 6. conf. c.* 10. Cum iiſdem diſputabat de Finibus bonorum & malorum: ſcribitque Epicurum accepturum fuiſſe palmam in animo ſuo, niſi credidiſſet poſt mortem reſtare animæ vitam, & tractus meritorum: quod Epicurus credere noluit, ipſe verò ſemper credidit. *l.6. conf. c.* 16.

Interea verò dum Mediolani omnes obhærent, Nebridius, vt ſubdoceret VERECVNDO (ciui & grammatico Mediolanenſi, omnium ipſorum familiariſſimo, vehementer & deſideranti & familiaritatis iure flagitanti ex eorum numero fidele adiutoriũ, quo indigebat nimis) vt, inquam, huic ſubdoceret Nebridius, ceterorum amicitię ceſſit: cùm petitionem omnium contẽnere nollet, amicus dulciſſimus & mitiſſimus. *l.8. conf. c.* 6. Sed nondum erat Chriſtianus, quando in foueam pernicioſiſſimi erroris incidit, vt carnem Chriſti phantaſma crederet. de quo vide *l. de Agon. Chriſt c.* 22. Sed emerſit, & non multò poſt Auguſtini ſuamque conuerſionem & regenerationem per Baptiſmum, iam fidelis Catholicus, caſtitate perfectâ atque continentiâ Deo ſeruiens, in Africa apud ſuos (cùm tota domus eius per eum

Chriſtia-

na facta eſſet) carne ſolutus eſt. *l. 9. conf. c. 3.*

TRIGETIVS deinde, ciuis etiam Tagaſtenſis, *l. de vit. beat.* quem adoleſcentem, quaſi ad detergendum faſtidium diſciplinarum, aliquantum ſibi militia vſurpauit; ſed magnarum honeſtarumque artium ardentiſſimum edaciſsimumque reſtituit. *l. 1. cont. Acad. c. 1.* Quo poſtremo vocabulo, notat Trigetij edacitatem, qui alibi de ſe ipſe quærit: Cur non pro edacitate ſua creuerit? *l. de vit. beat.*

Denique LICENTIVS: qui, ſicuti Trigetius, ſummo loco natus, *l. 1. de Ord. c. 11.* ciuis item Tagaſtenſis, *l. de vit. beat.* filius Romaniani, mœcenatis Auguſtini, *l. 1. cont. Acad. c. 1. & 9. & l. 2. c. 3. & 7.* ad Philoſophiam totus à iuuenilibus illecebris, voluptatibuſque conuerſus: ita vt eum non temerè audeat patri imitandum proponere. *l. 1. cont. Academ. c. 1.* Hoſce enim duos, Trigetium Licentiumque, Hortenſius, liber Ciceronis, iam magna ex parte conciliaſſe Philoſophiæ videbatur. *Ibid.* Aliquid interim puerile vtriuſque, vehementi obiurgatione caſtigat: neque aliam ab illis mercedem poſcit, quàm vt boni ſint. *l. 1. de Ord. c. 10.* Ceterùm Licentius (quem Poëtam penè perfectum eſſe, ait *l. 2. cont. Acad. c. 3.*) Poëſi verſibuſque vti deditus erat; ita delectabatur: *l. 2. cont. Academ. c. 4. & l. 3. c. 2. & l. 1. de Ord. c. 3.* Exſtat eius non inelegans poëma ad Auguſtinum *Epiſt.* 39. quâ illum Romæ agentem, & ſectantem mundi militiæque vana, hortatur Auguſtinus ad eorundem contemtum.

Aliorum amicorum ipſius, pro re natâ meminerimus: quorum tantus erat, amicitiæque æſtimator; vt ſine amicis, viſus ſibi fuerit beatus eſſe non poſſe: etiam tum, cùm in affluentiâ carnaliũ voluptatum, beatitudinem falsò collocaret. Quos vtique gratis diligebat: viciſſimque ab eis ſe diligi gratis ſentiebat: *l. 6. conf. c. 16.* magno Sanè bonæ mentis indicio.

Magiſtrum ſibi fuiſſe Democratem (Carthagine opinor in Rhetoricis) ipſe teſtatur, *lib. Rhetor. c. 8.*

§. IV.

Scholas puer frequentat.

AB ipſa pueritiâ, cùm memoria ei vel ingenium, pro ætatulâ non deeſſent, ſcholam frequentare cogitur: tametſi litteras, eas præ-

ſertim, quas primi magiſtri tradere ſolent, non amaret: *l.1. conf.c.9. 12. & 13.* ſed magis pilæ luſum, falſaſque fabellas: eo fine, vt quas ſemel audierat, curioſiùs porrò ſpectaret in Ludis.*eod.l.c.10.* Atqui ad diſcendum vrgebatur à parentibus: quorum vterque eum litteras noſſe, nimis optabat.*eod.l.c.10.& 12. & l.2.c.3.*

Eo tempore edoctus eſt, Deum eſſe magnum aliquem: qui poſſet etiam humanis ſenſibus non apparens, homines exaudire, iiſque ſubuenire. Vnde rogare Deum cœpit, etſi paruus, non paruo affectu, nè in ſcholâ vapularet. *l. 1. conf. c. 9.* Audierat & nonnulla de doctrinâ Chriſti: atque inſtructus erat à matre, ſignare ſe ſigno Crucis: adeò vt quodam die preſſus ſtomachi dolore adhuc puer, cùm repentè æſtuaret penè moriturus; piè inſtanterque flagitauerit Baptiſmum: qui, cùm recreatus mox eſſet, dilatus fuit: quod improbat *l. 1. conf. cap.11.*

Atque hinc veram Religionem ſibi à parentibus puerulo inſitam fuiſſe, non ſemel ait *l. de vtil.cred. c.1. & l.de duab. anim. c. 1.* Imò loco cit. Confeſſionum, ita loquitur: Ita iam credebam, & illa [mater] & omnis domus, niſi pater ſolus: qui tamen non euicit in me ius maternæ pietatis, quò minùs in Chriſtum crederem, ſicut ille nondum crediderat. *l.1.conf.c.11.*

Græcas litteras peculiari inſtinctu oderat: nec non eas, vbi legere & ſcribere & numerare diſcitur: ſed Latinas, quas Grammatici docent (quibus tradebantur errores Æneæ, & mors Didonis, quæ ſe amoris impotentiâ occidit) adamauit. Talis quippe dementia, honeſtiores, & vberiores litteræ putabantur, quàm illæ, quibus legere & ſcribere didicit. Iam verò, Vnum & vnum, duo; Duo & duo, quatuor; odioſa illi cantio erat: & dulciſſimum ſpectaculum vanitatis, Equus ligneus plenus armatis: & Troiæ incendium, atque ipſius vmbra Creüſæ. *l.1 conf c.13.*

Et quamuis eiuſcemodi fabellæ contineantur etiam Grammaticâ Græcâ; erat tamen ipſi puero amarus Homerus: fortè ideo, quòd nulla vocabula Græca noſſet; & ſæuis inſtaretur terroribus, vt noſſet: Latinam verò didiciſſet, ſine vllo cruciatu ac metu, inter blandimēta nutricum, & ioca arridentium, & lætitias alludentium.*l.1.conf.c.14.*

In Litterarum ſtudio vtiliter profecit: & quia laſciuas etiam fabulas de Ioue tonante & adulterante, &c. libenter addidicit, eiſque delectabatur; ob hoc bonæ ſpei puer appellabatur. *eod. l. c. 15. & 16.* Quapropter præmio laudis & dedecoris, vel plagarum metu, iubebatur

batur ſolutâ oratione dicere Iunonem dolentem , quòd non poſſet Italiâ Teucrorum avertere Regem, ſicut eam Poëta verſibus cecinerat. In quo argumento , acclamatum ei fuit præ multis coætaneis & conlectoribus ipſius. *ibid.c.*17.

Talibus ingenij exercitationibus, efficiebatur vanus : præſertim cùm barbariſmus aut ſolœciſmus magis offenderet; quàm propriæ libidinis, integris & ritè conſequentibus verbis ornata recitatio. *eod. l.c.*18. Deinde, etiam vitioſus: fallendo ſcilicet innumerabilibus mendacijs pædagogum , & magiſtros, & parentes, amore ludendi, ſtudio ſpectandi nugatoria & imitandi, ludicrâ inquietudine. Adhæc furta faciendo de cellario parentum & menſâ : idque vel gulâ imperante; vel vt haberet quod daret pueris, ludum ſuum , quamuis eo pariter delectarentur, tamen vendentibus. In quibus ludis, cupiditate vanæ excellentiæ, aucupabatur fraudulentas victorias: nihil denique minus pati poterat, quàm faciebat ipſe alijs. *eod.l.c.*19.

In tantillâ ætate curæ habebat incolumitatem ſuam, veluti rem diuinam: cuſtodiebat integritatem ſenſuum ſuorum: inque ipſis paruis, paruarumque rerum cogitationibus, veritate delectabatur : falli nolebat : memoriâ vigebat : amicitiâ mulcebatur : fugiebat dolorem, abiectionem, ignorantiam. *ibid.c.*20.

Non tantùm in patriâ, ſed & Madauris vrbe vicinâ , litteraturæ, præſertim Oratoriæ percipiendæ, operam dedit : vnde Tagaſtam reductus eſt, ſub annum decimumſextum ætatis. *l.2.conf.c.*3.

§. V.

Vacat Otio & vitijs.

TOto hoc anno ſtudia intermiſit , dum longinquioris apud Carthaginem peregrinationis ſumtus præparabantur , animoſitate Anno.
magis quàm opibus patris, municipis Tagaſtenſis admodum tenuis. 370.
ibid. Ergò ex neceſſitate domeſticâ, feriatus ab omni ſchola, dum cum parentibus eſt, exceſſerunt caput eius vepres libidinum , & nulla erat eradicans manus. *eod.l.c.*3. Non enim fuit cura parentum, ruentem illum excipere matrimonio : ſed cura fuit tantùm, vt diſceret ſermonem facere quàm optimum , & perſuadere dictione. *ibid.c.*2. metuebant

 bant

bant verò, ne impediretur ſpes eius compede vxoriâ. *eod.l.c.3.* Itaque ſilueſcebat varijs & vmbroſis amoribus; neque erat quod illum delectaret, niſi amare, & amari. *l.2.conf.c.1.* Quinimò vbi pater in balneis, eum pubeſcentem vidit, quaſi iam ex hoc in nepotes geſtiret, gaudens vxori indicauit. *eod.l.c.3.* Nam licet tunc eſſet Catechumenus; tamen hoc recens erat: atque adeò de filio ad Deum dirigendo nihil propè cogitabat, ſed inania tantummodò. Mater nihilominus voluit, ſecretóque monuit illum cum ſollicitudine ingenti, ne fornicaretur, maximè ne adulteraret cuiuſquam vxorem. Sed illi monitus ei muliebres videbantur, quibus obtemperare erubeſceret. *lib.2.conf.cap.3.*

Eò ſiquidem iam deuenerat, & præceps ibat tantâ cœcitate, vt inter coætaneos puderet eum minoris dedecoris, quàm audiebat alios iactantes flagitia ſua, & tantò gloriantes magis, quantò magis turpes erant: & ideò libebat facere, non ſolùm libidine facti, verùm etiam laudis. Vnde, ne vituperaretur, vitioſior fiebat: & vbi non ſuberat, quo admiſſo æquaretur perditis; fingebat ſe feciſſe quæ non fecerat: nè videretur abiectior, quò erat innocentior; & nè vilior haberetur, quò caſtior. *ibid.*

Et quoniam relaxabantur illi ad ludendum habenæ vltra temperamentum ſeueritatis, in diſſolutionem affectionum variarum; *eod.l. & c.* abductus malo conſortio, *ibid.c.*8.*&* 9. furtum commiſit, excuſſâ pyro in viciniâ, idque nocte intempeſtâ, vnde abſtulerunt onera ingentia: non ad epulas; ſed vel proijcienda porcis, etiamſi inde aliquid comederint. *eod.l.c.*4. Nam tametſi pulchra erant illa poma; non tamen ipſa concupiuit, quia meliorum copiam habebat: ſed tantùm decerpſit, vt furaretur. *eod.l.c.6.&* 8.

§. VI.

Abit Carthaginem.

ROmaniano, quem familiariſſimum ſemper habuit, homine diuite, *l.1.cont.Acad.c.*1 *l.*7. *cont.c.* 14. cognato Alipij, *Epiſt.*32. eius ſtudia domo & ſumptu promouente; *l. 2. cont. Acad. c.* 2. venit Carthaginem: *ibid.& l.3.conf.c.*1. Et circumſtrepebat eum vndique ſartago flagitioſorum amorum: peruenitque occultè ad vinculum fruendi. *l.3.conf.c.*1. Inde zelotypia. &c. *ibid.* Cartha-

Carthagine ſpectacula Tragica frequentat, atque in theatris congaudet amantibus, cùm ſe fruebantur per flagitia: cùm autem ſeſe amittebant; quaſi miſericors contriſtabatur: quamuis hæc imaginariè gererentur in ludo ſpectaculi. *eod.l.c.2.* Auſus etiam eſt in celebritate ſollemnitatum, intra parietes Eccleſiæ Chriſtianæ, concupiſcere, & agere negotium procurandi fructus mortis. *ibid.c.3.* Verſatur ibidem & inter cauſſidicos, cùm ſtudia ipſius intuerentur fora litigioſa, vt excelleret in eis, hoc laudabilior, quò fraudulentior: tametſi abhorreret ab eorum factis, hoc eſt ab euerſionibus, quibus proteruè inſectabantur ignotorum verecundiam, quam perturbabant gratis illudendo, atque inde paſcendo maleuolas lætitias ſuas. *eod.l.& c.*

Iam agebat ætatis annum vndeuigeſimum, & erat defunctus Pater Anno. eius ante biennium, *l.3.conf.c.4.* in extremâ vitâ temporali, ad Chri- 373. ſtum vxoris operâ conuerſus; *l.9.conf.c.9.* quando vſitato diſcendi ordine in ſtudio Eloquentiæ, peruenit in librum quemdam Ciceronis, qui exhortationem continet ad Philoſophiam, & vocatur Hortenſius: cuius lectione viluit ei repentè omnis vana ſpes, & immortalitatem ſapientiæ concupiſcebat æſtu cordis incredibili. *l. 3. conf. c. 4. & l.de vit.beat.*

Ab hoc tempore perinde deſtitit cupere diuitias, nec aliud quidquam in his, ſi quo caſu offerrentur, præter neceſſarium victum, liberalemque vſum, cogitauit. Hoc enim vnus ille Ciceronis liber facillimè perſuaſit, nullo modo appetendas eſſe diuitias: ſed ſi prouenerint, ſapientiſſimè atque cautiſſimè adminiſtrandas. *l.1.ſoliloq. c.* 10. Et licet huius libri lectione vehementer eſſet accenſus; hoc tamen ſolo tanta flagrantia refrigeſcebat, quòd nomen Chriſti non erat ibi, quod in ipſo adhuc lacte Matris, tenerum cor eius piè biberat, & altè retinebat: adeò vt quidquid eſſet ſine hoc nomine, quamuis litteratum & expolitum & veridicum, non eum totum raperet. *l.3.conf.c.4.*

Igitur haud illi nebulæ defuerunt, quibus confunderetur curſus ipſius: & Diu, inquit, fateor, quibus in errorem ducebar, labentia in oceanum aſtra ſuſpexi. *l.de vit.beat.* Ex ijs ſiquidem ſe fuiſſe exiſtimat, qui vel in primo adoleſcentiæ limine, vel iam diu multumque iactati, tamen quædam ſigna reſpiciunt, & ſuæ dulciſſimæ patriæ, in ipſis quoque fluctibus recordantur: & aut recto curſu, in nullo falſi & nihil morati, eam repetunt; aut plerumque vel inter nubila deuiantes, vel mergentia contuentes ſidera, vel nonnullis illecebris capti,

bonæ nauigationis tempora differentes, errant diutiùs, ſæpe etiam periclitantur. &c. *eod.lib.*

§. VII.

Incidit in Manichæos, & ſeducitur.

QVamobrem ad ſacras litteras, animum quidem cœpit applicare; ſed propter ſtyli ſimplicitatem faſtidiebat: *l.3.conf.c.5.* quod alibi exponit his verbis: Nam & ſuperſtitio quædam puerilis, me ab ipſa inquiſitione terrebat. *l.de vit.beat.* Verùm vbi factus erectior; illam caliginem diſpulit, ſibique perſuaſit docentibus potiùs, quàm iubentibus eſſe credendum. *eod.l.* Cùmque eſſet cupidus veri, & nonnullorum in ſcholâ doctorum hominum diſputationibus ſuperbus & garrulus; *l.de vtil.cred. c.* 1. incidit in homines ſuperbè delirantes, & carnales nimis & loquaces (Manichæos) in quorum ore laquei diaboli, & viſcus confectum commixtione ſyllabarum nominis Dei, & Domini Ieſu Chriſti, & Paracleti conſolatoris noſtri Spiritus ſancti: hæc enim omnia non recedebant de ore eorum, ſed ſono tenus & ſtrepitu linguæ: ceterùm cor inane veri. *l.3.conf.c.6.*

Quod autem Manichæorum deliria attinet; inſigne omninò eſt, quod Solem (ad cuius gyrum orando conuertebantur) nauem quandam eſſe dicerent: ita non tantùm, vt dicitur, toto cælo errabant, ſed & natabant. Deinde cùm omnium oculis Sol rotundus effulgeat; eaque illi figura pro ſui ordinis poſitione, perfecta ſit; Manichæi eum triangulum perhibebant, id eſt, per quandam triangulam cæli feneſtram, lucem iſtam mundo terriſque radiare. Ita fiebat vt ad Solem, dorſum ceruicemque curuarent; non autem ipſum tam clarâ rotunditate conſpicuum, ſed neſcio quam nauim per foramen triangulum micantem, atque lucentem adorarent.

Verùm hæc tolerabiliùs fortaſſe vel ridebantur, vel ferebātur in eis: illud erat intolerabiliter ſceleratū, quod de ipsâ naui puellas pulchras, & pueros proponi dicebant, quorū formoſiſſimis corporibus inardeſcerent Principes tenebrarum, ad feminas maſculi, & ad maſculos feminæ: vt in ipſa flagranti libidine & inhianti concupiſcentiâ, tamquam de terris, ſordidiſque compedibus, Dei ipſorum membra ſoluantur.

tur. *vide l.2.cont. Felic. in fine.* Atque his obſcœniſſimis pannis conabantur aſſuere ineffabilem Trinitatem, dicentes Patrem in ſecreto quodam lumine habitare: Filij autem in Sole virtutem, in Luna ſapientiam: Spiritum verò ſanctum, in aëre. *l.* 20. *cont. Fauſt. c.* 5. *&* 6. Plura eiuſdem farinæ videri poſſunt, *l. de morib. manich. c.* 8. *& ſeqq. l. de natura boni c.* 43. *&c.*

Horum familiaritate, in primis quadam imagine bonitatis irrepente (tamquam ſinuoſo aliquo vinculo, multipliciter collo inuoluto) dum vtitur; *l. de duab. animab. c.* 9. præſertim quòd ſe dicerent ſepoſitâ auctoritate, mirâ & ſimplici ratione, eos, qui ſe audire vellent, introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos: neque vllum premere ad fidem, niſi priùs diſcuſſa & enodatâ veritate: *l. de vtil. cred. c.* 1. deinde, quòd quædam noxia victoria, penè ſemper illi in diſputationibus proueniret, differenti cum Chriſtianis imperitis, ſed tamen fidem ſuam, vt quiſque poterat, defendere molientibus; ſeductus eſt attrituſque per admirabiles circuitus. Hoc enim ſucceſſu creberrimo, gliſcebat adoleſcentis animoſitas: & impetu ſuo in peruicaciæ magnum malum imprudenter vergebat. *l. de duab. animab. c.* 9.

Vnum præ ceteris fluctuantem illum acriter torquebat, quod, vnde malè faceremus, aſſequi cogitando haud poſſet. Hanc enim quæſtionem cum ſub Euodij nomine proponeret; Eam, inquit, quæſtionem moues quæ me admodùm adoleſcentem, vehementer exercuit, & fatigatum in hæreticos impulit atque deiecit. Quo caſu ita ſum afflictus, & tantis obrutus aceruis inanium fabularum; vt, niſi amor inueniendi veri, opem diuinam impetrauiſſet, emergere inde, atque in ipſam primam quærendi libertatem reſpirare non poſſem. *l.* 1. *de lib. arb. c.* 2.

Cùm verò duabus profeſſionibus, Electorum ſcilicet & Auditorum, Eccleſiam ſuam Manichæi conſtare voluerunt: *hær.* 46. Auguſtinus, dum inter eos verſatur, non Electus; neque Presbyter, vt Petilianus falsò obiecit, *l.* 3. *cont. Petil. c.* 17. ſed Auditor fuit, *diſp.* 1. *cont. Fortun.* nouem annis, *l. de mor. Eccl. Cath. c.* 18. *& l. cont. Epiſt. fund. c.* 10. magnâ curâ & diligentiâ: *l. de mor. man. c.* 19. ab vndeuigeſimo ætatis, vſque ad duodetrigeſimum, ſeductus & ſeducens. *l.* 4. *conf. c.* 1. Nam ſimul atque auditis Manichæis, altercandi ſtudium aggreſſus erat; quidquid ſuo vel qualicumque ingenio, vel alijs lectionibus poterat; ſolis illis libentiſſimè tribuebat. Sicque ex illorum ſermoni-

bus,

bus, ardor in certamina; ex certaminum prouentu, amor in illos quotidie mouebatur. Ex quo euenit, vt quidquid dicerent, miris quibuſdam modis, non quia ſciebat, ſed quia optabat verum eſſe, pro vero approbaret. Ita factum eſt, vt quamuis pedetentim atque cautè; tamen diu ſequeretur homines, nitidam ſtipulam, viuenti animæ præferentes. *l. de duab. anim. c.9.*

Nam cùm longè pluris facerent oculorum quàm mentis iudicium; nullam eſſe fulgentem pennam, quæ non ex Deo fulgeat: & eſſe viuentem animam, quæ non ex Deo viuat, prædicabant & credebant. *eod. l. c.8.* At verò ſi ſapere voluiſſent, contrarium longè verius iudicaſſent. Ea nempe quæ ſenſibus percipiuntur, inferiora eſſe ijs, quæ ſolo intellectu percipi queunt: ideoque Solem iſtum & Lunam, omnemque lucem (quæ, quia mortalibus oculis cernuntur, à Deo facta Manichæi docebant) inferiora eſſe quibuſcumque viuentibus, quæ ſolâ animi ſublimitate, mente ſcilicet atque intelligentiâ capiuntur, quæque idcircò Deo auctore priuanda & viduanda putabant. *eod. l. c.1.*

§. VIII.

Ingenij ipſius præſtantia & capacitas.

Anno. 374. ANnos natus fermè viginti, Categorias Ariſtotelis, ſolus legit & intellexit: atque omnes Artium liberalium libros euoluit: & Artem diſſerendi, Mathemata, Muſicam, Arithmeticam, ſine difficultate, nullo præceptore conſecutus eſt. *l.4. conf. c.16.*

Res ſanè inaudita monſtrique ſimilis, vt id ætatis adoleſcentulus, nullius hominis magiſterio, at ſolo naturalis ingenij lumine, Ariſtotelis Categorias (in quas, cùm eas Rhetor Carthaginenſis magiſter ipſius buccis typho crepantibus commemoraret, & alij qui docti habebantur; tamquam quid magnum & diuinum ſuſpenſus inhiarat) legerit ſolus atque intellexerit. Nam & illi ſatis apertè videbantur loquentes, de Subſtantijs, ſicuti eſt homo; & quæ in illis eſſent, ſicuti eſt figura hominis, qualis ſit, & ſtatura quot pedum ſit; & cognatio, cuius frater ſit, aut vbi ſit conſtitutus, aut quando natus, aut ſtet aut ſedeat, aut calceatus vel armatus ſit, aut aliquid faciat, aut patiatur,

tur aliquid: & quæcumque in his nouem generibus, vel in ipſo Subſtantiæ genere, innumerabilia reperiuntur.

Quapropter cùm contuliſſet cum eis, qui ſe dicebant vix eas, magiſtris eruditiſſimis non loquentibus tantùm, ſed multa in puluere depingentibus, intellexiſſe; nihil inde aliud ei dicere potuerunt, quàm quod ſolus apud ſemetipſum legens cognouerat. Iam, quantæ ſollertiæ eſt, quod omnes libros Artium, quas liberales vocant, quoſcumque legere potuit, tunc per ſeipſum non legerit tantùm, ſed etiam intellexerit, nullo hominum tradente? Puta quidquid de Arte loquendi & diſſerendi: quidquid de dimenſionibus figurarum, & de muſicis, & de numeris fuit. Neque enim priùs ſenſit illas artes, quarum tot nodoſiſſimos libros, nullo adminiculo humani magiſterij, ſolâ ingenij celeritate atque agilitate enodauerat, etiam à ſtudioſis & ingenioſis difficillimè intelligi; niſi cùm eis eaſdem conabatur exponere: & eſſet ille excellentiſſimus in eis, qui exponentem non tardiùs ſequeretur. *eod. l. &c.* Atque hac conſideratione, viuacitatem ingenij ipſius, Caſſiodorus commendat, *l. Diu lect. c. 22.* idemque accuratè ponderat Philippus Abbas Bonæ Spei: *vit. D. Aug. c. 5.*

Quo perinde nomine, palàm ſuperbus erat: ob Manichæi verò dogmata, occultè ſuperſtitioſus: vbique vanus, ac popularis gloriæ inanitatem ſectans, vſque ad theatricos plauſus, & contentioſa certamina, & agonem coronarum, & ſpectaculorum nugas, & intemperantiam libidinum. *l. 4. conf. c. 1.*

§. IX.

Docet Tagaſtæ.

IN patriam reuerſus, docet Grammaticam. *Poſſid. cap. 1.* Vbi eum Romanianus fauore, familiaritate, communicatione domus, clarum penè primatemque fecit. *l. 2. cont. Acad. c. 2.* Mater enim eum nolle cœperat, deteſtans blaſphemias erroris ipſius. *l. 3. conf. c. 11.* Ineptijs enim & ſycophantijs Manichæorum, prorſùs erat implicatus. *eod. l. c. 6. 7. & 10. & l. 4. c. 1.*

Vnde illa videns filij mortem, pro eo ad Deum plorabat ampliùs,

 quàm

quàm flent matres corporea funera. Deus verò conſolatus eſt eam ſomnio, quo vidit ſe ſtare in quadam regula lignea, & aduenientem ad ſe iuuenem ſplendidum, hilarem atque arridentem ſibi, cùm illa eſſet mœrens, & mœrore confecta. Qui cùm cauſſas quæſiſſet ab ea mœſtitiæ, quotidianarumque lacrymarum, docendi, vt aſſolet, non diſcendi gratia; atque illa reſpondiſſet, perditionem filij ſe plangere: iuſſiſſe illum quò ſecura eſſet, atque admonuiſſe vt attenderet, & videret vbi eſſet illa, ibi eſſe & illum. Quod illa vbi attendit, vidit filium iuxta ſe in eadem regula ſtantem. *l.3.conf.c.*11. Hoc viſum cùm filio narraſſet, & ipſe ad ſe trahere conaretur, vt illa ſe potiùs non deſperaret futuram quod ipſe erat; continuò ſine aliqua hæſitatione, Non, inquit, non enim mihi dictum eſt, vbi ille, ibi & tu; ſed vbi tu, ibi & ille. Quo eius conſtante reſponſo commotus plus, quàm ipſo ſomnio fuit. *eod.l.& c.*

Sed cùm interim non ceſſaret à fletu, & rogaſſet Epiſcopum quemdam Catholicum, vt dignaretur colloqui cum filio, & refellere errores ipſius: Epiſcopus verò negaret, eò quod inflatus nouitate hæreſis, eſſet indocilis, vt qui nonnullis quæſtiunculis iam multos imperitos exagitaſſet; ſed conſuleret ſibi relinquendum, donec per ſe errorem deprehendiſſet: ipſa verò nollet acquieſcere, ſed inſtaret magis, deprecando & vbertim flendo, vt coràm cum filio diſſereret; Epiſcopus ſubſtomachans tædio, Vade, inquit, à me, ita viuas: fieri non poteſt, vt filius iſtarum lacrymarum pereat. Quod ita accepit, ac ſi de cælo ſonuiſſet. *l.3.conf.c.*12.

Inter hæc dum Tagaſtæ docet, comparauerat ſibi amicum, ſocietate ſtudiorum nimis carum, quemque à verâ fide deflexerat in ſuperſtitioſas & pernicioſas fabellas, propter quas à matre plangebatur. Hunc contigit febribus laborare: cumque deſperaretur, diu iacens in ſudore lethali, baptizatus eſt neſciens. Id Auguſtinus ludibrio habebat: cumque putaret ægrotantem, vbi foret recreatus, ſimiliter irriſurum; contrà accidit, ridentemque æger exhorruit vt inimicum: admonuitque mirabili & repentinâ libertate, vt, ſi amicus eſſe vellet, ridere deſineret. *l 4.conf. c.* 4. Is poſt paucos dies repetitus febribus, defungitur: cuius mortem adeo tulit impatienter, vt ſolum mutauerit tandem, atque à Tagaſtenſi oppido venerit Carthaginem. *eod. l.c.* 4.5.6.*&* 7.

§. X

§. X.

Carthaginem redit, docetq́; Rhetoricam.

HVius itineris conſcius duntaxat Romanianus fuit: qui tametſi initio obſtaret, & abiturientem amore patriæ, vbi iam docebat, cunctaretur; poſtquàm tamen euincere adoleſcentis cupiditatem, & ad ea quæ videbantur meliora tendentis, nequiuit; ex dehortatore in adiutorem tantâ beneuolentia conuerſus eſt, vt neceſſarijs omnibus iter eius adminiculauerit. *l. 2. cont. Acad. c. 2.* Neque hoc ſolum; verumetiam Carthagine exiſtentis, cunabula, & quaſi nidum ſtudiorum fouit, & iam volare audentis rudimenta ſuſtentauit. *ibid.*

Carthagine paullò pòſt Rhetoricam docuit, & ſine dolo dolos, non quibus contra caput innocentis agerent diſcipuli, ſed aliquando pro capite nocentis. *l. 4. conf. c. 2.* Quâ conſideratione fatetur Deum de longinquo, lapſantem in lubrico & in multo fumo vidiſſe ſcintillantem fidem ipſius. Nam licet per id tempus haberet vnam, illegitimo coniugio cognitam; attamen ei thori fidem ſeruabat. *eod. l. & c.* Cumque ei ſemel placuiſſet inire certamen carminis Theatrici, & exquiſiuiſſet Aruſpex (necaturus ſcilicet in ſacrificijs ſuis animantia, & illis honoribus inuitaturus alteri ſuffragatura dæmonia) reſpondit, quid mercedis dare vellet vt vinceret? abominatus fœda illa ſacramenta, reſpondit. Nec muſcam pro victoriâ ſuâ necari permiſſurum, tametſi corona eſſet immortaliter aurea. *ibid.*

Nihilominùs cùm rerum curioſarum deſiderio teneretur; Planetarios, quos Mathematicos vocant, impenſè conſulebat: quòd nullum eis eſſet ſacrificium, & nullæ preces ad aliquem ſpiritum ob diuinationem dirigerentur. A quo ſtudio tametſi quidam homo ſenex, nomine Vindicianus, arte medicus, *l. 7. conf. c. 6. & Epiſt. 5* & Nebridius, cum dehortarentur, & irriderent; perſuadere tamen non poterant, vt abiiceret. *4. conf. c. 3.*

Alipium, Carthagine agentem, à ludis Circenſibus abducit: & inuolutum ſuperſtitione Manichæorum, adducit in ſuam diſciplinam, *l. 6. conf. c. 7.* Diſcipulos alioquin apud Carthaginem inuenit licentioſos, inurbanos, atque ſine fronte, & ijs denique moribus, quibus ipſe

dum ſtuderet, eſſe noluerat. *l.* 5. *conf. c.* 8.

Interea gaudet excolere amicos: cumque eis colloqui, & corridere, & viciſſim beneuolè obſequi: ſimul legere libros dulciloquos, ſimul nugari & ſimul honeſtari: diſſentire interdum ſine odio, tamquam ipſe homo ſecum; atque ipsâ rariſſimâ diſſenſione condire conſenſiones plurimas: docere aliquid inuicem, aut diſcere aliquid ab inuicem: deſiderare abſentes cum moleſtiâ, ſuſcipere venientes cum lætitiâ. *l.* 4. *conf. c.* 8. Adhæc ſpem gerebat de pulchritudine vxoris, de pompa diuitiarum, de inanitate honorum, ceteriſque noxijs & pernicioſis voluptatibus. *l. de vtil. cred. c.* 1.

§. XI.

Scribit de Pulchro & Apto.

SEd cùm annorum iam viginti ſex aut ſeptem, pulchri, & pulchritudinis amator eſſet; ad eorum contemplationem, & cauſſam, cur talia amentur, inueſtigandam, animum appulit, ſcripſitque libros duos aut tres, de Pulchro & Apto. Et Pulchrum, quod per ſeipſum; Aptum autem, quod ad aliquid accommodatum, deceret; definiebat & diſtinguebat, & exemplis corporeis adſtruebat. Hos libros, qui interciderunt, dedicauit Hierio, Romanæ vrbis oratori, homini Syro, Græcè & Latinè facundiſſimo, & ſcientiſſimo rerum pertinentium ad ſtudium Sapientiæ: quem iam tum amabat ex doctrinæ famâ, facie licet ignotum. *l.* 5. *conf. c.* 13. 14. *&* 15.

§. XII

Apud Manichæos dum proficit, deficit.

NOn omittebat figmenta, quæ Manichæos diuturnâ conſuetudine implicatos & conſtrictos tenent; & quærere curioſè, & attentè audire, & temerè credere, & inſtanter quibus poterat perſuadere, & aduerſus alios pertinaciter animoſeque defendere. *l. cont. Epiſt. fund. c.* 3. Interfuit etiam Carthagine diſputationi Helpidij contra Mani-

Manichæos, & nonnihil moueri cœpit eo, quod videret eum talia ex Scripturis proferre, quibus reſiſti facilè non poſſet: & audiret Manichæos dicere, Scripturas noui Teſtamenti à neſcio quibus, qui Iudæorum legem inſerere Chriſtianæ fidei voluerunt, fuiſſe falſatas, nec tamen ipſi incorrupta exemplaria vlla proferrent. *l. 5. conf. c. 11.* Quod Manichæorum effugium, inualidiſſimam vocem appellat, *l. de vtil. cred. c. 3.* Videri quoque poteſt *l. de mor. Eccl. Cath. c. 9. & 29.*

Ipſe præterea, alijque, grauiter commoti, grauiterque queſti ſunt: vbi viderunt in quadriuio Carthaginis, in platea celeberrima, non vnum, ſed plures quàm tres Electos ſimul, poſt tranſeuntes neſcio quas feminas tam petulanti geſtu adhinnire; vt omnium triuialium impudicitiam impudentiamque ſuperarent. Quod de magna venire conſuetudine, atque illos inter ſe ita viuere ſatis eminebat, quandoquidem nullus ſocij præſentiam veritus, omnes, aut certè penè omnes, eâdem teneri peſte indicabat. Non enim erant hi ex vna domo, ſed diuerſè prorſus habitantes: ex eo loco vbi conuentus omnium factus erat, pariter fortè deſcenderant. *l. de mor. Manich. cap. 19.* Eſto enim, magnam & prodigioſam ſanctitatem Manichæi iactarent, vt ex Fauſto patet *l. 5. cont. Fauſt. cap. 1. & 2.* attamen ipſa eorum vita neque reſpondebat tantæ iactantiæ, neque patriarchæ ſui placita ſeruabant in omnibus. Aliud enim profitebantur, & viuebant aliter. Atque hinc Conſtantius, rigidus quondam Manichæus, at poſtea Catholicus Chriſtianus, multos congerronum ſuorum Romæ in domum ſuam congregauerat, propter implenda præcepta Manichæi, ſatis quidem vana & inepta, ſed quæ ipſi exiſtimabant magna. Quid fit? laſſi ſunt talibus præceptis cedere infirmitatem ſuam: & quia obaudire Conſtantio nolebant; facto ſchiſmate diſperſi ſunt quiſque in viam ſuam. Perdurarunt quidem aliqui; ſed hos, quia dormiebant in mattis, alij Mattarios appellarunt: à quorum ſtratis, longè diſſimiles erant plumæ Fauſti, & caprinæ lodices: quâ deliciarum affluentiâ non ſolùm Mattarios faſtidiebat; ſed etiam domum patris ſui, hominis pauperis Mileuitani. Atque inde conſtat, magnam inter mores eorum & litteras diuerſitatem fuiſſe, vti & inter linguam & vitam: neque ſic pugnaſſe primum hominem cum gente tenebrarum; ſicuti in Manichæis verba pugnabant cum operibus. *l. 5. cont. Fauſt. c. 5.*

Cùm deinde multa Philoſophorum legiſſet, memoriæque mandata retineret; quædam ex eis comparabat Manichæorum longis fabu-

lis, & longè probabiliora reperit illis. *l.* 5. *conf. c.* 3. Nam cùm Philoſophi multa ingenioſè & inuenerint & prænuntiauerint, puta defectus luminarium Solis & Lunæ, quo die, quâ horâ, quanta ex parte futuri eſſent, idque ſine errore: adeò vt & regulas indagatas ſcripſerint, quæ hodie leguntur; ex quibus prænuntiatur quo anno, & quo menſe anni, & quo die menſis, & quâ horâ diei, & quotâ parte luminis ſui defectura ſit Luna, vel Sol: additâ cauſsâ per numeros & ordinem temporum, & viſibiles atteſtationes ſiderum; quando hæc conferebat cum dictis Manichæi, qui de his rebus multa quoque ſcripſerat, copioſiſſimè delirans; non vtique occurrebat illi ratio nec ſolſtitiorum & æquinoctiorum, nec defectuum luminarium, nec cuiuſquam quod Philoſophi tradiderant. Et nihilominus quod Manichæus dicebat, credere iubebatur, licet ad rationes Philoſophorum, numeris & oculis eius exploratas, non quadraret: & à Philoſophorum præterea dogmatibus, longè diuerſum eſſet. *eod. l. & c.*

Ergo cùm ſubinde hæ quæſtiones eum torquerent, alijque è vulgo Manichæi diſſoluere non poſſent; promittebant illi venturum Fauſtum, cuius colloquio facillimè ei hæc, & ſi qua fortè maiora quæreret, enodatiſſimè expedirentur. *l.* 5. *conf. c.* 6. Cùm enim Manichæis lux iſta quæ oculis cernitur, inter ſumma & diuina colenda videretur; non aſſentiebatur: ſed putabat eos magnum aliquid tegere illis involucris, quod eſſent aliquando aperturi. *l. de vit. beat.*

Hunc Fauſtum fermè per nouem ipſos annos, quibus Manichæos audiuerat, nimis extento deſiderio venturum exſpectabat: *l.* 5. *conf. c.* 6. cùm ecce anno ætatis eius vndetrigeſimo, iam venit Carthaginem Fauſtus Manichæorum Epiſcopus, magnus laqueus Diaboli: *l.* 5. *conf. c.* 3. Illum audiebat: fama enim de illo prælocuta erat, quòd eſſet honeſtarum omnium doctrinarum peritiſſimus, & apprimè diſciplinis liberalibus imbutus. *ibid.* Expertus eſt itaque hominem gratum & iucundum verbis, & ea ipſa quæ alij ſolebant dicere, multò ſuauiùs garrientem. *eod. l. c.* 6. Vnde delectabatur, & cum multis, vel etiam præ multis, laudabat hominis facundiam: *ibid.* Tametſi verò laudabat; diſcernebat tamen à veritate rerum, quarum diſcendarum auidus erat: nec quali vaſculo ſermonis, ſed quid ei ſcientiæ comedendùm apponeret celebris ille Fauſtus, intuebatur. *eod. l. c.* 3. Iam enim didicerat, nec eò debere videri aliquid verum dici, quia eloquenter dicitur: nec eò falſum, quia incompoſitè. *l.* 5. *conf. c.* 6.

Igitur

Igitur ſimul atque conferre familiariter cum eo potuit, & partiri quæſtionum ſuarum curas; reperit eum expertem liberalium diſciplinarum, & nonniſi Grammaticam tenere vſitato modo: quia verò aderat quotidiana ſermocinandi exercitatio, inde ſuppetebat eloquium; quod fiebat acceptius, magisque ſeductorium, moderamine ingenij & quodam lepôre naturali. *ibid.* Itaque deſperabat Fauſtum ſibi poſſe ſatisfacere: qui ipſemet fatebatur, non ſe audere ea quæ continebantur in libris Manichæi de cælo & ſideribus, & Sole, & Luna, explicare ad numerorum rationes, quas adducebant Philoſophi, aut pares aliquas reddere. *eod. l. cap.* 7. Hoc iam homine cognito, omnis ipſius conatus quo proficere in illa ſecta ſtatuerat, prorſus intercidit: tametſi Manichæis adhæreret tantiſper, dònec aliquid meliùs accepiſſet. *ibidem.*

§. XIII.

Romam proficiſcitur.

SVb id tempus perſuaſus ab amicis (inter quos fuiſſe Martianum, qui profecturo Comicum illud occinuerit,

Nunc hic dies vitam aliam affert, alios mores poſtulat; apparet, *Epiſt.* 155.) Romam proficiſci ſtatuit, ea potiſſimùm de cauſsâ, quòd audiret quietius ibi ſtudere adoleſcentes, & ordinatiore diſciplinæ coërcitione ſedari. *l.* 5. *Conf. c.* 8. Profectum, Mater ad mare vſque ſecuta eſt: à quâ dum violenter teneretur, vt aut rediret, aut ſe vnà nauigare permitteret; eam prætextu deducendi ad nauem Amici, donec vento facto nauigaret, fefellit: & alicubi relictâ, noctu clanculum diſceſſit. Quòd illa vbi manè facto didicit, miſerabiliter plorauit. *ibid.* ſed neque quidquam huius itineris indicauit Romaniano, quem alioquin celare nihil conſueuerat. *l.* 2. *cont. Acad. c.* 2.

Romæ corripitur febri, & periculosè laborat. *l.* 5. *Conf. c.* 9. Reſtitutus valetudini, ſedulò cœpit agere propter quod venerat, vt ſcilicet Artem Rethoricam Romæ doceret: inque hunc finem domi priùs aliquos congregauit, quibus, & per quos cœpit innoteſcere. *eod. l. c.* 12. Intereà verſabatur cum Manichæis promiſcuè, tam Electis eorum, quàm Auditoribus: verumtamen aliquantò remiſſiùs, negligentiusque doctrinam eorum vrgebat: tametſi decreuiſſet, ſi melius aliquid

aliquid non reperiret, eâ contentus eſſe; quod iudicaret, iuxta Academicorum opinionem, de omnibus eſſe dubitandum, neque aliquid veri ab homine comprehendi poſſe. *eod. l. c.* 10. Id alio loco exponit his verbis: Vbi diſcuſſis Manichæis euaſi, maximè traiecto iſto mari; diu gubernacula mea repugnantia omnibus ventis, in mediis fluctibus Academici tenuerunt. *l. de vit. beat.*

Et quoniam, cùm de Deo cogitare vellet, cogitare niſi moles corporum non nouerat: neque enim videbatur illi eſſe aliquid, quod corpus non erat; ea maxima, & propè ſola cauſſa erat ineuitabilis erroris ipſius. Nam ab hoc ceteri religati deducebantur. *l.* 5. *Conf. c.* 10. Quapropter Manichæos poſteà monebat: Dei naturam atque ſubſtantiam, incommutabilem omnino, omnino incorruptibilem cogitate vel credite: & Manichæi continuò non eritis, vt aliquando & Catholici eſſe poſſitis. *l.* 33. *cont. Fauſt. c.* 9.

§. XIV.

Venit Mediolanum.

MOtus ingratitudine diſcipulorum Romæ, cùm de abitione tantumnon cogitare cœpiſſet; commodum accidit, Mediolano Romam mitti ad Præfectum Vrbi, vt illi Ciuitati Rethoricæ magiſter prouideretur. Quod munus cùm per Manichæos ambiret; dictione propoſitâ probatus à Symmacho, Mediolanum publico ſumptu mittitur. *l* 5. *Conf. c.* 11. *&* 13. Id factum ſub Valentiniano minore, cuius tum Comitatus ſiue Curia Mediolani conſtituta erat. *Poſsid. c.* 1. Hic eſt Symmachus, Romanorum eâ tempeſtate diſertiſſimus, Epiſtolarum auctor, & Apologiæ pro Veſtalibus Virginibus: qui de Arâ Victoriæ inſtaurandâ cùm Valentinianum paulò anteà interpellaſſet, Ambroſium Epiſcopum & Prudentium V. C. nactus eſt antagoniſtas.

Auguſtinus ab Ambroſio paternè ſuſcipitur; quem & ipſe redamat, non vt veri Doctorem (quia deſperabat in Eccleſia Catholica poſſe reperiri verum, vnde Manichæi illum auerterant) ſed propter benignitatem. *l.* 5. *Conf. c.* 10. *&* 13.

Mediolani

Mediolani Kalendis Ianuariis, Imperatori & Bautoni Conſuli, laudes pro ſua tunc Rhetoricâ profeſſione recitauit in maximo conuentu conſpectuque hominum. *lib. 3. cont. Petil. cap. 25. lib. 6. Conf. cap. 6.* Hunc Imperatorem nonnulli Arcadium fuiſſe exiſtimant, qui ante biennium Auguſtus à Patre Theodoſio appellatus, eodem cum Bautone anno, hic Occidentis, ille Orientis Conſul deſignatus eſt; vt vnâ eâdemque oratione Conſulem vtrumque laudarit. Aſt quoniam Conſulis in Oriente facti nomen haud equidem poterat tam citò in Occidentem deferri, vt Kalendis Ianuariis vterque Panegyrico extolleretur; non abs re fuerit hunc Imperatorem, Maximum exiſtimare: qui licet per tyrannidem, occiſo Gratiano, & Valentiniano pulſo, Imperium occupaſſet; adeò tamen non erat ab eius laudibus temperandum, vt coniungere cum Bautone nefas eſſet.

Ad hoc agendum dum pergit; viſo in plateis mendico, ex ſaturitate iocante, & lætante, ingemuit: quòd id iam pauperculus eſſet adeptus, pauculis & emendicatis nummulis; quod ipſe tam ærumnoſis amfractibus & circuitibus fruſtrà fortaſſis ambiebat, lætitiam ſcilicet temporalis felicitatis. *lib. 6. Conf. cap. 6.* Ita enim cum Alipio & Nebridio loquebatur. *eod. l. c. 7.*

Ambroſium diſputantem in populo audiebat perſtudioſè, facundiam explorans, rerum incurioſus & contemptor. Et delectabatur ſuauitate ſermonis, quamquam eruditioris, minùs tamen hilareſcentis atque mulcentis, quàm Fauſti, quod attinet ad dicendi modum. *libr. 5. Conf. cap. 13.* Quamuis autem res negligebat, tamen cùm verbis, quorum captator erat, illæ ſimul in mentem incurrebant, ſed gradatim. Vbi enim audierat ſolui vnum atque alterum ænigma eorum, quæ ex Scripturis Manichæi ſolebant Catholicis obiicere, quod hactenus putauerat eſſe impoſſibile; vidit fidem Catholicam defendi poſſe. Sed ideò nondum efficitur Catholicus: quia, cùm Manichæiſmo iam eſſet occupatus, defenſionis partes æquabantur. Hinc licet Academicorum more dubitaret de omnibus, atque inter omnia fluctuaret; comparans nihilominùs Philoſophorum doctrinam de mundo rerumque naturâ, cum Manichæorum dogmatibus; iudicat illos probabiliora docuiſſe: & ideò decreuit, etiam de omnibus dubitans, Manichæos relinquere: & denique tamdiu eſſe Cathecumenus in Catholica Eccleſiâ, à parentibus ſibi commendatâ, donec aliquid certi eluceſceret, quò curſum dirigeret. *l. 5. Conf. c. 14.*

§. XV.

A Manichæis alienior accedit ad Chriſtianiſmum.

TAlis cùm eſſet, venit ad eum Mater, terrâ marique inſecuta: cui cùm indicaſſet, non eſſe ſe amplius Manichæum, ſed neque Catholicum Chriſtianum; exiliuit lætitiâ, & pectore pleno fiduciæ, reſpondit: Credere ſe in Chriſtum, quòd priuſquam de hac vita emigraret, viſura eum eſſet fidelem Catholicum. *l.6. Conf.c.1.*

Cæterùm ad quærendum intentus, & ad diſſerendum inquietus animus ipſius cùm eſſet, neque facultas daretur conferendi cum Ambroſio quod volebat, ſicut volebat, propter eius occupationes; audit illum omni die Dominico verbum veritatis tractantem: magisque confirmatur in hoc, quod omnes verſutarum calumniarum nodi, quos Manichæi aduerſus diuinos libros innectebant, poſſint diſſolui. *lib. 6. Conf. cap.* 3. Signanter tamen vbi intellexit, ex eo quòd homines facti ſint ad imaginem Dei, non colligi, quod Deus habeat corpus: quamquam quomodo ſe haberet ſpiritualis ſubſtantia, comprehendere non poſſet; gaudens erubuit, ſe tot annos non aduerſus Catholicam fidem, ſed contra carnalium cogitationum figmenta latraſſe. *eod. l. c.*3. *&* 4. Gaudebat etiam, vetus Teſtamentum non proponi ſibi legendum eo oculo, quo anteà videbatur abſurdum; ſed quod aſſignaret pro regulâ Ambroſius: *Littera occidit, Spiritus autem viuificat.* nam ea quæ ſecundùm litteram peruerſa videri poterant, ſpiritaliter expoſita, nihilum offenderent: licet eadem, quia non videbat vera eſſe, non crederet: volebat enim eorum quæ non videbat, ita fieri certior, vti certus erat quod ſeptem & tria, decem ſint, priuſquam crederet aliquid. *lib.6. Conf. cap.*4.

Nihilominùs iudicabat iam tum in Eccleſia Catholicâ longè modeſtius prudentiusque exigi fidem in rebus quæ non demonſtrantur, quàm apud Manichæos: ſicuti oſtendit *libr.* 11. *contr. Fauſt. cap.* 45. *& lib. contr. Epiſt. fund. cap.* 4. qui veritatem temerè pollicentes, irrident Chriſtianorum credulitatem, & poſteà tam multa fabuloſiſſima

ſiſſima & abſurdiſſima, quia demonſtrari non poſſunt, credi imperant. *lib.6. Conf.cap.5.* Conſiderans prætereà apud ſemetipſum, quàm innumerabilia crederet quæ non videret, neque cùm gererentur adfuiſſet: ſicuti tam multa in hiſtoria gentium, tam multa de locis atque vrbibus, quæ non viderat: tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis atque aliis, vti exſequitur *l. de vtil. cred. cap.* 10. *Epiſt.* 112. *in princ.* quod niſi fieret, nihil omninò in hac vita ageremus: conſiderans denique quàm crederet firmiter, de quibus eſſet ortus parentibus, quod ſcire vtique non poſſet, niſi audiendo credidiſſet; vti ponderat *l. de vtil. cred. cap.* 12. his, inquam, rationibus perſuaſus fuit, debere ſe pariter credere, Scripturam ſacram vnius veri & veraciſſimi Dei ſpiritu ac numine, eſſe humano generi miniſtratam: non ob aliud, quàm quod Deus rerum humanarum curam & prouidentiam gerat: quod punctum ſemper ſe credidiſſe ait, tametſi nunc robuſtiùs, nunc exiliùs. *lib. 6. Conf. cap.* 5. Ergo quia per Scripturam ſibi credi, perque ipſam ſe inquiri Deus voluit, quandoquidem homines ſuaptè naturâ ſint infirmi ad inueniendam liquidâ ratione veritatem: imò proptereà ſit eis neceſſaria ſacrarum Litterarum auctoritas; hinc tantam eis per omnes mundi plagas vim, virtutemque tribuit, vt fides illicò ipſis adhibeatur, eò ſanè digniùs, quò Scriptura ipſa loquitur ſimpliciùs & humiliùs. *ibid.* Vide *de vtilit. cred. c.* 13.

Eodem tempore quo Mediolani agebat, accidit quod ipſe alibi commemorat his verbis: Nobis apud Mediolanum conſtitutis, Carthaginis rhetor Eulogius, qui meus in eadem arte diſcipulus fuit, ſicut mihi ipſe, poſteà quàm in Africam remeauimus, retulit, cùm Rhetoricos Ciceronis libros diſcipulis ſuis traderet, recenſens lectionem quam poſtridiè fuerat traditurus, quendam locum offendit obſcurum. Quo non intellecto vix potuit dormire ſollicitus: quâ nocte ſomnianti ego illi, quod non intelligebat, expoſui: imò non ego, ſed imago mea neſciente me, & tam longè trans mare aliquid aliud ſiue agente, ſiue ſomniante, & nihil de illius curis omninò curante. *lib. de cur. ger. pro mort. cap.* 11.

Interim inhiabat honoribus, lucris, coniugio, nec non vnà cum Alipio & Nebridio nutabat in conſilio: Quiſnam eſſet tenendus vitæ modus? *l. 6 Conf. cap. 6. &* 10. maximè verò mirabatur, recolens quàm longo tempore (ab anno ſcilicet vndevigeſimo, vſque ad tricena- Anno. 384.

riam ætatem quam nunc gerebat) feruere cœpiſſet ſtudio Sapientiæ, diſponens, eâ inuentâ, relinquere omnes vanarum cupiditatum ſpes inanes, & inſanias mendaces, dum ſe videt adhuc in eodem luto hærere, interea dum differt & differtur à Manichæis. *eod.l.c.*11.

Inclinatur ad ducendam vxorem : diſſuadet Alipius, cauſſans nullo modo eos poſſe ſecuro otio ſimul in amore Sapientiæ viuere, ſi id feciſſet. *l. Conf. cap.* 11. & 12. Sed ipſe reſiſtebat exemplis eorum, qui coniugati coluiſſent Sapientiam : adeò vt demum Alipio ſit auctor deſiderandi coniugium. *eod. c.* Igitur triginta annos natus, cogitat annitente matre de vxore ducendâ : & deſpondetur ei quæ biennio minor quàm nubilis erat : & quia illa placebat, exſpectabatur. *eod.l.c.*13.

§. XVI.

Nondum baptizatus cogitat de vita communi.

DEliberationes cum Romaniano, Mæcenate ſuo (quem tunc graues æſtus negotiorum, ad Comitatum ſiue Curiam Imperatoris attraxerant) & aliis circiter decem, de Vitâ communi eiuſque modo, agitat : ſed poſteaquam cœpit cogitari, vtrùm hoc mulierculæ ſinerent, quas & alij habebant, & ipſe habere volebat; periit id conſilium abiectumque eſt. *l.6. Conf. cap.*14.

Siquidem cùm præſens præſenti Romaniano expoſuiſſet interiores motus animi ſui, vehementerque ac ſæpiùs aſſereret, nullam ſibi videri proſperam fortunam, niſi quæ otium philoſophandi daret; nullam beatam vitam, niſi quâ in philoſophia viueretur : verumtamen ſe tanto ſuorum onere (quorum ex officio eius vita pendebat) multiſque neceſſitatibus vel vani pudoris ipſius, vel ineptæ ſuorum miſeriæ refrænari:tam magno elatus eſt gaudio Romanianus, tam ſancto eiuſmodi vitæ inflammatus ardore; vt ſe diceret, ſi poſſet importunarum litium vinculis eximi, omnia Auguſtini vincula, etiam patrimonij ſui cum eo participatione rupturum. *l.2.cont.Acad.c.*2.

Ab illo tempore nunquam ceſſauit inhians in Philoſophiam, atque illam vitam, quæ inter eos placuerat atque conuenerat : & id conſtanter

ſtanter quidem, ſed fortè minùs acriter egit, tametſi ſatis egiſſe ſe putet. *eod. l. & cap.*

Concubina ipſius, cùm intelligeret eum ad vxorem ducendam adieciſſe animum, ab eo in Africam diſcedit, relicto ei filio ſuo: Deoque vouet alium ſe virum neſcituram. At ipſe aliam poſteà aſſumit. *l.6. Conf.cap.*15. Et metu mortis ac iudicij, reuocatum ſe à profundiore voluptatum carnalium gurgite fatetur: qui per varias quidem opiniones nunquam receſſit de pectore ipſius. *eod.l.c.*16.

§. XVII.

Æſtus eius circa Dei naturam, & mali originem.

EX quo aliquid de Sapientia audire cœperat, tametſi non cogitaret Deum in figurâ corporis humani, quē totis medullis credebat incorruptibilem, & inuiolabilem, & incontaminabilem eſſe; quia tamen nihil ei eſſe videbatur, quod ſpatiis locorū erat priuatum, ideò cogitabat eundem, licet ſine corpore, nihilominùs eſſe aliquid corporeum, per ſpatia locorum vndequaq; intra & extra mundum diffuſum: imò terram, cælum, mare, omniaque penetrans & peruadens: eo modo quo lux Solis peruadit corpus totius aëris, non dirumpendo aut concidendo, ſed implendo eum totum. Quàm Dei repræſentationem quia falſa eſt, damnat, *l.* 7. *Conf.c.*1.

Inter alia verò docebant Manichæi, dum peccarent, non ſe peccare, ſed Gentem tenebrarum, quæ bellum geſſit cum Deo, à quo erant cum Gente tenebrarum commixti. Hoc enim dicebant: quod illa Gens tenebrarum rebellauerit aduerſus Deum, antequam mundus fieret: & ille timens & cauens, ne regna eius illo aduenientе hoſtili impetu vaſtarentur; miſit huc membra ſua, ſubſtantiam ſuam, hoc, quod ipſe eſt: ſi aurum, aurum; ſi lux, lucem. Quidquid illud eſt, hoc miſit, & miſcuit viſceribus Gentis tenebrarum, dicunt, & fabricauit inde mundum. Et nos animæ, inquiunt, de ipſis membris Dei ſumus, ſed premimur hîc viſceribus Gentis tenebrarum: & quidquid peccare dicimur, illa Gens peccat. *Enarr. in pſalm.* 140. videri quoque

poteſt *diſp.cont. Fortun.l.de fide cont.Manich. & l.de Agon.Chriſt. c.4.*

Huius dogmatis vanitatem & falſitatem deprehendit argumento Nebridij, quod iam diu ab vſque Carthagine propoſuerat: Deum nimirum incorruptibilem & inuiolabilem eſſe. de qua re vide loca citata, *& l.de mor.Manich.cap.12.* & ideò cùm nihil ei nocere potuerit. Gens tenebrarum;nunquam alicuius pugnæ cauſſam adfuiſſe.*l.7.Conf. cap.2.vide l.cont. Secund.cap.20.*

Cùm itaque Deum incontaminabilem & inconuertibilem, & nulla ex parte mutabilem diceret: firmeque ſentiret non tantummodò bonum, ſed ipſum bonum, omnia omninò quæ creata ſunt feciſſe; cauſſam mali inueſtigat: & licet conſtanter nondum refundat in voluntatem, quam habere ſe tam clarè videbat, ac viuere; *l.de duab. Animab. cap.* 10. horret tamen Manichæorum dogma, quo Deum potiùs malè pati, quam hominem mala facere putabant. *l.7. Conf. cap.3. l.de vtil.cred.cap.18.l.de mor.Manich. cap.11.* Nam cùm ſit incorruptibilis, & optimum bonum; malo, quod corruptio eſt, violari ſubſtantia eius nullo modo poteſt: *l.de duab.animab. cap.12.* ſed neque cogi inuitus ad aliquid, cùm non minùs ſit potens, quàm bonus. *l.7.Conf.cap.4.*

Ergò ſollicitè & ſtudioſè, iterum iterumque omnia perpendens, Deum conſiderabat, tamquam ſi mare eſſet, vbique & vndique per immenſa ſpatia infinitum ac ſolum mare: & haberet intra ſe ſpongiam quamlibet magnam, ſed finitam tamen: & plena eſſet vndique ſpongia illa, ex omni ſua parte, ex immenſo mari: ſicque creaturam omnem finitam, Deo infinito plenam repræſentabat,dicebatque:Ecce Deus, & ecce quæ creauit Deus: & bonus eſt Deus, atque his longè præſtantior; ſed tamen bonus, bona creauit: & ecce quomodò ambit atque implet ea. Vbi ergo malum? Et vnde? Et quà huc irrepſit? Quæ radix, & quod ſemen eius? *l.7.Conf.cap.5.*

Mathematicorum diuinationes, quas pertinaciter etiam anteà defenderat, iam prorſus reiecerat: comperitque omninò ex narratione Firmini, quod non ſecundùm artem, ſed ſorte euenirent, quæ prænuntiarentur.*eod.l. c.6.* Cauſſam itaque mali pergit ſtudioſè inquirere: eouſque prouectus, vt firmiter crederet & eſſe Deum, & incommutabilem eſſe ſubſtantiam ipſius: & curam ei eſſe de hominibus:nec non in filio eius Chriſto Domino noſtro, & auctoritate Scripturarum Eccleſiæ, viam à Deo poſitam ſalutis humanæ poſt mortem. *eod. l. cap.7.*

§. XVIII.

§. XVIII.

Proficit lectione Platonicorum.

His ita habentibus, in libris Platonicorum, à Victorino Rhetore in Latinam tranſlatis, *l.8. Conf. cap.2.* ſibique procuratis per quemdam hominem immaniſſimo typho turgidum, quædam reperit conſentanea doctrinæ Chriſtianæ. *l.7.Conf.c.9.* Qui libri, vt ait Celſinus, vbi bonas res Arabicas exhalarunt in eum; vbi quam habebat flammulæ inſtillarunt pretioſiſſimi vnguenti guttas pauciſſimas; incredibile eſt, quantum in eo concitarunt incendium: non enim tunc eum honor, non hominum pompa, non inanis famæ cupiditas, nullum denique huius mortalis vitæ fomentum, atque retinaculum commouebat. Ita curſim redibat in ſe. Sed reſpexit quaſi de itinere in illam religionem, quæ puero illi inſita erat, & medullitus implicata. *l.2.cont. Acad.cap.2.& l.de vit.beat.*

Itaque tum cœperunt ei diuina, veluti ſi raptus fuiſſet in aliquam extaſin, clariùs innoteſcere: cumque in eam claritatem altiùs prouehi niteretur; radiorum velut vehementiâ repreſſus eſt, viſuſque audire: Cibus ſum grandium: creſce & manducabis me. *l.7.Conf.c.10.* Didicit quoque Deum à Creaturis ex diuerſitate eſſendi diſtinguere: omnia verò quæ ſunt, bona eſſe: ideoque malum non eſſe ſubſtantiam. Quamquam interim illa bona, quia quibuſdam rerum creatarum partibus non conueniunt, mala putentur, neque tamen mala ſint, quia conueniunt aliis: ſuntque in ſemetipſis bona. *eod.l.7.c.11.& 12.*

§. XIX.

Mali originem inuenit.

Eodem ergò tempore, vidit fontem & originem erroris ſui, quo duas ſubſtantias veluti ſummas, ex ſcholâ Manichæorum conſtituebat, eò quòd nolebat eſſe Dei, quidquid animæ ſuæ diſplicebat, malumq; eſſe iudicabat, & proinde non factum à Deo: quem ſolebat corporeum aliquid exiſtimare, per infinita ſpatia locorũ omnium diffuſum. Sed iam conſopita erat illa eius inſania, viditq; Deum infinitum aliter. *eod.l.c.14.* Neque tantummodo infinitum; verùm ab eo, & in eo eſſe

eſſe cuncta finita: non quaſi in loco; ſed quia manu, vt ſic dicam, veritate, Deus omnitenens eſt, atque omnia vera ſunt, in quantum ſunt. Vidit præterea omnia locis ſuis & temporibus conuenire, Deo ſolo, qui temporum auctor eſt, manente æterno. *l. 7. Conf. c. 15.*

Senſit quoque & expertus eſt, omnia bona eſſe, licet quibuſdam non ſint apta: ſicut palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis: & oculis ægris odioſa eſt lux, quæ puris eſt amabilis. Inuenit denique quærendo, iniquitatem non eſſe ſubſtantiam, ſed à ſumma Subſtantia, id eſt Deo, detortæ in infima voluntatis peruerſitatem, proiicientis intima ſua, & tumeſcentis foras. *eod. l. c. 16.* ſiue: Inclinationem ab eo quod maius eſt, ad id quod minus eſt. *l. cõt. Secund. c. 12.* Vide *l. eund. c. 15.*

Deo adhærens fruique deſiderans, quem iam amabat, non pro illo phantaſma; ab eo ſemper pondere ſuo, ſiue conſuetudine carnali deripitur. Vnde licet inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta gradatim tamen conſpiceret, aciem nihilominùs figere nondum valuit. *l. 7. Conf. c. 17.* Cumque viam quæreret comparandi roboris, quo fieret idoneus ad fruendum Deo; non inuenit tamen, donec amplexus eſſet mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, vocantem & dicentem: Ego ſum via, veritas & vita. Id verò tunc nondum fecerat: quia non tenebat Dominum Ieſum Chriſtum, humilis humilem: nec cuius rei magiſtra eſſet eius infirmitas, nouerat. *l. eod. c. 18.*

§. XX.

Error eius in perſona Chriſti.

Etenim per id tempus cùm tantummodò exiſtimaret Chriſtum fuiſſe excellentis ſapientiæ virum, cui nullus poſſet æquari: præſertim quia mirabiliter natus ex Virgine, ad exemplum contemnendorum temporalium pro adipiſcenda immortalitate, diuinâ pro nobis curâ tantam auctoritatem magiſterij meruiſſe videbatur; idcirco quid haberet Sacramenti, Verbum caro factum eſt, nec ſuſpicari quidem poterat. Videri hic error Photinianorum poteſt, *l. de Agone Chriſt. c. 20.* Nam cùm iam noſſet incommutabilitatem Verbi diuini, neque omninò quidquam inde dubitaret; noſſet præterea quæ de Chriſto ſcripta tradebantur, quòd nimirum manducauerit, biberit,

biberit, dormiuerit, ambulauerit, exhilaratus ſit, contriſtatus ſit, ſermocinatus ſit; colligebat carnem humanam non fuiſſe Verbo diuino coniunctam, ſed tantummodò cum animâ & mente humanâ.

Etenim nunc mouere membra corporis per voluntatem, nunc non mouere: nunc aliquo affectu affici, nunc non affici: nunc proferre per ſigna ſapientes ſententias, nunc eſſe in ſilentio: propria ſunt mutabilitatis animæ & mentis. Quæ omnia cùm in Chriſto, vti proditur, reuera fuerint; totum hominem in eo agnoſcebat, non corpus hominis tantùm, aut cum corpore animum ſine mente, ſed ipſum hominem: non perſonâ quidem Veritatis ſiue diuinâ, ſed magnâ quadam naturæ humanæ excellentiâ, & perfectiore participatione ſapientiæ, ceteros omnes ſuperantem. *l.7. Conf.c.19.*

§. XXI.

A Platonicorum libris tranſit ad Scripturæ ſacræ lectionem.

LEctis Platonicorum libris, & ex illis admonitus quærere incorpoream veritatem; inuiſibilia quidem Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpexit: edoctuſque eſt Deum infinitum eſſe, nec tamen per locos finitos infinitoſue diffuſum, & plura eiuſmodi, ob quæ videri iam cœperat ſapiens: attamen ædificantem Charitatem à fundamento humilitatis, quod eſt Chriſtus Ieſus, ibi non repererat. *l. eod. c.20.* Legerat quidem apud Platonicos: Quia Deus Verbum, non ex carne, non ex ſanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo natus eſt: ſed quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis; ibi non legerat. *ibid. c.9.*

Itaque auidiſſimè arripuit Litteras diuinas, & præ ceteris Apoſtolum Paulum: & perierunt illæ quæſtiones, in quibus ei aliquando viſus eſt aduerſari ſibi, & non congruere teſtimonijs Legis & Prophetarum, textus ſermonis eius. *l.7. Conf. c.21.* Tum verò quantulocumque iam lumine aſperſo, maxima ſe illi Philoſophiæ facies aperuit. *l.2. cont. Acad.c.2.* Gratiam enim Dei in omnibus commendari reperit, vt, qui verum videt, non ſic glorietur, quaſi non acceperit non

ſolùm id quod videt, ſed etiam vt videat. Talia enim plura, quæ nonhabent Platonicorum libri, inuiſcerabantur ei miris modis, cùm minimum Apoſtolorum Chriſti legeret: ita Paulum appellans. *l.* 7. *Conf. c.*21.

Cùm igitur omnis dubitatio de incorruptibili ſubſtantiâ, quòd ab illâ eſſet omnis ſubſtantia, ablata ei foret: nec de Deo certior, ſed in illo ſtabilior eſſe cuperet: de ſuâ temporali vitâ dumtaxat nutabant omnia. Et placebat quidem via, ipſe Saluator; ſed ire per eius anguſtias, adhuc pigebat. Hinc licet ei diſpliceret quod agebat in ſæculo, non vltrà nimirum inflammantibus ad tolerandam ſeruitutem tam grauem cupiditatibus honoris & pecuniæ; adhuc tamen tenaciter colligabatur ex feminâ. Præſertim cùm neque Apoſtolus prohiberet coniugari; quamuis exhortaretur ad meliùs, volens maximè omnes homines eſſe vt ipſe erat: & Chriſtus ipſe, poſtquàm dixiſſet eſſe ſpadones qui ſeipſos abſciderunt propter regnum cælorum, addiderit: Qui poteſt capere, capiat. *l.* 8. *conf. c.*1.

§. XXII.

Adit Simplicianum.

OB hoc igitur æſtuanti inſpirauit Deus pergere ad Simplicianum, qui ei bonus apparebat ſeruus Dei. Talem quoque à iuuentute ſuâ fuiſſe audierat: & longâ ætate (iam enim ſenuerat, & in accipienda Dei gratia pater Epiſcopi Ambroſij fuerat) in ſtudio viæ religioſæ ſectandæ multa expertus, multaque edoctus erat. Hunc igitur acceſſit eo fine, vt, quomodo ſic affecto, ambulandum eſſet in viâ Dei (in quâ ſic alius, alius ſic ibat) vtique proferret. *l.*8. *conf. c.*1.

Vbi eum audiuit Simplicianus, gratulatus eſt in primis quòd Platonicos legiſſet, in quorum libris inſinuabatur Deus, & eius Verbum: neque incidiſſet in ſcripta aliorum Philoſophorum, plena fallaciarum & deceptionum, ſecundùm elementa huius mundi. *eod. l. c.* 2. Deinde exhortatus eſt eum ad humilitatem Chriſti, ſapientibus abſconditam, & reuelatam paruulis, exemplo maximè Victorini, Rhetoris

toris

toris quondam vrbis Romæ: qui doctiſſimus ſenex, & omnium liberalium doctrinarum peritiſſimus: quique Philoſophorum tam multa legerat, & dijudicauerat, & dilucidauerat, doctor tot nobilium Senatorum: qui etiam ob inſigne præclari magiſterij, quod ciues huius mundi eximium putant, Statuam in Romano foro (Traiani, vt ſcribit Hieronymus in Chron.) meruerat & acceperat: cùm vſque ad illam ætatem venerator Idolorum fuiſſet; non erubuerat eſſe puer Chriſti, & infans Baptiſmi, mirante Româ, gaudente Eccleſiâ. *eod. l.8. c. 2.*

De Victorino vbi talia audiuit, exarſit illicò ad imitandum. Et poſteaquàm addidit Simplicianus, quòd Imperatoris Iuliani temporibus, lege datâ prohibiti eſſent Chriſtiani docere litteraturam & Oratoriam: eamque legem Victorinus amplexus, loquacem ſcholam deſerere maluiſſet, quàm verbum Dei; non fortior, quàm felicior, Auguſtino viſus eſt: quia inuenerat occaſionem vacandi Deo. Cui rei quamquam & ipſe ſuſpiraret; contrariâ tamen voluntate (quam ferream inolita conſuetudo fecerat, quamque vetuſtate roboratam, noua Deum gratis colendi fruendique voluntas ſuperare non poterat) retrahebatur. Illud placebat & vincebat, hoc lubebat & vinciebat. *lib.8.conf. c.5.*

Vt enim antea excuſationem aliquam ab arctâ Dei ſeruitute habuiſſet, eo quòd nondum percepiſſet veritatem: iam cùm certam haberet, ob nihil aliud equidem Deo militare, contempto ſæculo, recuſabat, quàm quòd adhuc terrâ obligatus, impedimentis omnibus ſic timeret expediri, quemadmodum impediri timendum eſt. *ibid.* Etenim ne in Philoſophiæ gremium celeriter aduolaret, vxoris honoriſque ſe illecebrâ detentum fuiſſe, alibi fatetur: eâ tamen mente, vt, cùm hæc eſſet conſecutus, tum demum ſe, quod paucis feliciſſimis licuit, totis velis omnibuſque remis in illum ſinum raperet, ibique conquieſceret. *L. de Vit. Beat.*

§. XXIII.

Potitianum audit.

CEterùm vinculo deſiderij vxoris atque concubitûs, quo arctiſſimo tenebatur, & ſæcularium negotiorum ſeruitute liberatus eſt potiſſimùm operâ Potitiani, Afri, militis Palatini. Qui cùm ad eum, Alipiumque quodam die veniſſet, attendiſſetque fortè ſuper menſam luſoriam (teſſeras enim honeſtas non reſpuit, *l. 1. cont. Acad. c. 1.*) Apoſtolum Paulum; gratulatoriè miratus eſt, cùm eſſet fidelis Chriſtianus, quòd eas, & ſolas præ oculis ipſius litteras comperiſſet. Hîc verò Auguſtino aſſerente, illis ſe Scripturis maximam nunc operam impendere; ortus eſt ſermo de Antonio Ægyptio Monacho, cuius vitam Potitianus ignorantibus (erat enim recens tum adhuc Antonij magni, Eremitæ vti ſanctiſſimi, ita toto terrarum orbe famigerati exemplum, vt qui tantummodò ab annis circiter triginta, puta 358. ex humanis exceſſerat) recenſuit. Cumque audientes obſtupeſcerent, deuolutus eſt ſermo ad Monaſteriorum greges, & vbera deſerta Eremi: quorum audientes adeò nihil ſciebant, vt nè quidem accepiſſent aliquid de Monaſterio quod Mediolani erat extra vrbis mœnia, plenum bonis fratribus, ſub Ambroſio nutritore. Continuans igitur cœptum ſermonem Potitianus, addidit de duobus qui apud Treueros in casâ monaſticâ, lecto codice de Vita Antonij, rebus omnibus, & quidem ſponſis ſuis etiam neglectis, continuò id vitæ genus amplexi ſint. *l. 8. Conf. c. 6.*

Anno 387. Hiſce narrationibus adeo eſt inter audiendum commotus, vt per admirabilem luctam ſibi ipſi diſpliceret: cùm iam ab vndevigeſimo anno ætatis eius, effluxiſſent fortè anni duodecim. *eod. l. cap. 7.*

Terminato autem ſermone, & abeunte Potitiano, quis eius ſtatus fuerit, ita breuibus deſcribit, Deum alloquens: Abiit ille. Et ego ad me, quæ non in me dixi? quibus ſententiarum verberibus non flagellaui animam meam, vt ſequeretur me conantem ire poſt te? Et renitebatur, recuſabat, & non ſe excuſabat. Conſumpta erant & conuicta argumenta omnia, remanſerat muta trepidatio. *ibid.* Quapropter

propter excitatâ tantâ intùs rixâ cum anima ſua, vt non tantummodò mente, ſed etiam vultu ſeſe turbatio proderet; inuadit Alipium, & exclamat: Quid patimur? quid eſt hoc quod audiſti? Surgunt indocti, & cælum rapiunt: & nos cum doctrinis noſtris, ecce vbi volutamur in carne & ſanguine. An quia præceſſerunt, pudet ſequi, & nec pudet ſaltem ſequi? Et cum dicto abceſſit in hortulum, qui domui hærebat, premente pede pedem Alipio. *l.8. Conf.c.8.*

§. XXIV.

Sub ficu proſtratus, voce è cælo miſſâ admonetur.

IBi fremebat ſpiritu, indignans turbulentiſſimâ indignatione, quòd non iret in placitum pactumque cum Deo, in quod eundum eſſe omnia eius oſſa clamabant, & in cælum tollebant laudibus. *Ibid.* Eique diſplicebat, quòd faciliùs obtemperaret corpus tenuiſſimæ voluntati animæ, vt ad nutum mentis membra mouerentur; quàm ipſa ſibi anima, ad voluptatem ſuam magnam in ſolâ voluntate perficiendam. *eod. l. & c.* Excruciabatur igitur, accuſans ſemetipſum ſolitò acerbiùs, voluenſque ac reuoluens in ſuo vinculo, donec totum abrumperetur: quo licet iam exiguo teneretur, tenebatur tamen: Deo intereà in eius animo ingeminante flagella timoris & pudoris, ne à conatu abrumpendi vinculi ceſſaret, donec eſſet continenter abruptum. *l.8. Conf. c.11.*

Ibi, quantum à ſanctioris vitæ propoſito deterrere eum conabantur nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ ipſius; tantum attrahebat caſta dignitas Continentiæ, extendens ad eum ſuſcipiendum manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Quaſi diceret: Tu non poteris quod iſti & iſtæ? An verò iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum dedit me eis. Quid in te ſtas, & non ſtas? Proijce te ſecurus in eum: noli metuere, non ſe ſubtrahet vt cadas. Proijce te ſecurus: excipiet te, & ſanabit te. Cumque adhuc talia ſuggerente Continentiâ, veterum ſuarum nugarum murmur audiret, quo veluti cun-

ctabundus pendebat; rurſus illa quaſi dixit: Obſurdeſce aduerſus immunda illa membra tua: narrant tibi delectationes, ſed non ſicut lex Dei tui. *l.* 8. *Conf. c.*11.

Huius controuerſiæ non niſi de ſeipſo aduerſus ſeipſum, cùm inuſitato motu ederentur, exitum Alipius, qui iuxtà aſſidebat, tacitus opperiebatur. *ibid.* Sed vbi alta conſideratio contraxit & congeſſit ante oculos cordis eius totam miſeriam ipſius, ſiue exactam perditè ætatem; oborta eſt procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrymarum: quem vt totum cum vocibus ſuis effunderet, quarum ſonus iam fletu grauidus erat, ſurrexit, & ab Alipio ſeceſſit, ſeque ſtrauit ſub quadam fici arbore. Vbi laxatis lacrymarum habenis prorupe-runt flumina oculorum ipſius, intermixtis ferè eiuſcemodi vocibus: Et tu Domine vſquequò? vſquequò Domine iraſceris in finem! Ne memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum. à quibus ſcilicet teneri ſe ſentiebat. Præterea: Quamdiu, Quamdiu cras & cras? Quare non modò? quare non hac horâ finis turpitudinis meæ? *l.* 8. *Conf. c.* 12.

Hæc dicens, & amariſſimâ cordis contritione plorans, audit de vicina domo vocem, cum cantu dicentis & crebrò repetentis, quaſi pueri vel puellæ: Tolle lege: Tolle lege. *ibid.* Mutato vultu, in-tentiſſimus cogitare cœpit, vtrùmnam ſolerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid: neque occurrebat audiuiſſe ſe vſpiam. Quare interpretabatur, quod erat, diuinitùs ſibi iuberi, vt aperiret codicem, & legeret quod primum caput inueniſſet. Meminerat enim Antonij, quòd ex Euangelica lectione, cui fortè ſuperuenerat, admonitus; Vade, vende omnia, &c. confeſtim fuiſſet ad Deum conuerſus. *eod. l. & c.*

Repreſſo igitur lacrymarum impetu, ſurrexit, concituſque redijt ad locum vbi ſedebat Alipius, quia ibi codicem Apoſtoli reliquerat. Eum arripit, aperit, & legit in ſilentio capitulum, quò pri-

*Rom.*13. mùm conjecti ſunt oculi: *Non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione; ſed induite Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiſcentijs.* Vltrà non legit, neque opus erat: ſtatim quippe cum fine huiuſce ſententiæ, quaſi luce ſecuritatis infusâ cordi ipſius, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt. *l.*8. *Conf. c.*12.

Id vbi indicauit Alipio, iſque lectionem Apoſtoli proſequens of-fendiſſet:

fendiſſet: *Infirmum autem in fide aſſumite*; ad ſe retulit: adeò vt ſine Rom. 14. cunctatione, placito propoſitoque bono, Auguſtino coniunctus ſit: Matre, poſtquàm iiſmet narrantibus rem intellexit, gaudio exultante, Deoque benedicente, quia amplius ſibi de filio conceſſum vidit, quàm petere ſolebat miſerabilibus gemitibus. *l.8. conf.c.12.*

§. XXV.

Ad Deum conuertitur.

AD Deum igitur ita iam conuerſus erat, vt neque vxorem quæreret: *ibid.* neque honores: *l.1. ſoliloq. c.* 10. neque aliquam ſpem ſæculi huius. *l.8. conf. c.* 12. Et quidem vxorem quod attinet, quo vinculo omnium arctiſſimo tenebatur; quantumcumque pulchra & cumulata bonis omnibus foret, nihil tam fugiendum ſibi, quàm concubitum eſſe decreuit. Sentiebat enim nihil eſſe, quod magis ex arce deijciat animum virilem, quàm blandimenta feminea, corporumque ille contactus, ſine quo vxor haberi non poteſt. Itaque ſi ad officium pertinet Sapientis, dare operam liberis; quiſquis rei tantùm huius gratiâ concumbit, mirandus ei videri poteſt, nullo verò modo imitandus: nam tentare hoc periculoſiùs eſt, quàm poſſe feliciùs. Quamobrem ſatis iuſtè, vt credit, atque vtiliter pro libertate animæ ſuæ, ſibi imperauit non cupere, non quærere, non ducere vxorem. *l.1. ſoliloq. c.*10.

Stabat ergò iam in ea regulâ fidei, in quâ futurum illum ante tot annos matri eius Deus reuelauerat: cuius proinde gaudium, ſicuti erat multò vberius quàm voluerat; ita quoque charius atque caſtius, quàm de nepotibus carnis ipſius, requirebat. *l.8. conf. c.*12.

Vbi itaque hæc vincula dirupta ſunt, & carere ſuauitatibus nugarum, factum ei ſubitò ſuaue; eo quòd pro eis intraret Deus, eaſque eijceret: liberum habuit animum à curis mordacibus ambiendi & acquirendi, & volutandi atque ſcalpendi ſcabiem libidinum: tantumque reſtabat excutiendum onus lectionis publicæ. *lib. 9. conf. cap. 1. & 2.*

Id verò placuit non tumultuosè, ſed leniter abrumpere: præſertim

tim cùm iam pauciſſimi dies (viginti circiter) ſupereſſent, vſque ad vindemiales ferias. Illos igitur, vt ſollemniter abcederet, neque videretur captare inanem aliquam gloriam ex bono ſuo propoſito, quod inter eos conuenerat ne paſſim effunderetur; tolerare adhuc ſtatuit. Quamquam magiſterij ſarcinam penè iam neceſſitate, ſi non deponere, ſaltem intermittere cogebatur: eo quòd æſtate illâ adeo pulmone doloribuſque pectoris laboraſſet; vt is etiamnum & difficulter traheret ſuſpiria, vocemque clariorem & productiorem recuſaret. *l. 9. conf. c. 2.*

Elapſis totidem diebus, profeſſionem frænauit maximâ animi lætitiâ, profectuſque eſt cum ſuis omnibus (quorum hæc nomina ſunt: Monica, Nauigius, Adeodatus, Alipius, Trigetius, Licentius, Laſtidianus & Ruſticus) in villam Caſſiciacum: quam benignè Verecundus obtulit, hoc vnico ſummopere triſtis, quòd ob coniugem quam habebat, huius eſſe pars ſocietatis non poſſet. *eod. l. c. 3. & 4.*

§. XXVI.

In villa Caſsiciaco, Catechumenus ſcribere incipit.

IBi iam Catechumenus, *prolog. ll. Retract. & l. 9. conf. c. 4.* ad ſcribendum animum applicuit: ac primùm pauculis diebus tranſactis poſtquàm in agro viuere cœperant, *l. 1. cont. Acad. c. 1.* inchoauit libros contra Academicos: vt eorum argumenta (quæ multis ingerunt veri inueniendi deſperationem, & prohibent cuiquam rei aſſentiri, & omninò aliquid tamquam manifeſtum certumque ſit, approbare ſapientem; cùm eis omnia videantur obſcura & incerta) ab animo ſuo, quia & eum mouebant, quantis poſſet rationibus amoueret. *l. 1. Retract. c. 1.*

Hos libros (quibus finem impoſuit, anno ætatis trigeſimo tertio, *l. 3. cont. Acad. c. 20.* completo, vt apparet: adhibitoque Notario conſcripti ſunt, *l. 1. cont. Acad. c. 1.*) eloquentiâ pariente, & obſtetricante amœnitate, dedicauit Romaniano mœcenati ſuo admodum munifico: cui nimirum iam tum referebat acceptum, quidquid de

de otio ſuo gaudebat: quod à ſuperfluarum cupiditatum vinculis euolauerit: quod depoſitis oneribus mortuarum curarum reſpiret, reſipiſcat, redeat ad ſe: quod quærat intentiſſimus veritatem, quod iam inuenire aggrediatur, quod ſe ad ipſum ſummum bonum peruenturum eſſe confidat. *l. 2. cont. Acad. c. 2.*

Ad eumdem poſtea ſcripſit librum De vera Religione: *eiuſd. l. c. 7.* denique neſcire ſe, quod aliquid ſiue ad eorum qui extra Eccleſiam Dei ſunt, ſiue ad aures fratrum ſcripſerit, quod non habeat Romanianus, ait *Epiſt. 32.* Erat is, vti opibus affluens, ita generis nobilitate conſpicuus, Ciuis Tagaſtenſis: magni animi, neque minoris ingenij, ſed Manichæis erroribus obnoxij: qui tantam vtique felicitatem per id tempus, iuxta cum pluribus alijs tricis & litibus (quas indignis modis patiebatur, & plerumque diuitias ſequi ſolent) obnubilabant: vt videre eſt *l. 1. cont. Acad. c. 1.* Emerſit nihilominùs ope Dei, operâque Auguſtini Romanianus: in Italiâ ſubinde Paullino Nolano ſummâ amicitiâ, & litterarum commercio coniunctus. *Epiſt. 36. apud Aug.*

Adhæc ruri exiſtens Auguſtinus internis gratiæ diuinæ ſtimulis vehementer perdomitus eſt, & complanati prorſus ſunt cogitationum ipſius montes & colles. *l. 9. conf. c. 4.* Vnde tametſi penè quotidianis Deum fletibus rogaret, vt ſanarentur quæ habebat animi vulnera; indigniorem tamen eſſe ſe, qui tam citò ſanetur quàm vellet, ſæpe ſemetipſum conuincebat. *l. 1. de Ord. c. 10.*

Pſalmos Dauid præterea (quos Cantica fidelia, & ſonos pietatis excludentes turgidum ſpiritum, appellat) intermixtis vocibus ad Deum internis externiſque, deuotiſſimè recitabat: exardens eoſdem recitare ſi poſſet toto orbe terrarum, aduerſus typhum generis humani. Quapropter indignabatur Manichæis, eoſque rurſus miſerabatur, quòd illa Sacramenta, illa medicamenta neſcirent, & inſani eſſent aduerſus antidotum, quo ſani eſſe potuiſſent. Peculiariter tamen commotus fuit meditatione Pſalmi quarti, Cùm inuocarem &c. *l. 9. conf. c. 4.* Atque hâc Pſalmorum commentatione, dum animi ſui affectus pientiſſimè fouet & paſcit, exiſtimo eum orationem illam B. Monicæ concinnaſſe, quæ nuncupatur Pſalterium (quod matri compoſuit, habeturque inter eius legitima & proba, fine Tomi IX.) deuotionis ictibus calidiſſimè micans, & digna planè, quæ ſit precum Chriſtiani hominis quotidianum penſum.

§. XXVII.

Profeſsioni Rhetoricæ renuntiat. Quædam ab eo tum ſcripta.

PEractis interea vindemialibus ferijs; Mediolanenſibus renuntiauit vt ſcholaſticis ſuis alium magiſtrum prouiderent, eo quòd ſeruire ipſe Deo ſtatuiſſet, & profeſſioni priſtinæ, præ difficultate ſpirandi, ac dolore pectoris non ſufficeret. *l.* 9. *conf. c.* 5.

Idibus porrò Nouembris, die ſuo Natali, quo ætatis trigeſimum tertium compleuit annum, cœpit diſputare cum ſuis de Vita Beata: vbi tridui diſputatione conſtitit, non eſſe beatam vitam, niſi perfectam cognitionem Dei. *l.* 1. *Ret. c.* 2. Hic liber, Manlio Theodoro inſcriptus eſt: quem inter amicos Mediolani habuiſſe colligitur ex initio, vbi ſe aliquando in ſermonibus ipſius animaduertiſſe ait, cùm de Deo, deque anima cogitaretur, nihil omninò corporis eſſe cogitandum. *l. de Vit. Beat* Fuit vir doctus, & religione Chriſtianus: *l.* 1. *Ret. c.* 2. idem cum Manilio, cuius exſtat Aſtronomicum verſibus conſcriptum *Caſp. Genartius ad Statij Sylu.* In Conſulatu, quem Romæ geſſit anno 399. panegyrico laudatus à Claudiano Poëta. *Miræus in Chron.* Ceterùm occaſione Natalitiorum ſuorum Auguſtinus exhibuit conuiuis prandium ſolitò lautius. *l. de Vit. Beat. diſp.* 1.

Anno 388. Paullò pòſt, atque inter libros de Academicis, duos de Ordine ſcripſit: in quibus quæritur, vtrùm omnia bona & mala, diuinæ prouidentiæ ordo contineat. *l.* 1. *Ret. c.* 3. Hos libros in autumno ſcribi cœpiſſe, patet ex cauſſa quam aſſignat Licentius, cur alternaret ſonus aquæ, vt nunc clariùs, nunc preſſiùs ſtreperet, ſilicibus irruens per meatum ſuum: *l.* 1. *de Ord. c.* 3. imò tantumnon hieme. *l.* 2. *de Ord. c.* 1. Sunt verò ad Zenobium ſcripti, *l.* 1. *de Ord. c.* 1. quem etiam inter amicos Mediolani habuiſſe apparet *lib.* 1. *de Ord. cap.* 7. & 9.

Atque hanc ſcribendi fœcunditatem minùs admirari debemus, quando amor inueniendi veri, iam in conſuetudinem ei verterat: vt aut primam, ſi tales curæ inerant, aut certè vltimam, dimidiamque tamen

tamen ferè noctis partem peruigil quodcumque cogitaret. *l.* 1. *de Ord. c.* 3. *&* 5. Sed neque interea ceſſabat à gemitu, lacrymis & oratione. *eod. l. c.* 5. 8. *&* 10.

§. XXVIII.

A dentium dolore miraculosè ſanatur.

PEr id tempus tantus eum inuaſit dentium dolor, vt nihil maius aliquando pertuierit. *l.* 1. *ſoliloq. c.* 12. Loqui enim præ dolore non poterat: *l.* 9. *conf. c.* 4. neque ſinebatur animo voluere, niſi ea quæ iam fortè didicerat: à diſcendo autem penitus impediebatur, ad quod ei totâ intentione animi opus erat. Videbatur ei nihilominùs, ſi ſe mentibus ipſius quem deſiderabat veritatis fulgor aperiret; aut ſe non ſenſurum fuiſſe illum dolorem, aut certè pro nihilo toleraturum. *c.* 1. *ſoliloq. c.* 12.

Huic dolori vt mederetur, aſcendit in cor eius, admonere omnes ſuos qui aderant, vt deprecarentur pro ſe Deum. idque ſcripſit, loquelæ impos, in ceratis tabulis: deditque vt legeretur. Mox vt genua ſupplici affectu fixerunt; fugit dolor ille, eo ſanè modo, quem ſe fatetur expauiſſe: nihil enim tale ab ineunte ætate expertus fuerat. *l.* 9. *conf. c.* 4.

§. XXIX.

Ambroſium conſulit per litteras, &c.

INſinuauit ſubinde per litteras S. Ambroſio priſtinos errores ſuos, & præſens ſuum votum: vt ab eo eliceret, quid potiſſimum de libris ſanctis legendum iudicaret, quò percipiendæ Chriſtianæ gratiæ paratior aptiorque fieret. Iuſſit Ambroſius Eſaiam Prophetam: cuius primam periodum non intelligens, totumque talem arbitrans, diſtulit repetendum, vbi exercitatior eſſet in Dominico eloquio. *l.* 9. *conf. c.* 5.

Etenim nullâ iam peſte detinebatur, nihilque præter Sapientiam amabat: cetera verò, vt ſunt amici, honores, vita ipſa; non niſi propter iſtam quærebat aut volebat. *l.* 1. *ſoliloq. c.* 11. 13. & 14. Porrò à libidine adeò iam erat alienus, vt etiam cum horrore atque aſpernatione, talia recordaretur, *eod. l. c.* 10. Neque tamen diffitetur, eius rei adhuc aliquid curandum remanſiſſe. *eod. l. c.* 14. Quamobrem flere non durans: nihil promittit, nihil præſumit, &c. *ibid.*

Iam quod cibos attinet, ea quæ ſtatuit non edere, nihil eum commouebant: ijs verò quæ nondum amputauerat, delectari ſe præſentibus fatebatur; ita tamen vt ſine vlla permotione animi, vel viſa, vel guſtata ſubtrahantur. Cùm autem non adſunt; prorſus non audet eius appetitio ſe inſerere ad impedimentum cogitationibus ipſius. Summa: de cibo & potu & balneis, ceteráque corporis voluptate, tantum petit, quantum in valetudinis opem conferri poteſt. *l.* 1. *ſoliloq. c.* 10.

Inter hæc, ſcripſit duo volumina, ſecundùm ſtudium ſuum, & amorem rationis indagandæ veritatis: de his rebus, quas maximè ſcire cupiebat, ſemetipſum interrogans ſibique reſpondens, tamquam duo eſſent. Vnde hoc opus, Soliloquia nominauit: *l.* 1. *Ret. cap.* 4. nouo quidem & fortaſſe duro nomine; ſed ad rem demonſtrandam ſatis idoneo. *l.* 2. *ſoliloq. c.* 7. Hos libros videtur ipſemet ſcripſiſſe, non dictaſſe. *l.* 1. *ſoliloq. c.* 13. *coll. cum* 1. cùm ageret annos triginta-quatuor: *eod. l. c.* 10 Imperfecti remanſerunt. *l.* 4. *Ret. c.* 4. Denique ruri exiſtens, quæ diſputauerit cum abſente Nebridio, teſtantur epiſtolæ: *l.* 9. *conf. c.* 4. quarum vna eſt, *Epiſt.* 151.

§. XXX.

Mediolanum reuerſus, baptizatur.

INde vbi tempus aduenit, quo nomen eum dare oporteret, relicto rure cum ſuis Mediolanum remeauit. *l.* 9. *conf. c.* 6. Iſtic ſcripſit librum de Immortalitate Animæ: *l.* 1. *Ret. c.* 5. & conatus eſt libros diſciplinarum ſcribere, ſed è quibus ſolùm de Grammatica abſoluere potuit. De dialectica, de Rhetorica, de Geometria, de

Arithme-

Arithmetica, de Philoſophia, ſola principia remanſerunt. De Muſica, libros ſex: quamquam ſextus, poſt Baptiſmum adhuc, in Africa conſcriptus ſit: *lib.* 1. *Ret. cap.* 7. *&* 11. cuius præ ceteris meminit, *Epiſt.* 131.

Cùm in eadem Ciuitate Mater ei adeſſet, & ſollicitudinem gereret (ipſis adhuc Catechumenis parum iſta curantibus) vtrùm ſecundum morem ſuæ ciuitatis, ſibi eſſet Sabbato ieiunandum, an Eccleſiæ Mediolanenſis more prandendum? vt hâc eam cunctatione liberaret, conſuluit Ambroſium. At ille: Quid poſſum, inquit, hinc docere amplius, quàm ipſe facio? Etenim Sabbato ipſe prandebat. Quapropter adiecit: Quando hic ſum, non ieiuno Sabbato: quando Romæ ſum, ieiuno Sabbato: & ad quamcumque Eccleſiam veneritis, inquit, eius morem ſeruate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere. Quod reſponſum retulit ad matrem, eique ſuffecit, nec dubitauit eſſe obediendum. Hoc etiam ipſi ſecuti ſunt. *Epiſt.* 86. *&* 118. *& ſerm.*43. *de Verb.Dom.c.*4.

Propinquantibus igitur diebus ſanctis Paſchæ, *Poſsid.c.*1. Ambroſio Chriſti miniſtro lauacrum regenerationis accepit. *l.* 1. *cont. Iul. c.*3. *l.* 1. *de nupt. & concup. c.* 35. *Epiſt.* 112. *cap.* 23. Placuit & Alipio renaſci cum eo in Chriſto: adiunxitque etiam ſibi puerum Adeodatum quindecennem: *l.*9.*conf.c.*6. denique multi alij fratres cum illo Baptizati ſunt. *Enarr. in Pſ.* 36.

§. XXXI.

Hymnus, Te Deum Laudamus.

HVic verò rei nihil par ab initio Eccleſiæ fuit, nil eſt ſecundum: quod baptizato videlicet Auguſtino, ad agendas Deo optimo maximoque gratias, incinuiſſe Ambroſium ferunt, Te Deum Laudamus: & reſpondiſſe Auguſtinum, Te Dominum confitemur: eorumque alternis vocibus, ſuauiſſimum hymnum ad finem vſque eſſe compoſitum: quem porrò quotidiano iubilo frequentare Eccleſia vniuerſa non ceſſat.

Darij Epiſcopi Mediolanenſis (cuius præclarè meminit D. Gregorius

gorius l. 3. Dialog. c. 4.) citant plerique hæc verba Chronico l. 10.
» c. 1. Deo opitulante, à beato Ambroſio, cunctis fidelibus adſtanti-
» bus, & videntibus, baptizatus & confirmatus eſt (Auguſtinus:)
» in quibus fontibus prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis, Te Deum
» laudamus decantantes, cunctis qui aderant audientibus & videnti-
» bus, ſimulque mirantibus ediderunt, quod ab vniuerſa Eccleſia Catholica vſque hodie tenetur, & religioſè decantatur. Hactenus Datius apud Cruſen. p. 1. c. 5.

His ita peractis fugit ab eo ſollicitudo vitæ præteritæ. Nec ſatiabatur illis diebus dulcedine mirabili, conſiderando altitudinem conſilij diuini, ſuper ſalute generis humani. Flebat verò in hymnis & canticis plurimum, ſuaue ſonantis Eccleſiæ vocibus commotus acriter: quas dum auribus hauriebat, eliquabatur in cor eius veritas, & ex eâ æſtuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & benè illi erat cum illis. *l. 9. conf. c. 6.*

§. XXXII.

Cum Baptiſmo Monachiſmum ſuſcipit.

VItæ communis deſiderium, quod mente pridem agitauerat, adeò non euanuit; vt iam tum ſimul exiſtentibus, ſimul habitantibus placito ſancto, Euodius ſeſe adiunxerit, ex Tagaſtenſi municipio: qui Agens in rebus, relictâ ſæculari illâ militiâ, ante eos conuerſus & baptizatus fuerat. *l. 9. conf. c.* 8. Hic eſt Euodius, de cuius doctrina atque eruditione paullò pòſt dicturi ſumus, Hieronymo ob id minimè ignotus (vt quem ſalutans, Dominum ſuum vocat, *Epiſt. 26.*) Vſalenſis demum Epiſcopus, hæreticorum hoſtis acerrimus, vt tum legationes eius indicant, tum plagæ & verbera, quæ ab hæreticis pertulit, ſed citra mortem, vt dicemus infrà.

Cùm verò ſollicitè quærerent, quiſnam locus eos omnes vtiliùs haberet, ſeruientes Deo; pariter remeabant in Africam. *l. 9. conf. c. 8.* Etenim ex intimis cordis medullis ſpem omnem quam habebat in ſæculo, Auguſtinus dereliquerat: non iam vxorem, non filios carnis, non diuitias, non honores ſæculi quærens, ſed ſoli Deo cum ſuis

ſeruire:

ſeruire: in illo & ex illo puſillo grege eſſe ſtudens, quem Dominus alloquitur, dicens: *Nolite timere puſillus grex, quoniam complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Vendite quæ poſſidetis, & date eleëmoſynam: facite vobis ſacculos non veteraſcentes, theſaurum non deficientem in cælis*, &c. Et illud, quod iterum dicit Dominus, idem vir ſanctus facere cupiens: *Si vis eſſe perfectus, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis: & veni, ſequere me*: Et ſuper fidei fundamentum ædificare deſiderans, non ligna, fœnum, ſtipulam; ſed aurum, argentum & lapides pretioſos. *Poßid. c.* 2.

Quæ à ſe in præparatione animi antè facta, ac tum effectu completa affirmat, vbi ait: Ego qui hæc ſcribo, perfectionem de qua Dominus locutus eſt, quando ait diuiti adoleſcenti, *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me*, vehementer adamaui, & non meis viribus, ſed gratiâ ipſius adiuuante ſic feci. Neque enim quia diues non fui, ideo minus mihi imputabitur. Nam neque ipſi Apoſtoli, qui priores hoc fecerunt, diuites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quantum autem in hac perfectionis viâ profecerim; magis quidem noui ego, quàm quiſquam alius homo, ſed magis Deus quàm ego. Et ad hoc propoſitum, quantis poſſum viribus, alios exhortor: & in nomine Domini habeo conſortes, quibus hoc per meum miniſterium perſuaſum eſt. *Epiſt.* 89. *in fine.* Id quàm verum fuerit, colligere eſt ex *Epiſt.* 38. 39. & 70. Eodemque facit, quòd eos homines quos tum diligebat, vel viuere, vel ſecum viuere, non ob aliud vtique cupiàt; quàm vt animas ſuas, & Deum, ſimul concorditer queant inquirere. *l.* 1. *ſoliloq. c.* 12.

Quæ omnia conſiderans mater eius Monica, quinto die ante lethiferam ægritudinem ſuam, dicebat: Fili, quantum ad me attinet, nulla iam re delector in hac vitâ. Quid hîc faciam adhuc, & cur hîc ſim, neſcio, iam conſumtâ ſpe ſæculi huius. Vnum erat, propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, vt te Chriſtianum Catholicum viderem, priuſquam morerer. Cumulatiùs hoc mihi Deus meus præſtitit, vt te etiam contemtâ felicitate terrenâ, ſeruum eius videam. Quid hîc facio? *l.* 9. *conf. c.* 10. & 11. Sunt verò ſerui Dei, Monachi *Epiſt.* 70.

Neque ſanè oportet vllum hominem hoc Auguſtini factum admirari, qui conſiderare voluerit non paucos eâ tempeſtate, ſub ipſum

Bapti-

Baptiſmum ad monaſticam diſciplinam feſtinaſſe. Nam & idem Paulinus fecit, arctiſſima demum amicitiâ Auguſtino coniunctus, ſimul atque anno ætatis ſuæ duodequadrageſimo ſpiritum auræ vitalis, id eſt, baptiſmum hauſiſſet. Solebant quippe nonnulli, ponderatá legis Chriſtianæ perfectione, contenti Catechumenorum ordine, reſeruare Baptiſmum in tempus illud, quoſe magis idoneos ad eam præſtandam arbitrabantur: indigniſſimum rati, obligatam Deo fidem fallere. Simul ergò vitalibus vndis renaſci ſtatuerant, & conſeruatâ cœleſtis originis dignitate, opere præſtare quod ſpopondiſſent; putà, vt ſatanæ & mundo & pompis eorum renuntiarent, (quod in populari deprauatione peræg rè fieri videbant poſſe) ſeueriorem diſciplinam capeſſebant. Id verò Auguſtinum feciſſe nemo negabit, qui vel perfunctoriè dumtaxat, plures eius Poſſidijque ſententias legerit, quas antè retulimus.

§. XXXIII.

Romæ, poſt Baptiſmum pleraque conſcribit.

IGitur cùm iam baptizatus Romam profectus eſſet, neque ferre tacitus poſſet Manichæorum iactantiam de falſa & fallaci continentia, vel abſtinentia, quâ ſe ad imperitos decipiendos, veris Chriſtianis, quibus comparandi non erant, inſuper præferebant, ſcripſit duos libros: vnum De moribus Eccleſiæ Catholicæ: alterum De moribus Manichæorum. *l.* 1. *Ret. c.*7. Horum poſteriorem legat oportet, qui non tantummodò fabulas atque ineptias, ſed & blaſphemias ſacrilegiaque Manichæorum noſſe impreſsè deſiderat: neque ſolùm in quantis tenebris, & in quanta falſitate verſati fuerint; verumetiam quantæ ſint vanitatis tria ſignacula, Oris, Manuum & Sinûs, quæ in ſuis moribus, magnâ laude ac prædicatione iactabant.

Anno 389. Scripſit in eadem vrbe Dialogum, in quo de Anima multa quæruntur ac diſſeruntur: nempe, Vnde ſit: Qualis ſit: Cur corpori fuerit data: Cùm ad corpus venerit, qualis efficiatur; qualis, cùm abſceſſerit? Sed quoniam quanta ſit, diligentiſſimè ac ſubtiliſſimè hîc diſputatum eſt, vt eam ſi poſſet, oſtenderet corporalis quanti-

quantitatis non eſſe, & tamen magnum aliquid eſſe: ex hac vna inquiſitione, totus liber nomen accepit, vt appelletur De Animæ quantitate. *l.* 1. *Ret. cap.* 8.

Denique cùm Romæ adhuc demoraretur, ſub inquiſitione vnde ſit malum: cùm ſufficienter ratione diſcuſsâ conſtaret non aliundè, quàm ex libero voluntatis arbitrio exortum; libros tres conſcribere cœpit, quibus titulum fecit De Libero Arbitrio: quorum ſecundum & tertium in Africâ Presbyter ordinatus abſoluit. *eod. l. cap.* 9. In eis cum Euodio loquitur, præſtantis ingenij & doctrinæ viro, vt apparet ex iis litteris quas vltrò citroque ſcripſerunt ambo. Subtiles enim & arduæ plerumque quæſtiones eiſdem continentur; quarum auidus ſciendi Euodius, reconditæ doctrinæ fecundiſſimum magiſtri ſui pectus pulſabat. *Epiſt.* 98. 246. 247. 259. 99. 100. 101. & 102.

Vt ſcias autem in eiuſmodi argumentis ſapere Euodium didiciſſe, vnicum ſaltem ſpecimen habe, dum Auguſtino ſcribens ait: Quia Epiſtolas Sanctitatis tuæ, vnâ ad illuſtrem Virum Voluſianum, & alteram ad Italicam illuſtrem in Chriſto feminam, in manibus legentes habuimus; occurrit quod in Epiſtola, de Domini Ieſu Chriſti Dei noſtri carnali in Virgine Conceptione, & ex eâ natiuitate, poſuiſti: *Si ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare:* & viſum eſt poſſe de omni natiuitate, vel hominis, vel cuiuſlibet animantis, vel ſeminis, tale aliquid dici. Si ratio enim eius quæratur, non indagabitur, & erit mirabile: & ſi exemplum poſcatur, quia nihil tale ſit in exemplis, erit ſingulare. Neque enim quis conuentus viri & feminæ, vel cuiuſlibet conceptionis aliquando, quod in ſecreto formatur, ratione poterit exponi. At verò ſeminum ex terra naſcentium, primitùs putreſcentium, poſteà fructificantium, nulla ratio inuenietur. Non enim & hoc mirabile non eſt, vermem vnum, ſine vllo parente, ſi ad ſingularitatem aliquid requiratur, intra pomum virgineo conceptu formatum, perfectum inueniri? Vnde ad exemplum arbitror dictum: Ego ſum vermis & non homo. De conceptionibus ſiue coniunctorum, ſiue ſingularium, neſcio quænam poſſit ratio exhiberi.

Non ergo de conceptione Virginis non tantùm redditur; ſed de nulla quidem arbitror conceptione poſſe perſolui rationem. Sed exemplum poſcitur. Ecce de vento dicuntur equæ; & de cinere, gallinæ; & de aqua, anates; & alia nonnulla animalia, ſine virili ſemine,

fetus proprios edere. Certè ſi integræ non edunt, poſſunt tamen illibatæ concipere. Quomodo ergo ponitur, ſi exemplum poſcitur non erit ſingulare, quando tot exempla præcedunt? Naſci enim in corporibus non ſolùm femineis, verùm etiam virorum (intrinſecus dico) quædam animalia, notum eſt omnibus: numquid & ibi ſemen facit conceptionem? Ecce exempla, ecce miracula, de quibus ratio nullatenus redditur.

Aut ſi ad hoc redditur, quia in Virgine homine, nihil tale vnquam contigit; tamen ſunt exempla in aliis rerum naturis, quia nata, & ſine feminibus concipiuntur, ex quibus penitùs ratio reddi nequaquam poteſt. Tandem & in generatione, eſt aliquid tale inuenire, quod ſic edat partus vt integritas naturæ non violetur. Soleo enim audire quod aranea, ſine vllâ virili conceptione & partûs corruptione, illa omnia fila, ex quibus tentis hærere ſolet, ſecundùm naturæ ſuæ modum proferat mirabiliter, & ſibi tantum quaſi ſingulare præſtiturā eſſe demonſtrat. Ergo ſi & hoc quæratur; non tantùm mirabile eſt, ſed & exempla talium rerum dari nullatenus poſſunt. Metuo enim ne ob hoc ipſa præceſſerint in exemplis, vt qui non credidiſſent Virginem concipere poſſe, his exemplis conuincerentur, &c. *Epiſt.* 247.

Ex quibus, licet haud reperiam Auguſtinum per litteras, Euodij argutias diſſoluiſſe; attamen ſatis eius acrimonia pateſcit, dum talibus quid reſpondendum ſit percunctatur: Non enim certamina, inquit, ſemino; ſed quemadmodum inſidioſis reſpondeatur interrogo. Ego tamen ſic credo Virginis conceptionem & partum, quomodo ſemper credidi. *ead. Epiſt.*

Alibi quoque, dum nodus quem propoſuerat Euodius, vindice dignus haberi poſſet; eundem ipſi Euodio ſi potuerit, proponit Auguſtinus ſoluendum: *Epiſt.* 99. adeò vt planè iudicauerit idoneum, quem faceret in tanto argumento (quale tum erat Liberum Arbitrium, & ſtatus hominis conditi à Deo) collocutorem.

Vti verò mirabile prorſus eſt, conuerſum recenter Auguſtinum, ingenio ſuo ſulcos in eum agrum ducere potuiſſe; ita haud minùs eſt quòd paullò pòſt Presbyter, operi anteà inchoato coronidem impoſuerit: cùm interea nullo magiſtro vſus, ſolam ſui ſtudij incudem, ſed opitulante gratiâ diuinâ, continenter fatigaſſet.

In his igitur libris plurima ſubtilitas, ſummo ingenio iudicioque prognata. Et quamquam eis agat contra Manichæos, qui negabant

ex

ex libero voluntatis arbitrio mali originem educi: contendebantque Deum creatorem omnium naturarum, culpandum eſſe: volentes nimirum immutabilem quandam, & Deo coæternam introducere mali naturam: atque ideò de Gratia Dei (quâ ſuos Electos prædeſtinauit, vt eorum, qui in eis vtuntur libero arbitrio, ipſe etiam præpararet voluntates;) ideò, inquam, nihil ex propoſito in his libris diſputatum ſit de Gratia; attamen vbi incidit eius commemorandæ locus, id tranſeunter factum eſt, non quaſi de ea, operosâ ratiocinatione ageretur. Aliud enim eſt quærere, Vnde ſit malum: & aliud eſt quærere, Vnde redeatur ad priſtinum, vel ad maius perueniatur bonum.

Quapropter noui hæretici Pelagiani, qui liberum ſic aſſerunt voluntatis arbitrium, vt Gratiæ Dei non relinquant locum, quandoquidem eam ſecundùm merita noſtra dari aſſerunt; non ſe extollant, quaſi eorum, inquit, egerim cauſſam: quia multa in his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius diſputationis cauſſa poſcebat. *l. 1. Retr. cap. 9.*

Et licet hæc ita habeant; attamen tam multa enumerat eis libris paſſim diſputata aduerſus Pelagianos, vt denique ſubiungat: Ecce quàm longè antequàm Pelagiana hæreſis extitiſſet, ſic diſputauimus, veluti iam contra illos diſputaremus. *eod. l & c.* Iſta quæ fuerint, Lector ibidem reperiet. Hos libros Paullino Nolam ordinatus Epiſcopus dono miſit: *Epiſt. 34.* à quo mutuò ſumendos, legendoſque offert Secundino Manichæo, Romæ agenti, his verbis: Si quid autem de hac re copioſius explicatiuſque deſideras; lege tres libros noſtros qui inſcribuntur, De libero Arbitrio: quos in Campaniâ Nolæ poteris inuenire, apud Paullinum, nobilem Dei famulum. *l. cont. Secund. cap. 11.*

§. XXXIV.

Venit ad Oſtia Tiberina.

Poſt hæc in Africam cogitans peruenit ad Oſtia Tiberina, vnà cum Euodio, aliiſque ciuibus & amicis ſuis, Deo pariter ſeruientibus. *l. 9. Confeſſ. c. 8. Poſſid. cap. 3.*

Illic remoti à turbis, poſt longi itineris laborem, inſtaurabant ſe nauigationi. Prouénit autem, vt ipſe Auguſtinus cum Matre, ſoli ſtarent incumbentes ad quandam feneſtram, vnde hortus intra domum quæ eos habebat proſpectabatur. Colloquebantur valde dulciter, & præterita obliuiſcentes, in eâ quæ antè ſunt extenti, quærebant inter ſe, qualis fututa eſſet vita æterna Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.

Quibus ſermonibus tantopere ſunt affecti, vt carnalium ſenſuum delectatio, præ illius vitæ iucunditate, non comparatione, ſed ne commemoratione quidem digna videretur: quinimò mundus iſte eis inter verba vileſceret cum omnibus delectationibus ſuis, matre in primis clarè affirmante, nullâ re iam ſe in hac vita delectari. *eod. l. c.* 10.

§. XXXV.

Monica infirmatur, & moritur.

CVm interea vix intra quinque dies, aut non multò amplius, Monica decubuit febribus, quarum nono die, religioſam & piam animam reddidit: poſtquam ipſe tum Auguſtinus, ætatis annum trigeſimumtertium compleuiſſet. *l.* 9. *Conf. cap.* 11.

Ingentem ei mœſtitudinem iſta mors attulit: non ob aliud vtique, quàm quòd ex conſuetudine ſimul viuendi dulciſſima & cariſſima, repentè diruptâ, animo vulnus accepiſſet. *eod. l. c.* 12. Nam quia deſerebatur tam magno ſolatio; ſauciabatur anima eius, & quaſi dilaniabatur vita, quæ vna facta fuerat, ex ſuâ & illius. Gaudebat quidem teſtimonio defunctæ, quòd in ea ipſa vltima ægritudine, obſequiis illius interblandiens, pium appellauerat; & commemorarat grandi dilectionis affectu, Numquam ſe audiuiſſe ex ore ipſius, iaculatum in ſe durum & contumelioſum ſermonem. verumtamen fatetur, nihil comparabile habuiſſe honorem à ſe delatum matri, & ſeruitutem à matre ſibi. *eod. l. c.* 12.

Igitur cùm efflaſſet animam, puerque Adeodatus exclamauerat in planctum; ſimul atque cohibitus eſt, arrepto Euodius Pſalterio, inchoauit cantu Pſalmum, *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine:* cui

cui ab vniuerſa domo reſpondebatur. Atque intereà dum funeri neceſſaria curabantur, cum ſuis ipſe in parte, vbi decenter poterat, quod erat tempori congruum diſputabat, eoque fomento ſveritatis mitigabat cruciatum ſuum, quem coram aliis diſſimulabat. *eod. l. & c.*

Vnde & cùm corpus elatum eſt, iuit, rediuitque ſine lachrymis. Imò neque in iis precibus, quas fudit dum pro defuncta offerretur Sacrificium pretij noſtri, iam iuxta ſepulchrum poſito cadauere, priuſquam terræ mandetur, quidquam fleuit: tametſi totâ die grauiter in occulto mœſtus eſſet: quem mœrorem, ne balnea quidem petita pepulerunt, ſed quadantenus ſomnus. *l. 9. Conf. c. 12.*

Reducens nihilominus paullò pòſt in priſtinum ſenſum conuerſationem matris, piam in Deum & ſanctam; in ſe ſuoſque blandam atque morigeram, quâ ſubitò deſtitutus erat: libuit flere de illa, & pro illa: de ſe, & pro ſe. Quamobrem dimiſit lachrymas quas continebat, vt effluerent quantum vellent. *eod. l. & c.*

§. XXXVI.

Soluit in Africam.

IAm tum poſt Maximi tyranni mortem, Africam repetiuit. *lib. 3. cont. Petil. cap. 25.* Venientes de tranſmarinis Carthaginem, ſe, fratremque ſuum Alipium (nondum quidem Clericos, ſed iam Deo ſeruientes) Innocentius ex Aduocato Vicariæ Præfecturæ, vt erat cum tota domo ſua religioſiſſimus, ſuſcepit: apud quem tantiſper habitauit, vt miraculo curationis fiſtulæ ipſius Innocentij interfuerit, oculiſque ſuis aſpexerit, ſi non fuerit eius interceſſione patratum. Id latè deſcribit. *l. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8.*

§. XXXVII.

Carthagine abit Tagaſtam.

PLacuit inde ad propriam domum agroſque remeare. *Poſid.cap.3.* Ad quos veniens, & in quibus conſtitutus fermè triennio, (à ſe iam alienatis curis ſæcularibus) cum iis qui eidem adhærebant, Deo viuebat: ieiuniis, orationibus, boniſque operibus, in lege Domini meditans die ac nocte. *Ibidem.*

Etenim in ipſius ſocietate, ex nunc nemo proprium aliquid habebat, ſed erant eis omnia communia, & diſtribuebatur vnicuique ſicut opus erat. *Poſſ.cap.5.* de iis interim, quæ Deus illi cogitanti atque oranti, intellecta reuelabat, & præſentes & abſentes, Sermonibus ac Libris docebat. *Poſſ. cap. 3.* Atque huc referri poſſe Sermones aliquot ex iis, quos tam rigidâ philoſophâque ſententiâ nonnulli proſcribunt, quis protervè neget?

In Africa cõſtitutus conſcripſit duos libros De Geneſi contra Manichæos, qui vehementi ſtudio veſani erroris, veterem legem oppugnabant. *l.1.Retr.cap.*10. de his ita Caſſiodorus: 'Nam & Pater Auguſtinus contra Manichæos duobus libris diſputans, ita textum Geneſis diligenter expoſuit, vt penè nihil relinquere probaretur ambiguum. Vnde contigit vt nolens præſtaret hæreſis confutata, quatenus dum illa fortiter vincitur, Catholici diligentiùs inſtruantur. *l.1.diu.lect.c.*1. Quo etiam loco obſeruatum eſt ab eodem Caſſiodoro, Libris triginta tribus contra Fauſtum, pleraque de Geneſi ſollerter expoſita eſſe: nec nõn iis quos Contra aduerſarium legis & Prophetarum inſcripſit: denique Confeſſionum poſterioribus tribus voluminibus.

Et quoniam ab ipſo primo tempore conuerſionis ſuæ, poſteaquam in Africam venerat, interrogabatur à fratribus, de diuerſis quæſtionibus; iam tum cœpit initium liber Octoginta trium quæſtionum. *l.1. Ret. cap.* 26.

Per idem tempus ſcripſit Librum de Magiſtro, in quo cum Adeodato filio diſputatur & quæritur, & inuenitur, Magiſtrum non eſſe qui docet hominem ſcientiam, niſi Deum. *l.1.Ret.cap.*12. *& l.9. Conſ. cap.* 6.

Cum

Cum verò promiſiſſet ante paucos annos, ſcribere cariſſimo ſibi Romaniano, quid de verâ religione ſentiret; tempus nunc eſſe arbitratus eſt: poſtquam eius acerrimas interrogationes, ſine vllo certo fine fluctuare, eâ charitate, quâ erat illi obſtrictus, diutius ſuſtinere non poterat. *l. de ver. Rel. c.* 7. Ergo tunc De vera Religione librum ſcripſit: *l.* 1. *Ret. c.* 13. idque ſe feciſſe, Romaniano per litteras ſignificauit. *Epiſt.* 113.

Poſt hæc Hipponem Regium venit, propter videndum amicum, quem putabat ſe lucrari poſſe Deo, vt ſecum eſſet in Monaſterio. *ſerm.* 49. *de diuerſ.* Is erat ex iis quos dicunt Agentes in rebus, benè Chriſtianus, Deumque timens: qui auditâ bonâ Auguſtini famâ atque doctrinâ, deſiderabat eum videre: promittens ſe poſſe mundi huius omnes contemnere cupiditates atque illecebras, ſi aliquando ex eius ore Dei verbũ audire meruiſſet. *Poſſid. c.* 3. Quaſi ſecurus Hipponem peruenit, quia locus habebat Epiſcopum. Vſque adeò enim timebat Epiſcopatum, vt, quoniam cœperat eſſe alicuius iam momenti inter Dei ſeruos fama ipſius, in quo loco ſciebat non eſſe Epiſcopum, ne illo accederet cauebat. *Serm.* 49. *de diuerſ. Poſſid. cap.* 4. Porrò viſum hominem, allocutus frequentius atque exhortatus eſt, quantùm Deus donabat, vt quod Deo vouerat, redderet: quod ſe ille facturum de die in diem pollicebatur, licet in eius tunc non impleuerit præſentia. *Poſſid. cap.* 3.

Anno 391.

CAPVT II.

AVGVSTINVS PRESBYTER.

§. I.

Fit Presbyter.

EOdem tempore Valerius Hipponenſis Epiſcopus, cùm flagitante Eccleſiaſticâ neceſſitate, de prouidendo & ordinando Presbytero ciuitati, plebem Dei alloqueretur & exhortaretur; iam cognito Auguſtini

guſtini propoſito & doctrinâ, manu iniectâ (quoniam & idem in populo ſecurus & ignarus quid futurum eſſet, adſtabat; *Poſsid.c.*4.) apprehenſus; *ſerm.*49. *de diuerſ.* Epiſcopo ordinandus oblatus eſt: omnibus id vno conſenſu & deſiderio fieri perficique petentibus, magnoque ſtudio & clamore flagitantibus: vbertim eo flente. *Poſsid. cap* 4. Exiſtimabat enim merito peccatorum ſuorum vim ſibi factam eſſe, vt ſecundus locus gubernaculorum ei traderetur, qui remum tenere non nouerat, &c. Atque hinc erant illæ lachrymæ, quas ab eo fundi in ciuitate, ordinationis ſuæ tempore, nonnulli fratres animaduerterunt: & neſcientes cauſſas doloris ipſius, quibus potuerunt ſermonibus, qui omninò ad vulnus ipſius non pertinerent; tamen bono animo conſolati ſunt. *Epiſt.* 148.

Id contigiſſe videtur initio Quadrageſimæ: eò quòd ad munus ſuum ritè obeundum, paruum ſibi tempus vel vſque ad Paſcha concedi, humillimè per ſuas patrumque preces à Valerio cupiat. *ead. Epiſt.* Sunt qui ſcribant Cerei Paſchalis præconium, quo ſiue in toto, ſiue in parte, adhuc vtitur Eccleſia Romana, ab Auguſtino per id tempus non compoſitum dumtaxat, ſed decantatum publicè in Eccleſia fuiſſe. *Gretſ.lib.*2. *de Benedict. & maledict.c.*31.

§. II.

Monachiſmum continuat.

QVia diſponebat ibi eſſe in Monaſterio cum fratribus, cùm non veniſſet niſi cum indumentis, quibus illo tempore veſtiebatur; cognito inſtituto & voluntate eius, ſenex Valerius dedit illi hortum, in quo Monaſterium ædificauit. *ſerm.* 49. *de diuerſ.* Spem quippè omnem ſæculi reliquerat: & quod eſſe potuit, eſſe noluit: *ibid.* nihilque habebat propriũ, ex quo de tranſmarinis ad ſua remeaſſet. *Poſsid.c.*5.

Cœpit & hîc boni propoſiti fratres colligere, compares ſuos, nihil habentes, ſicut ipſe nihil habebat: & imitantes eum, vt quemadmodum tenuem paupertatulam ſuam vendidit, & pauperibus erogauit; ſic facerent & illi, qui cum eo eſſe voluiſſent, vt de communi viuerent. Cõmune autem eis eſſet magnum & vberrimum prædium, ipſe Deus. *ſerm.*49. *de diuerſ.*

Factus

Factus ergò Presbyter, Monaſterium intra Eccleſiam inſtituit, & cum Dei ſeruis viuere cœpit, ſecundùm modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam: maximè, vt nemo quidquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eſſent eis omnia communia. *Poſſid. cap. 5.*

§. III.

Poſſidium adſciſcit.

HVic ſcholæ nomen dediſſe oportet circa hoc tempus Poſſidium, qui ſe cum Auguſtino fermè quadraginta annis Dei dono, abſque amara vlla diſſenſione, familiariter ac dulciter vixiſſe teſtatur, *cap. 31.* ſic vt memorati anni complectantur vniuerſim propoſitum ipſius, id eſt religionis ſtatum, tam in vitâ laïcorum, quàm in officio Epiſcoporum, ſuperſtite Auguſtino exactum. *Prolog. ad vit. Auguſt.* Eo etenim viuente, Eccleſiæ Calamenſis Epiſcopus fuit, quam tum etiam occupabat Criſpinus è Donatiſtis: quorum in Catholicos graſſantium inſidias & ſæuitiam vix euaſit, plagis licet & contumelijs affectus. *l. 3. cont. Creſcon. c. 46.* quam rem latiùs dicturi infrà ſumus Libro Tertio.

Eum Auguſtinus collegam appellat, *loco cit.* & Coëpiſcopum: *Epiſt. 3.* dicitque per ſuum miniſterium, non litteris illis, quas variarum ſerui libidinum liberales vocant; ſed Dominico pane nutritum, quantus ei potuit per ſuas anguſtias diſpenſari. *Epiſt. 131.*

Cœtus hic fratrum Auguſtino conuiuentium, vbi paullatim coäleſcere cœpiſſet; neque Poſſidius tantùm alijque, ſed & cum eo Alipius Euodiuſque vitam in commune agerent: Aurelius nuper Carthaginenſis creatus Epiſcopus, Presbyterum Auguſtinum per litteras ſalutauit, dignitatem, vt apparet, ſuſcepti ordinis gratulatus. Ei reſpondens Auguſtinus, hortatus in primis eſt, vt prauos neque facilè tolerandos mores, qui in Eccleſiam Africanam irrepſerant, exterminaret: tantam ſe de eo ſpem concepiſſe, vt dicat: Scias Domine beatiſſime, & pleniſſimâ charitate venerabilis, non deſperare nos, imò ſperare vehementer, quòd Dominus & Deus noſter, per auctoritatem

H perſonæ

perſonæ quam geris, quam non carni, ſed ſpiritui tuo impoſitam eſſe confidimus, multas carnales fœditates & ægritudines, quas Africana Eccleſia in multis patitur, in paucis gemit, conciliorum grauitate, & tuâ poſſit ſanare. *Epiſt.* 64.

§. IV.

Continuat Scripturarum ſtudium.

QVamquam fateatur impreſsè alicubi, ſeriùs ac voluiſſet, animum applicuiſſe ad Sacras litteras; *Epiſt.*254. attamen quia nulli dubium eſt gemino pondere nos impelli ad diſcendum, auctoritatis atque rationis; iam inde à conuerſione certum ei fuit, nuſquam prorſus à Chriſti auctoritate diſcedere: non enim reperiebat valentiorem. Quod autem ſubtiliſſimâ ratione perſequendum eſt (ita enim iam tum affectus erat, vt, quid ſit verum, non credendo ſolùm, ſed etiam intelligendo apprehendere, impatienter deſideraret) apud Platonicos ſe interim quod ſacris Chriſtianis non repugnet, reperturum eſſe confidit. *l.* 3. *cont. Acad. c.*20.

Itaque Scripturarum ſtudio totus incubuit: quarum tantam eſſe teſtatus eſt profunditatem, vt in eis quotidie proficeret, ſi eas ſolas ab ineunte pueritiâ, vſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conaretur addiſcere. Non quòd ad ea quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tantâ in eis perueniatur difficultate: ſed cùm quiſque ibi fidem tenuerit, ſine quâ piè rectéque non viuitur; tam multa, tamque multiplicibus myſteriorum vmbraculis opaca, intelligenda proficientibus reſtant: tantaque non ſolùm in verbis, quibus iſta dicta ſunt, verumetiam in rebus quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo Sapientiæ; vt annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cùm conſummauerit homo, tunc incipit. *Epiſt.* 3.

Quidquid præterea homo extrà didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur: ſi vtile eſt, ibi inuenitur. Et cùm ibi quiſque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit; multò abundantiùs ibi inueniet ea, quæ nuſquam omninò alibi, ſed in illarum tantummodò Scripturarum

mirabili

mirabili altitudine, & mirabili humilitate diſcuntur. *l.* 2. *de doct. Chriſt. cap.* 42.

Iam Philoſophi qui vocantur, ſi qua fortè vera, & fidei noſtræ accommoda dixerunt, maximè Platonici; non ſolùm formidanda non eſſe, ſed ab eis etiam tamquam iniuſtis poſſeſſoribus, in vſum noſtrum vindicanda pronuntiauit. *eod. l. c.* 40.

§. V.

Sæcularium ſcientiarum in Auguſtino encyclopædia.

PОrrò quia profanas litteras, ab ineunte ætate didicerat, *Epiſt.* 254. nihilum in eis ignorauit. Artium benè dicendi, Mathematicæ, Arithmeticæ, Muſicæ, Phyſicæ, Aſtrologiæ, Dialecticæ peritiſſimus fuit, vt ex ſuperioribus conſtat: nec non rei metricæ vbi ait: Non aliquo carminis genere Pſalmum à ſe eſſe cõpoſitum, vt cauſſa Donatiſtarum ad ipſius humillimi vulgi, & omninò imperitorum atque idiotarum notitiam perueniret: nè metrica illum neceſſitas ad aliqua verba, quæ vulgo minùs ſunt vſitata, compelleret. *l.* 1. *Ret. c.* 20.

Exſtant eâdem eius opinor incude procuſi, numeri innumeri, ad imitationem Trochaïci carminis tetrametri Catalectici, de Gloria Paradiſi: *l. Medit. c.* 26. probi verò proprijque ad Chriſtum. *eod. lib. cap.* 18. quos quia pauculi ſunt ſubiungo:

Spes mea, Chriſte Deus, hominum tu dulcis amator,
Lux, via, vita, ſalus, decor & decus omne tuorum,
Omnia pro quorum voluiſti ferre ſalute;
Cernito vincla, Crucem, vulnus, mortem atque Sepulcrum.
Poſt tres inde dies deuictâ morte reſurgens,
Diſcipulis viſus, nutantia corda reformans;
Luce quater denâ cælorum ſumma petiſti:
Viuis in æternum nunc, & per ſæcula regnans.

vt ſcias non immeritò interrogatum ab eo fuiſſe Audacem, cur contra proſodicam legẽ, hexametrum verſum, heptametrũ feciſſet. *Epiſt.* 140.

Citat Ciceronem, Varronem, Salluſtium, Senecam, Plinium,

 Virgi-

Virgilium, Lucretium, Terentium, Perſium, Iuuenalem, Lucanum, Claudianum, Ennium, Horatium, Cornelium Celſum, Soranum, eoſque omnes ſæpiùs, atque alios.

Meminit Homeri, Heſiodi, Epicuri, Platonis, Porphyrij, Apulei, Apollonij Thyanæi: Ariſtotelis, Carneadis, Zenonis Archeſilæ, Chryſippi, Antiochi Aſcalonitæ, Metrodori: Terentiani Mauri, Cornuti, Aſperi, Donati, & aliorum ſatis frequenter.

Liberalium diſciplinarum, hiſtoriæ tum ſacræ tum profanæ, morum rituumque populorum omnium, fabularum denique ſcientiſſimum fuiſſe, teſtantur *Libri de Ciuit. Dei, de Doct. Chriſt. de conſ. Euang. &c.* Vnde nonnumquam Gentilium fabulas, ad rerum naturam & mores expoſitas, refert *l.* 20. *cont. Fauſt. c.* 9. aut earum prodit originem. Et quidem de Muſis, deabus inter litteratores celeberrimis, hæc monet: Non enim audiendi ſunt errores Gentilium ſuperſtitionum, qui nouem Muſas, Iouis & memoriæ filias eſſe finxerunt. Refellit eos Varro, quo neſcio vtrùm apud eos quiſquam talium rerum doctior vel curioſior eſſe poſſit. Dicit enim ciuitatem neſcio quam (non enim nomen recolo) locaſſe apud tres artifices, terna ſimulachra Muſarum, quæ in Templo Apollinis dono poneret, vt quiſquis artificum pulchriora formaſſet, ab illo potiſſimùm electa emeret. itaque contigiſſe vt opera ſua quique illi artifices æquè pulchra explicarent, & placuiſſe ciuitati omnes nouem, atque omnes emptas eſſe, vt in Apollinis Templo dedicarentur: quibus poſtea dicit Heſiodum Poëtam impoſuiſſe vocabula. Non ergo Iuppiter nouem Muſas genuit, ſed tres fabri ternas creauerunt. Tres autem non propterea illa ciuitas locauerat, quia in ſomnis eas viderat, aut tot ſe cuiuſquam illorum oculis demonſtrauerant: ſed quia facilè erat animaduertere omnem ſonum, qui materies cantilenarum eſt, triformem eſſe naturâ. Aut enim editur voce, ſicuti eorum eſt, qui faucibus ſiue organo canunt: aut flatu, ſicut tubarum & tibiarum: aut pulſu, ſicut in citharis & tympanis, & quibuſlibet alijs, quæ percutiendo canora ſunt. *l.* 2. *de doct. Chriſt. c.* 17. Alia Gentilium Numina, tam beneuola, quàm noxia, alijs libris conuellit: & præſertim de Ciuitate Dei. *l.* 6. *&* 7.

Hiſtoriam verò plurimùm nos adiuuare ad Sanctos libros intelligendos, etiamſi præter Eccleſiam puerili eruditione diſcatur, inquit *l.* 2. *de doct. Chriſt. c.* 28. Nam & per Olympiadas, & per Conſulum nomina,

nomina, multa ſæpe quæruntur à nobis: & ignorantia Conſulatûs quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coëgit errare, vt putarent quadraginta ſex annorum ætate paſſum eſſe Dominum: quia per tot annos ædificatum eſſe templum, dictum eſt à Iudæis, quod imaginem dominici corporis habebat. *ibid.* Sed vtinam hos Conſules, quos vtique non ignorauit Auguſtinus, in publicum protuliſſet! certiores epochas, temporumque characteres haberemus.

Citat Euſebium quem Ruffinus vertit: *Libro de cur. pro mort. c.6. l. de hæreſ. hær.* 83. Africanum, quem tum primùm legerat, *l.* 2. *Ret. c.* 7.

Penetrauit Philoſophorum omnium adyta, vt ſunt Stoici, Academici, Peripatetici, Epicurei, Cynici: eorumque dogmata paſſim erroreſque confutat: vti & Paganiſmum ſubuertit cum deorum infinitâ multitudine, *ll. cont. Acad. de Ciuit. Dei: Tract. de Epicur. & Stoic.* Sibyllina etiam carmina recitat, *l. cont. Iud. c.* 16. *& l.* 18. *de Ciuit. Dei c.* 23.

Nec refert quòd hæc omnia profana ſint. Quia, vt inquit ipſe, ſicut Ægyptij non ſolùm idola habebant & onera grauia, quæ populus Iſraëliticus deteſtaretur & fugeret; ſed etiam vaſa atque ornamenta de auro & argento, & veſtem, quæ ille populus exiens de Ægypto ſibi potius, tamquam ad vſum meliorem, clanculò vindicauit, non auctoritate propriâ, ſed præcepto Dei, ipſis Ægyptijs neſcienter commodantibus ea, quibus non bene vtebantur: ſic doctrinæ omnes Gentilium, non ſolùm ſimulachra & ſuperſtitioſa figmenta, graueſque ſarcinas ſuperuacanei laboris habent; quæ vnuſquiſque noſtrum, duce Chriſto de ſocietate Gentilium exiens, debet abominari atque deuitare; ſed etiam liberales diſciplinas, vſui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtiliſſima continent: deque ipſo vno Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos. Quod eorum tamquam aurum & argentum (quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſdam quaſi metallis diuinæ Prouidentiæ, quæ vbique infuſa eſt, eruerunt, & quo peruersè atque iniuriosè ad obſequia dæmonum abutuntur) cùm ab eorum miſerâ ſocietate ſeſe animo ſeparat, debet ab eis auferre Chriſtianus, ad vſum iuſtum prædicandi Euangelij. Veſtem quoque illorum, id eſt hominum quidem inſtituta, ſed tamen accommodata humanæ ſocietati, quâ in hac vita carere non poſſumus; accipere atque habere licuerit, in vſum conuertenda Chriſtianum. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles noſtri? Non aſpi-

cimus quanto auro & argento, & veſte ſuffarcinatâ exierit de Ægypto Cyprianus, doctor ſuauiſſimus & Martyr beatiſſimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, vt de viuis taceam? *l.2. de doct. Chriſt. c.* 40.

§. VI.

Verbum Dei prædicare incipit.

VAlerius itaque ordinator eius, vt erat vir pius & Deum timens, exultabat Deoque gratias agebat, quòd exauditas à Domino videret preces ſuas, quas ſe frequentiſſimè fudiſſe narrabat, vt ſibi diuinitùs homo concederetur talis, qui poſſet verbo & doctrinâ ſalubri, Eccleſiam Dei ædificare: cui ſe rei homo naturâ Græcus, minuſque Latinâ linguâ & litteris inſtructus, parum vtilem videbat. *Poſſid. c.5.* Quapropter Auguſtino Presbytero poteſtatem dedit, coram ſe in Eccleſia Euangelium prædicandi ac frequentiſſimè tractandi: contra vſum quidem & conſuetudinem Africanarum Eccleſiarum, ob quod ei nonnulli Epiſcopi detrahebant; ſed ex more Orientalium. Quem porrò plures in Africa Epiſcopi amplexi ſunt: exemplo Valerij, factâ Presbyteris poteſtate, coram Epiſcopis tractandi verbum Dei. *Ibid.* Et quidem nominatim Aurelius Carthaginenſis Antiſtes: cui propterea gratulatus eſt Auguſtinus peculiari Epiſtolâ 77. Adeò vt hic mos tantopere inualuerit, vt Presbyteros in hoc genere cum Epiſcopis coniungat, vbi ait: Numquid non aſcendit aliquando aut Presbyter aut Epiſcopus, & non dicit aliud de ſuperiore loco, niſi nè rapiantur res alienæ? *ſerm.* 49. *de verb. Dom.* Idem deinde mos ad Gallos peruenit, apud quos Synodus Vaſenſis II. poteſtatem dat Presbyteris verbum faciendi.

In hoc munere, tamquam lucerna accenſa & ardens, eleuata ſuper candelabrum, luxit omnibus qui in domo erant: *Poſſid. c.5.* tantumque ei tributum eſt, vt ex quo ad populum dicere cœpit, vbicumque illo præſente loqui opus eſſet, rariſſimè tacere ipſe atque audire alios permitteretur, & eſſe velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. *Prolog. ad ll. Retract.* Ex aſſiduo enim verbi Dei prædicandi

ſtudio

ſtudio, Tractatorem Pœnum, id eſt, Concionatorem, appellaſſe (tametſi per contemtum) Iulianus videtur, *l. 1. op. imperf. cap. 8.* Iam & Deus non vulgaribus illum donis ornauerat inſtruxeratque. Fuit in illo ſtudium vberrimum, cognitio ſacrarum Scripturarum exactiſſima, iudicium acre & exterſum, ingenium ad miraculum acutum. Fuit ipſe ſincerioris pietatis diligentiſſimus propugnator, moribus manſuetiſſimis, & ad charitatem Euangelicam effictis atque expreſſis, vitæque integritate ſanctitateque inſignis & adorandus, *inquit Io. Lud. Viues Epiſt. ad Reg. Angliæ.*

§. VII.

Auguſtini memoria, & facundia Latina.

MEmoriam habuit vaſtam & tenacem, vti patet ex Scripturarum partibus, quas vndecumque accerſitas appoſitè admodum producit: facundiam deinde longo docendi dicendique vſu exercitatam, Carthagine, Romæ, Mediolani: licet eum Itali in multis verborum ſonis exagitauerint; & ab eo viciſſim, quod ad ipſum ſonum attinet, ſint reprehenſi. *l. 2. de Ord. c. 17.*

Quapropter (tametſi paullò pòſt) Secundinus Manichæus, qui ſcripta quædam Auguſtini legerat, cùm illa ſuſpenſo animo, agilique oculo, iterum iterumque repetiſſet; ſummum inueniſſe vbique Oratorem, & Deum pœnè totius Eloquentiæ affirmabat, *Epiſt. ad Auguſt. tom. 6.* At verò Darius Comes, non modò ter aut quater, vt eſt apud neſcio quem; ſed millies, & omni numero plus beatum ſe fore dicebat, ſi datum ſibi eſſet præſenti intueri Auguſtini verè ſidereos vultus, vocemque diuinam ac diuina canentem: & non ſolùm mentis fructus, ſed etiam cum aurium iucunditate ſumere & haurire licuiſſet. Putarem profectò me (verba ſunt Darij) quaſdam immortalitatis leges, non modò de cælo, ſed in ipſo conſtitutum cælo ſuſcipere: & quaſdam Dei voces, non longè de templo, ſed prope ipſum Dei adſtantem tribunal audire. *Epiſt. 263.* Ingens ſanè, neque minoris affectûs encomium.

§. VIII.

Græca ſcientia, Hebraïca & Punica.

IAm quod Græcam linguam attinet, teſtatur quidem non ſibi tantum fuiſſe eius linguæ habitum, vt Græcis libris legendis & intelligendis vllo modo reperiatur idoneus: *proœm. in l.3. de Trin.* & Græcæ linguæ perparum ſe aſſecutum ait, & propè nihil; *l. 2. cont. Petil. c.* 38. Eodem tamen loco, & paſſim alibi Græca interpretatur, allegat, & confert cum Latinis, vt patet *ll. Locution. de ſcriptura ſacra*: deinde integras Chryſoſtomi ſententias non infeliciter tranſtulit, *l. 1. cont. Iul. c.6.* imò Categorias Ariſtotelis è Græco Latinè vertit, in gratiam filij ſui Adeodati: *l. Categor. Ariſt. c.22.* denique Græcos ſcripturæ Codices à ſe conſultos refert, *l. 1. Ret. cap.19. & l.2. cap.24. & Epiſt.* 59. Veteri porrò linguæ Græcæ pronuntiationi fauet, quod ait: Beta vno eodemque ſono, apud Græcos litteræ; apud Latinos, oleris nomen eſſe. *l. 2. de doct. Chriſt. c.* 24.

Hebraïcorum nominum ſignificationem, ſibi quidem fuiſſe ſine interpretatione virorum peritorum eiuſdem linguæ incognitam, inſinuat *l.2. de doct. Chriſt. c.*18. quam linguam rotundè fatetur ſe ignorare: *Epiſt.* 131. adeò vt ſi Hebræâ voce Moyſes ei loqueretur, fruſtra, inquit, pulſaret ſenſum meum, nec inde mentem meam quidquam tangeret: *l.11. conf. c.* 3. vnde conſuluit Hebræum quemdam in dictione Raca, *l. 1. de ſerm. Dom. in monte c.* 9. Nihilominus enarrans illud Apoſtoli: Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere: ait, hoc nomine, proprietate Hebraïcæ linguæ, omnem feminam nuncupari, ſiue viro intactam, ſiue iam mixtam. *Epiſt.*120. *c.*3.

Cumque Punicum appellet Secundinus; *Epiſt. ad Auguſt.* diſputatorem Pœnum Iulianus; *l.3. cont. Iul. c.* 17. non videtur Punicam ignoraſſe, cuius vocabula permulta, & penè omnia Hebraïcæ conſona ſunt, *l. 2. cont. Petil. c.*104. quòd iſtæ linguæ ſibi ſignificationis quadam vicinitate ſocientur. *ſerm.*35. *de verb. Dom.* Atque hinc de Meſſiâ annotat, Meſſe, Pœnis idem eſſe quod, Vnge: *Tract.*15. *in Io.* Mammon, vt Hebræâ, ita Punicâ linguâ ſignificare diuitias: *ſerm.* 35. *de verb.*

verb. Dom. Edom vtriſque ſanguinem denotare. *in Pſ.* 132. Videri denique poteſt *l.* 1. *Locut. in Gen.* vbi aliam quandam phraſin linguæ vtrique communem annotauit, dum ait: Et extendit manum ſuam & accepit eam, & induxit eam ad ſe in arcam: locutio eſt quam propterea Hebræam puto, quia & Punicæ linguę familiariſſima eſt, in qua multa inuenimus verbis Hebræis conſonantia. Nam vtique ſufficeret: *Et extendit manum*, etſi non adderet, *ſuam*, &c.

§. IX.

Scribit contra Manichæos.

AVguſtinus apud Hipponem Regium Presbyter ſcripſit librum De Vtilitate credendi, ad amicum ſuum Honoratum: quem deceptum à Manichæis, adhuc eo errore nouerat detineri, & irridere in Catholicæ fidei diſciplinâ, quod iuberentur homines credere, non autem quid eſſet verum certiſſimâ ratione docerentur. *l.* 1. *Ret. c.* 14. Nam priuſquam vel Manichæos apud Honoratum refelleret, nugaſque eorum inuaderet; vel magnum aliquid de fide Catholica aperiret; voluit primùm eruere illi falſam opinionem, de veris Chriſtianis malitioſè aut imperitè ei inſinuatam, hocque initio apud illum facto, contra Manichæos ſcribere, & Catholicam ſtabilire: atque ita eum erigere ad magna quædam & diuina diſcenda. Quomodo exponit quod in fine libri De Vtilitate credendi dixerat: nondum ſe Manichæos cœpiſſe refellere, &c. *eod. l. & c.*

Ceterùm quod voluit, effecit: vti patet ex quæſtionibus quas ei pòſt Honoratus quinque miſit à Carthagine, & rogauit vt eas illi ſcribendo exponeret. *l.* 2. *Ret. c.* 36. Harum enim occaſione, liber De Gratia noui Teſtamenti habuit initium, dum ad quinque quæſtiones Honorati (quem tum fuiſſe Catechumenum apparet, *Epiſt.* 120. *c.* 19. imò effectum poſtea Presbyterum, ex Caſſiodoro; *l. diuin. lect. c.* 16.) ſextam Auguſtinus adiecit: Quæ ſit Gratia noui Teſtamenti? ſub quâ reſpondet ad ceteras. *ead. Epiſt. c.* 1.

Poſt librum De Vtilitate credendi, ſcripſit contra Manichæos De duabus Animabus: quarum vnam dicunt eſſe partem Dei, alteram

I de

de gente tenebrarum, quam Deus non condiderit, & quæ ſit Deo coæterna. Et has ambas animas, vnam bonam alteram malam, in vno homine eſſe delirant: malam quidem, dicentes propriam eſſe carnis; quam etiam carnem dicunt eſſe Gentis tenebrarum: bonam verò ex aduentitiâ Dei parte, quæ cum tenebrarum gente conflixerit, atque vtramque miſcuerit: omnia denique bona hominis, illi bonæ Animæ; omnia verò mala, malæ Animæ tribuunt. *lib.* 1. *Retract. cap.* 15. Videtur eo fine conſcriptus hic Liber, vt Amicos quoſdam ſuos, Manichæiſmo adhuc detectos, Catholicæ fidei ſiſteret. *l. de duab. Animab. c. vlt.* Verum eſt, aliquammulta ſenſa eiuſdem, ad errorum ſuorum patrocinium, Pelagianos detorquere voluiſſe: ſed hoc eis prouidè incidit, neque vllatenus ſuffragari oſtendit: tametſi longè ante Pelagianam hæreſin opus prodiiſſet. *l.* 1. *Retract. c.*15. vide *l.* 1. *Oper. Imp. c.* 45. vbi Iulianus nonnullis hinc citatis, glorioſus exultat, & totius propè diſputationis ſuæ fundamentum efficit.

§. X.

Diſputat cum Fortunato.

Anno 392. QVia per id tempus in Ciuitate Hipponenſi Fortunatus, Manichæorum Presbyter, diu commoratus, adeò multos quà ciues quà peregrinos infecerat ſeduxeratque, vt propter illos ibi eum delectaret habitare: rogatus non tantùm à Catholicis, ſed Donatiſtis etiam Auguſtinus, Fortunato diſputandi certamen obtulit. Quod licet ille principiò ſubire formidaret, equidem perſpectum habens ingenium Auguſtini, quicum olim Carthagine vixerat, dum in Manichæo dogmate rabioſus adhuc & cœcus erraret; ſuorum tamen maximè inſtantiâ coactus, cominùs ſe venturum certamenque diſputandi ſubiturum promiſit. *l.* 1. *Ret. c.* 16. *Poſſ. c.*6.

Deſignatus locus in Vrbe Hipponenſi, in Balneis Soſij: *diſp.* 4. *cont. Fort.* concurrentibus quamplurimus viris ſtudioſis, turbiſque curioſis: & apertis Notariorum tabulis, diſputatio eſt cœpta primo; & ſecundò die finita. *Poſſid. c.* 6. Hanc in librum memoriæ mandandam conſerre curauit. Verſatur ibi quæſtio, Vnde ſit malum? Auguſtino

guſtino aſſerente, exortum fuiſſe hominis malum ex libero voluntatis arbitrio: Fortunato autem, naturam mali Deo coæternam perſuadere moliente. Sed qui conſequente tandem die confeſſus eſt, nihil ſe aduerſus Catholicos inuenire, quod diceret: neque tamen Catholicus factus eſt; *l.1. Ret. c.16.* ſed collaturum ſe cum maioribus ſuis dixit, quæ refellere non potuit: qui ſi ſatisfacere nequiuerint, ſuæ ſe animæ conſulturum. *Poſſ. c.6.* Interim paullò pòſt de ciuitate Hipponenſi profectus, ad eandem ampliùs non remeauit, rubore & pudore prohibitus. *Poſſ. ibid.* Adeò eſt verum quod alibi Auguſtinus ait: Manichæi, dum nimis quærunt, vnde ſit malum; nihil reperiunt, niſi malum. *l. de vtil. cred. c.18.*

Quia conſtat diſputationem hanc quinto Kal. Septembris habitam, Arcadio Auguſto bis, & Ruffino Viris Clariſſimis Coſſ. *init. diſp.* 1. (qui incidunt in Annum Domini CCC. XCII.) ſequitur vt contigerit Anno ætatis Auguſtini trigeſimo octauo mox complendo.

§. XI.

Eccleſia Africana Auguſtini doctrinâ proficit.

ITa priuatim & publicè, in domo & Eccleſiâ, ſalutis verbum cum omni fiducia docente & prædicante Auguſtino, aduerſus Africanas hæreſes, tam libris confectis quàm repetitis ſermonibus; Catholica fides caput extulit, quæ multo in Africâ tempore depreſſa iacuerat. Inde Chriſti bonus odor & doctrina, per eam orbis plagam latè diffuſa: non mediocriter collætante Eccleſiâ tranſmarinâ. Libros enim ſiue Tractatus ipſius, omni rationum copiâ & auctoritate Scripturarum inſtructos, ipſi cum Catholicis hæretici confluentes non audiebant tantùm; ſed adhibitis Notarijs vtrique certatim excipiebant. *Poſsid. c.7.* Hinc multa quæ dictata non ſunt, tamen ab eo dicta, conſcripta ſunt. *prolog. ad ll. Retract.*

Anno ſequente, octauo Idus Octobris, Theodoſio Imperatore III. & Abundantio Coſſ. id eſt, Anno Chriſti CCC. XCIII. coràm Epiſcopis, qui plenarium totius Africæ Concilium Hippone regio agebant, ipſis iubentibus, de fide & ſymbolo diſputauit: quam diſputa- Anno 393.

tionem amicis inſtantibus, in librum contulit. *lib. 1. Retract. cap. 17.*

Et quamquam de Geneſi libros duos condidiſſet contra Manichæos: quia tamen fuerat in illis ſecutus expoſitionem Allegoricam, non auſus naturalium rerum tanta ſecreta ad litteram exponere; experiri iam voluit, quid in hoc difficillimo opere valeret. Cùm ecce in Scripturis exponendis tyrocinium ipſius ſub tanta ſarcinæ mole ſuccubuit: adeoque nondum vno libro perfecto, conquieuit. Sed qui nihilominùs exſtare permiſſus eſt, vt index eſſet non inutilis rudimentorum ipſius, in enucleandis atque ſcrutandis diuinis eloquiis. Poſtea enim duodecim libros conſcripſit, quorum eſt titulus, De Geneſi ad litteram. *l. 1. Ret. c.* 18. Quapropter ſcribendo profeciſſe ſe fatetur: quod non obſcurè deprehendet, quiſquis opera eius, ordine quo ſcripta ſunt, legerit. *Prolog. ad ll. Retract.*

Sermonem quoque Domini in monte ſecundùm Matthæum, Preſbyter adhuc duobus voluminibus explanauit: *l. 1. Retract. cap.* 19. quem ſermonem, ſicuti in Euangelio ſecundùm Matthæum legimus, ſiquis piè ſobrieque conſiderauerit; putat inuenturum in eo, quantum ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ Chriſtianæ modum. *l. 1. de ſerm. Dom. in monte c. 1.*

§. XII.

Donatiſtas oppugnat.

ET quoniam hoc tempore Donati pars, populi Chriſtiani ſacrilega rebaptizatrix, nullo oppoſito repagulo totam propè Africam inundabat: imperitam incautamque plebeculam, quæ errorum duces more bruti agminis ſequebatur, miſeratus; opem aliquam ferre ſtatuit, vti explicat ipſe his verbis: Volens cauſſam Donatiſtarum ad ipſius humillimi vulgi, & omninò imperitorum atque idiotarum notitiam peruenire, & eorum, quantum fieri poſſet, per nos inhærere memoriæ; Pſalmum, qui eis cantaretur, per Latinas litteras feci, ſed vſque ad N. litteram; tales enim Abecedarios appellant. *l. 1. Ret. c. 20.* Complexus eſt hoc Pſalmo, tametſi minimè prolixo, totius Schiſmatis originem: per quos nimirum, & quomodo cœptum: quâ audaciâ

ciâ quovè furore auctum & alitum : quâ deniquepertinaciâ & ſacrilegio perſeueret.

Nam vt, quod poſteà fecit, prorſus euerteret; eodem quoque Preſbyterij ſui tẽpore, librum ſcripſit Contra Epiſtolam Donati Carthaginenſis. de quo plura, ſicuti & de Schiſmate infrà tradentur. in qua Epiſtola agit Donatus, vt non niſi in eius communione Baptiſma eſſe credatur : cui Catholici contradicunt. *l.* 1. *Ret. c.* 21. Hic liber non exſtat, aut in alicuius adhuc Bibliothecæ otioſa cuſtodia latet. Emendat autem quod in eo dixerat, Ambroſium imitatus, in Petro veluti in petrâ, fundatam eſſe Eccleſiam : cùm in Chriſto, quem Petrus confeſſus erat, ſic amet dici fundatam, quia ſcriptum eſt, Petra autem erat Chriſtus; vt lectori, quæ harum ſententiarum ſit probabilior, arbitrium relinquat. *eod. l. & c.* Priorem alioquin interpretationem ſequitur ſuperiori Pſalmo contra Donatiſtas *litt.S.*& poſteà, *Conc.2. in Pſalm.*30. *& ſerm.*39. *de ſanct. & alibi.*

§. XIII.

Alia contra Manichæos.

CVmque eodem tempore veniſſent in manus eius, quædam diſputationes Adimanti (qui proprio nomine Addas dictus eſt: *l.* 2. *contra Adu.leg.& prophet. c.*12. fueratque Manichæi diſcipulus, quemque magnum doctorem ſectæ illius fuiſſe commemorabant, *l. cont. Adim. c.*12. *l.* 1. *cont. Fauſt. c.*2.) quas conſcripſit aduerſus Legem & Prophetas, veluti contraria eis Euangelica & Apoſtolica ſcripta, demonſtrare conatus : ad eaſdem reſpondit Auguſtinus, & nihilum inter ſe contrariari oſtendit. *l.*1.*Ret.c.*22.

Ideo autem Adimantum appellauit Manichæi diſcipulum, quòd docentem illum audiuerit, ſicuti affirmat *l.* 2. *cont. Aduerſarium legis & Prophet. c.* 12. quandoquidem Manichæa hæreſis, vti & ipſius auctor, Perſa natione (vt eius propterea hæreſin, fabulam Perſicam appellet Auguſtinus *l. cont. Secund. c.*1.*&* 4. & Manichæos, Perſas, *cap.* 9.) qui vocabatur Manes, & antè Vrbicus, *l. de hæreſ. hær.* 46. recens tum fuerit: quia conſtat non ſolùm poſt Tertullianum, ve-

rumetiam poſt Cyprianum, hanc hæreſin exortam. *l.13.cont. Fauſt.c.4.* Paſſus eſt autem Cyprianus ſub Valeriano Imper. Anno Domini CC. LIX. decimooctauo Kal. Octobris: Manichæus autem hæreſin ſuam aperire cœpit (vti ait Epiphanius *lib. de pond. & menſ.*) ſub annum nonum Gallieni, qui incidit in Annum Domini CC. LXIII.

Euſebius verò *lib.7. c.25. & 26.* ait Romæ innotuiſſe ſub Diocletiani tempora, Pontificatu Felicis: quamquam inter illius Imperium, & Pontificatum huius, anni interſint circiter decem. Imperator enim ille factus eſt anno CC. LXXXIV. Kalendis Maij: Felix Martyrio coronatus CC. LXXV. Leo Magnus innotuiſſe ſcribit, impleto poſt Reſurrectionem Domini ducenteſimo & ſexageſimo anno, Probo Imperatore Paulinoque Conſule, cùm octaua iam in Chriſtianos perſecutio ebulliret. *ſerm.2. de Pentecoſt.*

Ceterùm ex pluribus hiſce operibus, quibus Manichæorum errores, non feliciùs quam fortiùs confutauerat; quinque omnino Alipius, factus Epiſcopus, ad Paullinum miſit, Nolanæ Eccleſiæ poſtea præſulem. De quibus Auguſtino adhuc Presbytero, Paullinus ſcribens, inquit inter alia: Hos nunc libros lectioni habeo, in his me oblecto, de his cibum capio, non illum qui perit, ſed qui operatur vitæ æternæ ſubſtantiam, per fidem noſtram quâ adcorporamur in Chriſto Ieſu Domino noſtro: cùm fidês noſtra, quæ viſibilium negligens inuiſibilibus inhiat, per charitatē omnia ſecundùm veritatem omnipotentis Dei credentem, litteris & exemplis fidelium roboretur. O! verè ſal terræ, quo præcordia noſtra, ne poſſint ſæculi vaneſcere errore, condiuntur. O! lucerna dignè ſupra candelabrum Eccleſiæ poſita, quæ latè Catholicis vrbibus, de ſeptiformi lychno, paſtum oleo lætitiæ lumen effundens, denſas licet hæreticorum caligines diſcutis, & lumen veritatis à confuſione tenebrarum, ſplendore clarifici ſermonis enubilas. *Epiſt. 31. apud Auguſt.*

Eamdem hæreſin ſcriptis oppugnarunt, ex Græcis quidem Serapion, Tmueos Ægypti vrbis Epiſcopus, cui Scholaſtici cognomen inditum, charus Antonio Monacho, vt teſtatur Hieronymus *l. de viris Illuſt.* Didymus Alexandrinus: Titus Boſtronus Epiſcopus, quatuor libris, quos fortes Hieronymus ibidem appellat: & Zacharias Epiſcopus Mitylenes: ex Latinis verò Victorinus Afer, cuius Auguſtinus meminit *libro. 8. Conf. cap. 2.* vt ſuprà vidimus. Hic à

Sirmondo

Sirmondo editus inter opuſcula dogmatica veterum quinque Scriptorum: alij ab Henrico Caniſio tom. 5. lect. Antiq.

§. XIV.

Scholam Theologicam tenet.

DVm adhuc Presbyter exiſtit, atque ſuos inter Carthagine legeretur Epiſtola Pauli ad Romanos, & quædam interrogaretur à fratribus; maluerunt illi ipſi reſponſiones ipſius ſcribi potiùs, quàm fundi ſine litteris. Quod fecit libro vno. *l. 1. Ret. c. 23.* Quo licuit eruditiſſimo viro ſaltem huic vni ſuccumbere culpæ, quam tam acriter poſtmodum in Pelagianis, & Semipelagianis inſectatus eſt, tamque validè expugnauit: vt pòſt demonſtrabimus.

Inquirens enim, quomodo nondum natos, priuſquam aliquid boni vel mali egiſſent, elegerit Deus reieceritque; & ideo ſit dictum, Maior ſeruiet minori, iuxta hoc quod ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui: eò labitur, vt, quoniam Spiritus ſanctus non datur niſi credentibus, non quidem Deus elegerit opera, quæ ipſe largitur, cùm dat Spiritum ſanctum, vt per charitatem bona operemur; ſed tamen, inquit, elegit fidem. Quapropter niſi quis credat in eum, & in accipiendi voluntate permaneat; non accipit donum Dei, id eſt Spiritum ſanctum, per quem infusâ charitate, bonum poſſit operari. Non ergo elegit Deus opera cuiuſquam in præſcientiâ, quæ ipſe daturus eſt; ſed fidem elegit in præſcientia: vt quem ſibi crediturum eſſe præſciuit, ipſum elegerit, cui Spiritum ſanctum daret, vt bona operando, etiam vitam æternam conſequeretur. Dicit enim idem Apoſtolus: ***Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus*** : nuſquam autem dictum eſt: ***Deus credit omnia in omnibus.*** Quod ergo credimus, noſtrum eſt: quod autem bonum operamur, illius eſt qui credentibus in ſe dat Spiritum ſanctum. ***Expoſ. in Epiſt. ad Rom. c. 60.***

Quapropter per id tempus, nondum quæſiuerat diligentiùs, nec adhuc inuenerat, qualis ſit electio gratiæ, de qua idem dicit Apoſtolus: ***Reliquiæ per electionem gratiæ, ſaluæ factæ ſunt***: quæ vtique non eſt gratia, ſi eam merita vlla præcedant: nè iam quod datur, non ſecundùm

dùm gratiam, ſed ſecundùm debitum reddatur potiùs meritis, quàm donetur. Proinde quod continuò dixi: Dicit enim Apoſtolus, Idem Deus qui operatur omnia in omnibus: ac deinde ſubiunxi; Quod ergò credimus, noſtrum eſt; quod autem bonum operamur, illius eſt qui credentibus dat Spiritum ſanctum: profectò non dicerem, inquit, ſi iam ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu, &c. *l.1. Retract. c.* 23. Fidei etenim incrementum non tantummodò eſſe donum Dei, ſed etiam ipſius initium; toto poſtea libro oſtendit, quem ſcripſit de Prædeſtinatione Sanctorum ad Proſperum & Hilarium, contra Semipelagianos tum exorientes. Videri quoque poteſt *lib. de Grat. Chriſti cont. Pelag. & Caleſt. c.*7. *& ſeqq.*

Ergo electionē non præcedentium in bonis operibus meritorum, ſed electionem gratię demōſtrans Apoſtolus, ſic inquit: Et in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ, ſaluæ factæ ſunt. Si autem gratia; iam non ex operibus: alioquin gratia non eſt gratia. Hæc eſt electio gratiæ, id eſt, electio quâ per Dei gratiam homines eliguntur. Hæc eſt inquam electio gratiæ, quâ omnia bona merita præueniuntur humana. Si enim vllis bonis meritis datur; iam non gratis donatur, ſed debita redditur: ac per hoc non vero nomine Gratia nuncupatur, vbi merces, ſicut idem dicit Apoſtolus, non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Si autem vera ſit gratia, id eſt, gratuita; nihil inuenit in homine cui meritò debeatur: quod bene intelligitur & in eo quod dictum eſt: *Pro nihilo ſaluos facies eos*: profectò ipſa dat merita, non meritis datur. Præuenit ergo etiam fidem, ex quâ omnia bona opera incipiunt: Iuſtus enim, ſicut ſcriptum eſt, ex fide viuit. *l. de Patient. c.*20. *tom.*4.

Poſt expoſitionem Epiſtolæ ad Romanos, expoſuit eiuſdem Apoſtoli Epiſtolam ad Galatas, non carptim, id eſt aliqua prætermittens, ſed continenter & totam: quam expoſitionem vno volumine comprehendit. *l.1. Ret. c.*24.

Ad eumdem modum decreuerat exponere Epiſtolam ad Romanos: ſed cuius operis quoniam plures libri futuri erant, ſi perficeretur, quandoquidem vnum in ſola diſputatione Salutationis abſoluerat; totius magnitudine ac labore deterritus, ſubſtitit, vnico illo edito, cui titulus eſt: Epiſtolæ ad Romanos inchoata expoſitio. *l. eod. c.*25.

Mathema-

Mathematicos, quos olim impensè coluerat, verumtamen ante conuerſionem deſeruit, etiam nunc confutauit, vt conſtat Quæſtione *45. inter octoginta tres.* videri poteſt contra eoſdem *l. 2. de doct. Chriſt. c. 21. & Epiſt. 243.*

De Mendacio denique librum ſcripſit: qui etſi cum aliquo labore intelligatur; habet tamen non inutilem ingenij & mentis exercitationem, magiſque moribus ad veriloquium diligendum proficit. *libr. 1. Ret. cap. 27.*

§. XV.

Hieronymo innoteſcit.

CONtrouerſia quoque, quam ſuper Legalibus & mendacio habuit cum Hieronymo, Auguſtino adhuc Presbytero cepit initium: in quâ illum, licet in quibuſdam articulis ferè totâ Græcorum vniuerſitate ſtipatum, expugnauit, & manus dare compulit. *Epiſt. 8. 9. 15. & 19.* Nam qui volunt Petrum ab errore, atque ab illa in quam inciderat viæ prauitate defendere; ipſam religionis viam, in qua ſalus eſt omnibus, confractâ & communitâ Scripturarum auctoritate, conantur euertere. In quo non vident, non ſolùm mendacij crimen, ſed etiam periurij ſe obiicere Apoſtolo in ipsâ doctrina pietatis, hoc eſt, in Epiſtola, in qua prædicat Euangelium. Ibi quippè ait, priuſquam iſta narraret: Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. *l. de mendac. c. vlt.* Anno 394.

Quæ dici aduerſus Hieronymum palàm eſt. de quo perinde teſtatur Auguſtinus: in opere tum recentiſſimo, quod Hieronymus ſub nomine Critobuli aduerſus Pelagium poſteà ediderat, eandem de iſta re geſtâ, dictiſque Apoſtolicis ſententiam tenuiſſe; quam beatiſſimi Cypriani, etiam nos, inquit, ſecuti ſumus. *Epiſt. 260.*

Primas ſuas ad Hieronymum litteras, poſtquam ab eo rediit Alipius, per Profuturum diſcipulum ſuum, quem illi profectum commendabat, Presbyter Auguſtinus direxerat: *Epiſt. 8.* quas cum Hieronymus recepiſſe ſe dicat, & interim Profuturum retractum de itinere, & Epiſcopum conſtitutum, veloci morte ſubtractum teſtetur, *Epiſt.*

14. vt & Auguſtinus *Epiſt.* 11. *cap.*1. cuius proinde anteà ad eandem dignitatem eucti meminerat quoque Paullinus ad Romanianum; *Epiſt.* 36. *apud Auguſtin.* exiſtimant nonnulli eundem eſſe, qui non in Africa, ſed in Hiſpania Braccarenſis Epiſcopus fuit: de quo Iulianus in Chronico, Anno CCC. XCVIII. Profuturus Presbyter Africæ venit in Hiſpaniam, & ob egregias virtutes, ac mentis ſanctitatem, ſuccedit Paterno in Sede Braccarenſi. *ita Iulian.* Quod ſi habet, alius ab hoc Profuturus videtur, ad quem exſtat Epiſtola 149. Auguſtino dictus, Alter ego. Mihi videtur fuiſſe Cirtenſis Epiſcopus, ante Fortunatum. *l.de vn.bapt.cap.* 16.

§. XVI.

Auguſtini in alienis refutandis moderatio.

IN refutandis vbique aduerſariis, ſiue etiam forent hæretici, acerbus numquam aut mordax fuit, vt tum ex libris patet, tum teſtimonio ipſius, vbi ait: Ego quando cuique vel dicendo, vel ſcribendo reſpondeo, etiam contumelioſis criminationibus laceſſitus; quantùm mihi Dominus donat, frænatis atque coërcitis vanæ indignationis aculeis, auditori lectoriuè conſulens, non ago vt efficiar homini conuitiando ſuperior, ſed errorem conuincendo ſalubrior. *l.*3. *cont.Petil. cap.* 1. Petilianus alioquin cùm rationibus non poſſet, falſiſſimis criminationibus enormiter eum proſciderat, vt inferiùs oſtendemus.

Sed interim Creſconius valde in eo reprehendit aliquando, vitioque vertit, zelum & feruorem quem habebat in diſſeminandâ atque defendenda veritate, etiam tùm, cùm fructum aliquem vix ſperaret. Vnde Dialecticam ei pro crimine obiiciebat, quod & Petilianus fecerat, quaſi Chriſtianæ non congrueret veritati: ideoque eum Donatiſtæ, veluti hominem Dialecticum meritò fugiendum potiùs & cauendum, quàm refellendum reuincendumque cenſuerunt. *l.*1. *cont. Creſc.c.* 13. *aliiſq; precedd. & ſeqq.* Quæ omnia validiſſimè refellit *locis citatis, & l.*2.*c.*1. *& ſeqq.*

§. XVII.

§. XVII.

Rerum magis, quàm verborum ſtudioſus.

IAm de vocabulis, quibus res ſacras aptè perſpicueque exponeret, non fuit admodùm, aut ſolicitè curioſus: vtpotè cuius non in expoſitione ſermonis, ſed in demonſtratione veritatis maior erat intentio: *l.2.cont.Creſc.c.1.* In quo Ciceronem fortaſſe ſecutus eſt, qui & ipſe monet, re intellectâ, nos in vſu verborũ faciles eſſe debere. Quod confirmat exemplo Demoſthenis: cui cùm Æſchines nonnullam locutionis inſolentiam obieciſſet; negauit ille, poſitas in eo eſſe fortunas Græciæ, illonè an illo verbo vſus fuerit, & an huc an illuc manum porrexerit. *ibid.* Sicuti enim noſtri auctores, Diuinarum ſcilicet Litterarum, de rebus maximè cogitauerunt, ſic mundanorum auctorum propè omnis cura de verbis eſt. *l.cont.Adim.c.11.*

Quapropter non timendas ferulas Grammaticorum, dum ad veritatem ſolidam, & certiorem perueniamus, inquit, *Tract.2.in Ioann.ad vocem Sanguinibus:* quam maluit ille qui interpretabatur ſic ponere, & quaſi minùs Latinè loqui ſecundùm Grammaticos; & tamen explicare veritatem, ſecundùm auditum infirmorum. *ibid.* videri quoque poteſt *ſerm.45.de diuerſ.c.10.* Vnde quodam loco exponens illud Pſalmi, *Non eſt abſconditum os meum à te:* ait: Habeo in abſcondito quoddam oſſum, ſic enim potiùs loquamur: nam quod vulgò dicitur oſſum, Latinè os dicitur. Meliùs eſt vt reprehendant nos Grammatici, quàm non intelligant populi. *Enarr.in Pſ.138.* Vide *l.3.de doct.Chriſt.c.3.* Cuius ſimile eſt, quod, cùm dixiſſet, *Toto die miſeretur & fœnerat;* adiungat: Quid ad nos quid Grammatici velint? Meliùs enim in barbariſmo noſtro vos intelligitis; quàm in noſtra diſertitudine, vos deſerti eritis. *Enarr.in Pſalm.36.* Denique ipſa Scriptura, verbis noſtris loquens, etiam per hæc verba demonſtrat, nihil dignè de Deo dici poſſe. Nam de illa Maieſtate quidquid dictum fuerit, indignè dicitur; quia omnes opes linguarum omnium, ineffabili ſublimitate præcedit. *l.cont.Adimant.c.7.*

CAPVT III.

AVGVSTINVS EPISCOPVS.

§. I.

Fit Epiſcopus.

Anno. 395. EIuſcemodi rerum gratiâ, cùm præſertim innoteſcere publicè cœpiſſet ob eam diſputationem, quam in Synodo Hipponenſi habitam ad amicorum preces vulgauerat; beatus ſenex Valerius, ceteris ampliùs exultans Deoque benedicens, metuere cœpit (vt eſt humanus animus ſæpenumerò anxius) ne ab Eccleſiâ aliquâ Antiſtite deſtitutâ, ad Epiſcopatum quæreretur, atque hoc pacto Hipponenſibus ſubduceretur. Iſtud etenim reuera contigiſſet, niſi horum præſcius Valerius Auguſtinum tantiſper aliò commigrare iuſſiſſet. *Poſsid. cap.* 8. Quapropter animaduertens timorem ſuum non eſſe vanum; ſe verò grandæuum iam corporeque infirmum; ſecretis litteris egit apud Primatem Epiſcoporum Carthaginenſem, vt Hipponenſi Eccleſiæ ordinaretur Auguſtinus Epiſcopus: ſibique non tam ſuccederet, quàm conſacerdos accederet. *ibid.*

Quod petiit Valerius, Reſcripto impetrauit: adeoque paullò pòſt viſitanti Eccleſiam Hipponenſem Megalio Calamenſi Epiſcopo, Primati Numidiæ, aliiſque Epiſcopis qui tum fortè aderant, totique Hipponenſi Clero, poſtulationem ſuam aperuit. Quam cùm quiſque magnâ adgratulatione ratam haberet, & facto compleri ſummoperè optaret; *Poſsid. cap.* 8. Diabolus indubiè totum quidquid hoc erat, ſubuertere conabatur. Megalius enim Auguſtinum ordinare noluit: allegans amatorium mulieri cuidam, marito non ſolùm conſcio, verumetiam fauente, ab illo datum: quod & aliis Epiſcopis per litteras ſignificauit. *l. 3. cont. Petil. cap.* 16. Verumtamen facti pœnitens Megalius, in Epiſcoporum poſteà Concilio hâc de cauſsâ coacto, veniam petiit: quòd innocentem de tam turpi crimine infamaſſet. *ibid.*

Quod

Quod vbi factum fuit; ſolus iam Auguſtinus Epiſcopatum ſuſcipere contra morem Eccleſiæ, ſuo adhuc viuente Epiſcopo, Presbyter recuſabat. Sed vicit præſentium auctoritas, ſuffulta apud eiuſce rei ignarum non Africanis tantùm, ſed tranſmarinis etiam exemplis. *Poſsid. cap.* 8

Ergo quia tantâ Valerij charitate, tantoque populi ſtudio Dominum id velle credidit, nonnullis præſertim iam exemplis præcedentibus, quibus omnis ei excuſatio claudebatur; vehementer timuit excuſare. *Epiſt.*34. Sicque compulſus coactuſque ſuccubuit. *Poſsid. cap.*8. ordinatuſque eſt à Megalio, qui tunc erat Epiſcoporum Eccleſiæ Catholicæ in Numidiâ Primas. *Cellat.3.cap.7.*

Atqui Concilio Nicæno vetitum id fuiſſe, vt ordinaretur, ſederetque cum Valerio; neque ipſe Valeriuſq; ſciebant. *Epiſt.*110. Et ideo quod fieri non debuit, factum eſſe doluit, neque in aliis fieri deinceps voluit: procurans vt ederentur in Synodo, quæcumque ab Ordinatoribus ſciri iuxta Oecumenica Concilia, & ab Ordinandis atque Ordinatis deberent. *Poſsid. c.*8. Iſtud enim paullò pòſt opere præſtitit in Concilio Carthaginenſi tertio, cui interfuit, vt teſtatur in Tomis Conciliorum nominis eius ſubſcriptio, cuiuſque decretum ita habet: Placuit vt in Ordinandis Epiſcopis vel Clericis, priùs ab Ordinatoribus ſuis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, nè ſe quid contra ſtatuta Concilij feciſſe pœniteat. *Concil. Carthag.* III. *anno* 397.

Vbi verò Afrorum litteris ſignificatum Paullino fuit, Auguſtinum ordinatum Epiſcopum: cùm ſolus gaudium ſuum continere domi non poſſet; ad Romanianum ſcribens, Non tantùm dicebat eſſe gratulandum, quòd Epiſcopatum Auguſtinus acceperit; ſed quod hanc Dei curam meruerint Africanæ Eccleſiæ, vt verba cæleſtia Auguſtini ore perciperent, &c. *Epiſt.* 36.

Contigerunt hæc Olybrio & Probino Coſſ. *Proſp. & Caſsiod. in Chron.* inciduntque in Annum Chriſti CCC. XCV. *Onuphr. in Chron.* & quia in Aduentu geſta ſunt, vt patet ex Sermone ſecundo quem habuit die Anniuerſario Epiſcopalis Ordinationis ſuæ, vbi ait: Natalis Domini imminet: paſcendos compauperes noſtros habemus, & cum eis communicanda eſt humanitas: *Homil.* 25. *inter* 50. conſequitur, vt Ætatis anno quadrageſimo primo, paullò antè completo, Epiſcopus creatus ſit.

K 3 §. *II.*

§. II.

In Epiſcopatu, qualis in Deum fuerit.

IN ea dignitate, ſicuti illi creuerat auctoritas; ita neque vitæ pietas, neque verbi Dei vbique prædicandi feruor, tam foris ſcilicet quàm domi, defecit: paratus ſemper poſcentibus reddere rationem de fide & ſpe quæ in Deum eſt. *Poſsid. c.9.*

Licet verò ſcripta ipſius vniuerſa paſſim exhibeant pietatis, deuotionis, charitatis Dei luculentas flammas; Meditationum tamen & Confeſſionum libri, vnicus, iſque perpetuus ignis ſunt. Vnde clamat ad Deum: Quid tibi ſum ipſe, vt amari te iubeas à me, & niſi faciam iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? Paruanè ipſa eſt, ſi non amem Te? *l.1.Conf.cap.5.* Non dubiâ, ſed certâ conſcientiâ, Domine amo Te. Percuſſiſti cor meum verbo tuo, & amaui te. Sed & cælum & terra, & omnia quæ in eis ſunt, ecce vndique mihi dicunt vt te amem, nec ceſſant dicere omnibus, vt ſint inexcuſabiles. *libr.10. Conf. cap. 6.*

Quid autem amo cum Te amo? non ſpeciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis ecce iſtis amicum oculis: non dulces melodias ſuauium cantilenarum omnimodarũ, non florum & vnguentorum & aromatum ſuaueolentiam: non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus: non hæc amo, cum amo Deum meum. Et tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum, cum amo Deum meum: lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei: vbi fulget animæ meæ, quod non capit locus: & vbi ſonat, quod non rapit tempus: & vbi olet, quod non ſpargit flatus: & vbi ſapit, quod non minuit edacitas: & vbi hæret, quod non diuellit ſatietas: hoc eſt quod amo, cùm Deum meum amo. Et quid eſt hoc? &c. *ibid.*

Etſi nondum merui tantùm, quantùm debitor ſum, amare; vtique ſaltem deſidero te amare, quantum debeo. *l.Medit.cap.41.* Si bonum eſt Domine quod inſpiras, imò quia bonum eſt vt te velim amare;

da

De quod me facis velle. da, vt quantum iubes, tantùm te merear amare. *ibid.* Spes cordis mei, virtus animæ meæ, compleat tua potentiſſima dignitas, quod conatur mea tepidiſſima imbecillitas: vita meæ, tu finis intentionis meæ. *eod. l. & c.*

Etenim propter Deum erat, quidquid agebat. Vnde ſunt illæ voces: Ecce tu Domine rex meus & Deus meus, tibi ſeruiat, quidquid vtile puer didici: tibi ſeruiat, quod loquor & ſcribo, & lego, & numero: quoniam cùm vana diſcerem, tu diſciplinam dabas mihi, & in eis vanis, peccata delectationum mearum dimiſiſti mihi. *l.1. Conf. cap.15.* Domine Deus meus intende orationi meæ, & miſericordia tua exaudiat deſiderium meum: quoniam non mihi ſoli æſtuat, ſed vſui vult eſſe fraternæ charitati: & vides in corde meo, quia ſic eſt, vt ſacrificem tibi famulatum cogitationis & linguæ meæ, & da quod offeram tibi. Inops enim & pauper ſum: tu diues in omnes inuocantes te, qui ſecurus curam noſtri geris. *l. 11. Conf. c.2.*

Iam, quia Deum ſerò amauerat, *l.10. Conf. c.27.* nunc ei totus deſiderabat inhærere: quod quia fieri omnimodis in hac vita non poteſt, quæ nihil eſt niſi tentatio ſuper terram; *eod. l. cap. 28.* tota ſpes eius poſita erat in miſericordiâ Dei magnâ valde.

§. III.

Qualis in ſe fuerit.

ET quoniam per Continentiam colligimur & redigimur in vnum, à quo in multa defluximus: minùs enim Deum amat, qui cum illo aliquid amat, quod non propter Deum amat: ideoque voluerit Deus, præceptam vnicuique eſſe Continentiam; Da quod iubes, inquit, & iube quod vis: quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det. *l.10. Conf. cap.29.* Quæ verba Auguſtino familiaria, vt id ſemel annotem, cùm à quodam eius Coëpiſcopo, Romæ coram Pelagio quondam commemorata fuiſſent; Pelagius ea ferre non potuit: & contradicens aliquantò vehementiùs, penè cum eo, qui ea commemorauerat, litigauit: & tamen iam tum ab Auguſtino proferebantur, cùm nondum Pelagianæ hæreſis exiſteret. *l. de dono perſeu. cap. 20.*

Cumque propterea iubeat Deus vnumquemque continere à concupiſcentiâ carnis, & concupiſcentiâ oculorum, & ambitione ſæculi: imò monuerit aliquid melius, quàm conceſſit de ipſo coniugio; ipſumque melius iam Auguſtino dediſſet; ita factum eſt: continuitque à concubitu iam pridem, antequam diſpenſator Sacramenti Dei fieret. Licet nunc adhuc viuerent in memoriâ ipſius talium rerum imagines, quas ibi conſuetudo fixit, occurſarentque vigilanti, carentes quidem viribus; ſed in ſomnis non ſolùm vſque ad delectationem, ſed etiam vſque ad conſenſionem, factumque ſimillimum. Verumtamen confidit per Dei omnipotentis gratiam iſta omnia aliquando ſopitum iri, qui valet facere ſuprà quàm petimus & intelligimus. *l.10.Conf.c.30.* De agendâ ergò iſta temporali vitâ, eo modo, per quem veniendum eſt ad æternam; norat concupiſcentias carnales eſſe frænandas: tantùmque remittendum in delectationes ſenſuum, quantùm ſuſtentandæ huiuſmodi agendæque vitæ ſatis eſt: omneſque moleſtias temporales pro veritate Dei, & ſalute æterna noſtrâ & proximi, patienter fortiterque tolerandas. *Epiſt.* 250. Iam verò propter carnis corpus, quod ſpiritale nondum eſt, erit autem in reſurrectione mortuorum: & propter ipſam carnis concupiſcentiam, cum quâ confligunt ſancti, non ei conſentientes ad malum: eiuſmodi motibus, ita reſiſtunt; vt non careant in hac vitâ: non eos autem habebunt in illâ, vbi abſorbebitur mors in victoriam. *libr.1.Retract. cap.23.* de qua re videri etiam poteſt, *lib.1. de peccat.mer. cap.39. & l. 2.cap.4. & l.4. cont.Iul.cap.2.*

Eſt & alia, vt ipſe loquitur, malitia diei, quæ vtinam ſufficiat ei. Reficimus enim quotidianas ruinas corporis edendo & bibēdo, priùs quàm eſcas & ventrem Deus deſtruat, & corruptibile hoc induerit in corruptione ſempiternâ. Aduerſus illam neceſſitatem, quia ſuauis erat, ne caperetur pugnabat, & quotidianum bellum gerebat in ieiuniis, ſæpiùs in ſeruitutē redigens corpus ſuum. Hoc enim (Deum alloquitur) me docuiſti, vt quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. Sed dum ad quietem ſatietatis, ex indigentiæ moleſtiâ tranſeo; in ipſo tranſitu mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ. ipſe enim tranſitus voluptas eſt, & non eſt alius quà tranſeatur, quàm quò tranſire cogit neceſſitas. Et cùm ſalus ſit cauſſa edendi & bibendi; adiungit ſe tamquam pediſſequa, periculoſa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius cauſsâ fiat, quod ſalutis cauſsâ me

me facere vel dico vel volo, nec idem modus vtriuſque eſt, &c. *l.* 10. *conf. c.* 31.

His tentationibus, ait, quotidie cogor reſiſtere, & inuoco dexteram tuam, ad ſalutem meam, & ad te refero æſtus meos, quia conſilium mihi hâc de re nondum ſtat. *ibid.* Et quamuis ebrietas longè ſemper ab eo fuerit, (non enim vmquam ebrioſus fuit) crapulam tamen ſibi nonnumquam ſubrepere, candidè fatetur. *eod. l. & c.* In ſummâ; quidquid alicubi Scriptura ſiue præcipiebat quoad cibum potumque, ſiue præſcribebat; memoriâ tenens cupiebat opere complere, his vtens verbis: Da quod iubes, & iube quod vis. *ibid.*

§. IV.

Quantus in mortificandis ſenſibus.

NOuerat ſanè frænos gutturis, temperatâ relaxatione & conſtrictione tenendos eſſe. Sed, Quis eſt, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas neceſſitatis? Quiſquis eſt, magnus eſt, magnificet nomen Dei: ego autem non ſum, inquit, quia peccator homo ſum. *l.* 10. *conf. c.* 31.

De illecebrâ odorum non ſatagebat nimis. Cùm abeſſent, non requirebat: cùm adeſſent, non reſpuebat: paratus etiam ſemper eis carere. *eod. l. c.* 32.

Voluptates aurium tenaciùs illum implicauerant & ſubiugauerant: ſed Deus reſoluit & liberauit eum. Quamquam nunc in ſonis, quos animant eloquia ſacra, cùm ſuaui & artificioſâ voce cantantur, fateatur aliquantulum acquieſcere ſe: non quidem vt hæreat, ſed vt ſurgat cùm voluerit. Vnde tametſi approbaret nonnumquam factum Athanaſij, qui tam modico flexu vocis faciebat ſonare Lectorem Pſalmi, vt pronuntianti vicinior eſſet, quàm canenti: attamen cùm reminiſcitur lacrymas ſuas, quas fudit ad cantus Eccleſiæ in primordijs recuperatæ fidei ſuæ; & nunc ipſo commouetur, non tam cantu, quàm rebus quæ cantantur, cùm liquidâ voce & conuenientiſſimâ modulatione cantantur. Adeoque magnam inſtituti huius vtilitatem agnoſcit. Quamobrem magis propendet, vt approbet

 can-

cantandi conſuetudinem in Eccleſiâ: vt per oblectamenta aurium, infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat. Interim cùm accideret, vt ampliùs cantu, quàm re quæ canitur moueretur; pœnaliter ſe peccare confitetur: & tunc maluiſſet non audire cantantem. *lib.* 10. *conf. c.* 33. Quomodo verò in Templis Catholici, quomodo Donatiſtæ ſoliti eâ tempeſtate pſallere, quæ vtriuſque cantûs differentia; videri poteſt *Epiſt.* 119. *c.*18.

Iam quod attinet voluptatem oculorum; amant illi pulchras formas & varias, nitidos & amœnos colores. Non teneant hæc, inquit, animam meam, teneat eam Deus, qui hæc fecit, bona quidem valde, ſed ipſe eſt bonum meum, non hæc. Et quamquam delectatus ſummoperè fuerit luce, vt ſi repente ſubtraheretur, cum deſiderio requireret; & ſi diu abeſſet, animo contriſtaretur: lucem tamen ſpiritualem longè præfert corporali, quæ illecebroſâ ac perículoſâ dulcedine condit vitam ſæculi cæcis amatoribus. Reſiſtebat igitur ſeductionibus oculorum, nè implicarentur pedes ipſius: erigebatque ad Deum oculos inuiſibiles, &c. *eod. l. c.* 34.

§. V.

Curioſa non ſectatur.

ET licet curioſitatem, ſiue aliquid noſcendi experiendique libidinem (quam dicit eſſe ſiluam immenſam, plenam inſidiarum & periculorum) plurimùm à ſuo corde diſpulerit, ſicuti nimirum Deus donauit: non tamen audet dicere, cùm circumquaque quotidianam vitam noſtram tam multa huius generis rerum circumſtrepant, nullâ re tali ſe intentum fieri ad ſpectandum, & vanâ curâ capiendum. Verum quidem eſt quod iam eum theatra non rapiant, neque curet noſſe tranſitus ſiderum: imò neque vmquam quæſiuerit anima ipſius, deteſtans omnia ſacrilega ſacramenta, reſponſa Vmbrarum: ſed tamen ſuggeſtionum machinationibus agebat inimicus, vt ſignum aliquod peteret: quod ſicuti ab eo longè erat vt faceret; ita rogabat Deum, vt ſemper fieret longiùs. *l.* 10. *conf. c.* 35. Atque huc facere videtur, quod alibi dicit: Multa ago in cogitationibus

meis,

meis, pugnans aduerſus malas ſuggeſtiones meas, & habens conflictationem diuturnam, & propè continuam vim cum tentationibus inimici, ſubuertere me volentis. *Enarr. in Pſ. 36. conc.* 3.

In multis interim minutiſſimis & contemtibilibus rebus, fatetur quotidie curioſitatem noſtram tentari, neque poſſe enumerari quàm ſæpe labamur. Multoties enim narrantes inania, primò quaſi toleramus, ne offendamus infirmos, deinde paullatim libenter aduertimus. *l.* 10. *conf. c.* 35. Talium enim delectatio ſubrepit & nobis, inquit, vt ſæpe etiam loqui vana delectet, auremque præbere loquentibus, nec arridere tantùm; ſed etiam riſu vinci ac ſolui. Ita puluereis quibuſdam, vel etiam luteis affectibus, noſtras animas aggrauantes, laborioſiùs & pigriùs leuamus ad Deum, vt viuamus Euangelicam vitam, moriendo Euangelicam mortem. *Epiſt.* 150.

Canem currentem poſt leporem, quod in Circo fit, non iam quidem ſpectat, vt ipſe de ſeſe refert; at verò in agro ſi caſu tranſeat, auertit fortaſſis, & ab aliqua magna cogitatione ad ſe conuertit illa venatio, non deuiare cogens corpore iumenti, ſed cordis inclinatione. Imò domi ſedentem, ſtellio muſcas captans, vel aranea retibus ſuis irruentes implicans, ſæpe intentum facit. A quibus niſi citò admoneatur, aut ex eiuſmodi viſione per aliquam conſiderationem in Deum aſſurgere, vel ſanè totum contemnere; fatetur ſe vanum hebeſcere, vt neque inde incipiat eſſe intentus, licet pergat ad laudandum Deum, creatorem mirificum, atque ordinatorem rerum omnium. Aliud enim eſt citò ſurgere, aliud non cadere. Et talibus, inquit, vita mea plena eſt, & vna ſpes mea in magnâ valdè miſericordia tua. *l.* 10. *conf. cap.* 35.

Atque hinc quàm fuerit alienus iam Epiſcopus à vanis omnibus, delicioſis & curioſis quæſtionibus; patet ex Epiſtola ad Dioſcorum: quâ vehementer hominem, vt apparet, Paganum obiurgat, quòd non ſit veritus Epiſcopum Eccleſiaſticis curis circumſtrepentibus diſtrictum atque diſtentum, repente quaſi obſurdeſcentem, auocare ab his omnibus, vt dialogorum Tullianorum quæſtiunculas vni ſcholaſtico exponeret. *Epiſt.* 56.

§. VI.

Neque vindictæ, neque laudari cupidus.

ET quoniam mutare cœperat eum Deus; fatetur non ex minimâ parte ſe mutatum, quia ſanatus eſt à libidine vindicandi ſe: futurumque eapropter exiſtimat, vt ſanentur quoque alij languores ipſius, & denique ſanetur in bonis deſiderium, quia compreſſit Deus timore ſuo, ſuperbiam ipſius. *l.*10. *conf. cap.* 36. Alioquin hâc in re fuiſſe nonnûmquam ancipitem patet vbi ait: Quid dicam de vindicando, vel non vindicando, quandoquidem hoc totum ad eorum ſalutem proficere voluimus, in quos vindicandum aut non vindicandum eſſe arbitramur? Quis etiam ſit vindicandi modus, non ſolum pro qualitate vel quantitate culparũ, verumetiam pro quibuſdam viribus animorum, quid quiſque ſufferat, quid recuſet; ne non ſolùm non proficiat, ſed etiam deficiat; quàm profundum & latebroſum eſt? Impendentem quoque vindictã metuentes, quæ ab hominibus metuitur, neſcio vtrùm plures correcti ſunt, quàm in deterius abierunt. Cùm ſæpe accidat, vt ſi quemquam vindicaueris, ipſe pereat: ſi inultum reliqueris, alter pereat. Ego in his quotidie peccare me fateor, & ignorare quando, quoue modo cuſtodiam id quod ſcriptum eſt: Peccantes coram omnibus argue. & quod ſcriptum eſt: Corripe eum inter te, & ipſum ſolum. *Epiſt.* 250.

Iam quia ignorabat, vtrùm adhuc aliud tentationis genus à ſe omninò ceſſaſſet, aut ceſſare poſſet in hac vita, timeri nimirum & amari velle ab hominibus, non propter aliud, ſed vt inde ſit gaudium, quod non eſt gaudium: ideo dicebat, Gloria mea tu eſto: propter te amemur, & verbum tuum timeatur in nobis. Qui enim laudari vult ab hominibus, vituperante te; non defenditur ab hominibus, iudicante te, nec eripitur damnante te. *l.* 10. *conf.* c. 36. Quare cùm propter quædam humanæ ſocietatis officia, amari & timeri ab hominibus neceſſarium ſit; inſtat aduerſarius veræ beatitudinis noſtræ, vbique ſpargens in laqueis *Euge Euge*, vt dum auidè colligimus, incautè capiamur, &c. *ibid.* Etenim quotidiana fornax noſtra, eſt humana

humana lingua: imperas nobis & in hoc genere Continentiam. Da quod iubes, & iube quod vis. *l.10. conf. c.37.*

Quia enim non colligebat facilè, quàm ſit ab iſta peſte mundatior; confitetur idcirco, quod hoc genus tentationis attinet, delectari ſe laudibus, ſed ampliùs ipsâ veritate quàm laudibus. Deinde, quod gaudium cuiuſlibet boni ipſius, augeat ſuffragatio oris alieni; ipſumque minuat vituperatio. Verùm cùm neſciat, vnde id præcisè oriatur: vtrum ſcilicet propter ſe, an propter vtilitatem proximi moueatur laudibus; Deum obſecrat, vt ſibi ſe indicet. *eod. l. & c.* Magnum enim eſt, de honoribus & laudibus hominum non lætari, ſed & omnem pompam inanem præcidere: & ſi quid inde neceſſarium retinetur, id totum ad vtilitatem honorantium ſalutemque conferre. *Epiſt. 64.*

Huius hoſtis vires non ſentit, niſi qui ei bellum indixerit. Quia etſi cuiquam facilè eſt laude carere dum denegatur; difficile eſt eâ non delectari, cùm offertur. Et tamen tanta mentis in Deum debet eſſe ſuſpenſio; vt, ſi non meritò laudemur, corrigamus eos quos poſſumus: ne arbitremur aut in nobis eſſe, quod non eſt, aut noſtrum eſſe quod Dei eſt: aut ea laudent, quæ quamuis non deſint nobis, aut etiam ſuperſint; nequaquam tamen ſunt laudabilia, velut ſunt bona omnia, quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impijs hominibus. Si autem meritò laudamur; propter Deum gratulemur eis, quibus placet verum bonum, non tamen nobis, quia placemus hominibus, ſed ſi coram Deo tales ſumus, quales nos eſſe credunt, & non tribuitur nobis, ſed Deo: cuius dona ſunt omnia, quæ verè meritoque laudantur. *Epiſt.64.*

Hæc, inquit, mihi ipſe cano quotidie, vel potius ille cuius ſalutaria præcepta ſunt, quæcumque ſiue in diuinis lectionibus inueniuntur, ſiue quæ intrinſecùs animo ſuggeruntur: & tamen vehementer cum aduerſario dimicans, ſæpè ab eo vulnera capio, cùm delectationem oblatæ laudis, mihi auferre non poſſum. *ibid.* Etenim ſermo ore procedens, & facta quæ innoteſcunt, habent tentationem periculoſiſſimam ab amore laudis, qui ad priuatam quandam excellentiam contrahere emendicata ſuffragia tentat: adeò vt contingat etiam aliquando, ipſo laudis contemtu hominem gloriari. *lib. 10. conf. cap. 38.*

Iamverò ex hoc genere tentationis naſcitur aliud malum, quo

 inaneſ-

inaneſcunt qui placent ſibi de ſe, quamuis alijs nec placeant, nec diſpliceant, nec placere affectent. Sed ſibi interim placentes, multum Deo diſplicent, non vnam ob cauſſam. *l.* 10. *conf. c.* 39. In his omnibus, inquit, atque huiuſcemodi periculis & laboribus, vides Domine, tremorem cordis mei: & vulnera mea magis ſubinde à te ſanari, quàm mihi non infligi ſentio. *ibid.* Deum enim fatetur vbique ſecum fuiſſe: eiuſque gratiâ effectum, quod plurima inueſtigando deprehenderit, neque tamen inuenerit vllibi tutum animæ ſuæ locum, præterquàm in Deo. *eod. l. c.* 40.

§. VII.

Eius in Deo fiducia, & in ſacras Litteras amor.

QVamobrem conſiderans languores peccatorum ſuorum in concupiſcentia triplici, diuinam ſe dexteram inuocaſſe ait ad ſalutem ſuam: fatetúrque, quoniam voluerat aliquando ſimul cum veritate, quæ Deus eſt, poſſidere mendacium; ipſam ſe veritatem, quia non dignatur cum mendacio poſſideri, amiſiſſe. *l.* 10. *conf. c.* 41.

Cui nihilominus dum ſtudet reconciliari; non adiuit vllâ prece aut ſacramentis Angelos: quod nonnulli, cùm per ſeipſos non valerent, tentantes, inciderunt in deſiderium curioſarum viſionum, & digni habiti ſunt illuſionibus: fallacem enim implorabant mediatorem: *eod. l. c.* 42. ſed adiuit mediatorem verum Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum: quem ſecreta Dei miſericordia demonſtrauit humilibus, miſitque vt eius exemplo diſcerent humilitatem: qui non rapinam arbitratus eſt, æqualis eſſe Deo, & tamen factus eſt ſubditus vſque ad mortem Crucis: qui pro hominibus factus eſt Deo Sacerdos & Sacrificium, victor & victima, & ideo victor quia victima, ideo Sacerdos, quia Sacrificium; in illo inquam, ſpes ei meritò valida fuit, quod ſanaret omnes languores ſuos, alioquin deſperaturus.

Nam licet multi, & magni ſint ijdem languores; maior tamen & amplior eſt medicina Dei. Quamquam ergo conterritus peccatis ſuis,

ſuis, & mole miſeriæ ſuæ, agitauerit in corde, meditatuſque fuerit, iam nimirum Epiſcopus, fugam ſiue reditum in ſolitudinem; *eod. l. c.* 43. quælibet enim puſillanimitas tempeſtaſque deſerti, minùs ei videbatur moleſta, quàm ea pericula quæ vel patiebatur vel timebat in turbis; *Epiſt.* 250. tamen prohibuit Deus, & confirmauit illum, dicens: Ideo pro omnibus Chriſtus mortuus eſt, vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt. *l.*10. *conf. c.* 43.

Curam proinde ſuam iactauit in Dominum vt viueret, & conſideraret mirabilia de lege Dei: *ibid.* adeoque ingreſſus Scripturarum ſanctarum amœna prata, viridiſſimas ſententiarum herbas exarando carpebat, legendo comedebat, frequentando ruminabat, atque congregando tandem in altâ memoriæ ſede reponebat: vt tali modo Dei dulcedine guſtatâ, minus iſtius miſerrimæ amaritudinis ſentiret. *l. Medit. c.* 22. Et idcircò nolebat in aliud horas defluere, quas inueniebat liberas à neceſſitatibus reficiendi corporis, & intentionis animi, & ſeruitutis quam debemus hominibus, & quam non debemus, & tamen reddimus, *l.* 11. *conf. c.* 2.

Orat ergò: Largire ſpatium meditationibus noſtris in abdita legis tuæ, neque aduerſus pulſantes claudas eam. Neque enim fruſtra ſcribi voluiſti tot paginarum opaca ſecreta. *ibid.* Pergit: Domine miſerere mei, & exaudi deſiderium meum. Puto enim quod non ſit de terrâ, nô de auro & argento, aut de lapidibus & decoris veſtibus, aut honoribus & poteſtatibus, aut voluptatibus carnis, neque de neceſſariis corpori, & huic vitæ peregrinationis noſtræ: quæ omnia nobis apponuntur, quærentibus regnum & iuſtitiam tuam. Vide Domine Deus meus, vnde ſit deſiderium meum. *eod. l. & c.*

Vt verò inter hæc rectum teneat: Circumcide, inquit, ab omni temeritate, ab omnique mendacio, interiora & exteriora labia mea. Sint caſtæ deliciæ meæ, Scripturæ tuæ, nec fallar in eis, nec fallam ex eis. *l.* 11. *conf. c.* 2. Neque hoc fruſtra: Quia mira, inquit, profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos ſuperficies blandiens paruulis; ſed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas. Horror eſt intendere in eam: horror honoris, & tremor amoris. *l.* 12. *conf. c.* 14. Et ideò non oportet vmquam de tam ſublimi auctoritate iudicare, neque de ipſo libro, etiamſi quid ibi non lucet: quoniam ſubmittimus ei noſtrum intellectum, certumque habemus etiam quod clauſum eſt aſpectibus noſtris, rectè veraciterque dictum eſſe. *l.* 13. *conf. c.* 23.

§. *VIII.*

§. VIII.

Qualis erga proximum, populumq́ cui praeerat.

IN Concionibus & Homilijs recitandis ad populum, quotidianus erat, vt patet ex Enarrationibus in Pſalmos: vt neque in infirmitate ceſſauerit: *ſerm.* 45. *de diuerſ. c.* 1. imò nonnumquam bis in die dixit: *conc.* 2. *in Pſal.* 88. deuotiſſimus ſemper, & ſalutis animarum ardentiſſimus. Vnde vobis dico, inquit, ſiue præſentibus ſiue abſentibus, quibus inimicus efficior verum prædicans: quibus conſulendo videor onerosus: quorum requirens vtilitatem, cogor offendere voluntatem: nolite eſſe ſicut equus & mulus, non habentes intellectum. Nam & hæc iumenta eos maximè calce morſuque appetunt, à quibus curantur: vt curentur, eorum vulnera contrectantur. Non parcis? non parco: aduerſaris? aduerſor: reſiſtis? reſiſto. Lucta nos comparat, ſed cauſſa ſeparat. Tu inimicus es medico, ego morbo: tu diligentiæ meæ, ego peſtilentiæ tuæ. *homil.*24. *c.* 2. *inter* 50.

Non eſt dubium interea, quin eam in dicendo rhetoricam ſemper ſecutus fuerit, quam præſcripſit omnibus, *l.*4. *de doct. Chriſt. toto.* Adhæc clauſa vbique reſerans, abſcondita reuelans, myſteria pandens, obſcura dilucidans, dubia definiens, vitia deteſtans, virtutes extollens, ſupplicio comminans, præmia promittens, puſillanimes confortans, præſumentes deterrens, perſeuerantes coronans. *Auct. præfat. in Pſalm.*

Quamobrem ad Chriſtum plurimos adduxiſſe certum eſt: ſignanter Mathematicum quemdam, qui ementibus à ſe mendacium, nummos ſæpiùs abſtulerat. Seductus enim ab inimico, cùm eſſet fidelis, diu Mathematicus fuerat: ſeductus ſeducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia locutus eſt contra Deum, qui dedit hominibus poteſtatem faciendi quod bonum eſt, & non faciendi quod malum eſt. Iſte dicebat, quia adulterium non faciebat voluntas propria, ſed Venus: & homicidium non faciebat voluntas propria, ſed Mars: & iuſtum non faciebat Deus, ſed Iouis, & alia multa ſacrilega

crilega non parua. Tum verò horrens mendacium & multorum hominum interitum, cùm ſentiret ſe à diabolo fuiſſe illectum; conuertebatur ad Deum pœnitens. *Enarr. in Pſal. 61. in fine.* Videri contra eiuſcemodi genus hominum poteſt *l. 2. de doct. Chriſt. c. 21.*

Conuertit etiam negotiatorem quemdam, Firmum nomine, ſectâ Manichæum: cùm prædicans in aliud atque propoſuerat, contra ſuam conſuetudinem fuiſſet digreſſus: atque ita, non concluſâ vel explicatâ quæſtione de quâ dicere decreuerat, in Manichæorum errores inuectus. Etenim vno alteróue, poſtquam hoc contigerat, die, accedens Firmus, & ad pedes ipſius prouolutus, cum lacrymis quod euenerat confeſſus eſt. *Poſſid. c. 15.*

Catechumenos quàm ſalutaribus ſemper monitis erudierit, vt adeptam ſemel in Baptiſmo ſanctitatem cuſtodirent; patet libris quatuor diuerſis ad Catechumenos.

Superſtitiones omnes, ſpectacula theatrica, adulteria, fornicationes, omnia denique vitia quæ præceptis Decalogi aduerſantur, quomodo in omnibus deteſtatus ſit, patet libro De decem Chordis. Iam tum enim tanta erat peruerſitas generis humani, vt aliquando metuendum eſſet, ne caſtus erubeſceret inter impudicos. Ideo non ceſſabat tangere iſtam quintam chordam, propter ipſam peruerſam conſuetudinem & labem totius generis, vt dicebat, humani. *lib. de dec. chord. cap. 9.*

Neque tantummodò deteſtatus grauia & mortifera; verumetiam leuiora & quotidiana. Noli, inquit, illa contemnere, quia minora ſunt: ſed time, quia plura ſunt. Non eſt beſtia quaſi leo, vt vno morſu guttur frangat: ſed beſtiæ plerumque minutæ multæ necant. Si proijcitur quiſquam in locum pulicibus plenum, numquid non moritur ibi? Non ſunt quidem maiores, ſed infirma eſt natura humana, quæ etiam minutiſſimis beſtiis interimi poteſt. Sic & modica peccata attendite, quia modica ſunt: & cauete quia plura ſunt. Quàm minutiſſima ſunt grana arenæ! ſi arenæ amplius in naui mittatur, mergit illam vt pereat. Quàm minutæ ſunt guttæ pluuiæ! nónne flumina implent, & domos deijciunt? Ergo iſta nolite contemnere, *&c.* quamquam doceat remedijs eleēmoſynarum, ieiuniorum, orationum expurgari. *l. de dec. chord. c. 11.* Eodem facit quod ait: Non contemnantur vel minora. Per anguſtas rimulas nauis inſudat aqua, impletur ſentina, mergitur nauis. Sed non ceſſatur à nautis, ambulant

M manus,

manus,ambulant, vt quotidie ſentinæ exhauriantur: ſic & tuæ manus ambulent, vt quotidie ſentines. *homil. 42. c.9. inter. 50.* Quo in loco repetit idem Eleëmoſynæ aduerſus minora peccata antidotum : ſed & videri poteſt *l. 2. cont. Parm. c.10. Tract. 12. in Io. in fine. ſerm. 244. de temp. & l. de Cant. nouo c.11.*

§. IX.

Ebrioſos caſtigat.

v. Epiſt. 64. Sicuti ebrietatem acerrimè inſectabatur , cui vitio Afri erant deditiſſimi ; ita ebrioſos pariter arguebat. Quorum mores tum vigentes, nequedum noſtro hoc ſæculo abolitos, graphicè depingit arguitque his ſequentibus : Cùm enim, inquit, ebrietatis malum ſit graue vitium, & Deo odibile; ita per vniuerſum mundum à pluribus in conſuetudinem miſſum eſt, vt ab illis qui Dei præcepta cognoſcere nolunt , iam nec putetur, nec credatur eſſe peccatum : in tantum vt in conuiuiis ſuis irrideant eos qui minus bibere poſſunt , & per inimicam amicitiam adiurare homines non erubeſcant,vt potum ampliùs accipiant quàm oportet. Qui enim alterum cogit, vt ſe pluſquàm opus eſt bibendo inebriet; minus malum ei erat, ſi carnem eius vulneraret gladio, quàm animum eius per ebrietatem necaret. Et quia corpora noſtra terrena ſunt ; quomodo ſi pluuia nimis grandis & diuturna fuerit , terra infunditur & in lutum reſoluitur, vt nulla in eâ cultura poſſit fieri: ſic & caro noſtra,quando abundantiori potu fuerit inebriata, nec ſpiritalem culturam accipere, nec fructus animæ neceſſarios poterit exhibere. Et ideo quomodo omnes homines, ſufficientem pluuiam in agris ſuis accipere deſiderant, vt & culturam valeant exercere,& de fructuum vbertate gaudere: ita & in agro corporis, hoc tantùm deberent bibere quod oportet , ne per nimiam ebrietatem ipſa corporis terra, velut in paludem conuerſa,magis vermes & ſerpentes vitiorum generare, quàm fructus bonorum operum poſſit adferre,

Quid enim in paludibus naſcatur , non ignorat charitas veſtra. Totum quod ibi naſcitur, nullum fructum habere cognoſcitur. Naſcuntur

cuntur ibi ſerpentes, ſanguiſugæ, naſcuntur ibi ranæ & diuerſa genera vermium, quæ magis poſſunt horrorem generare, quàm aliquid quod ad victum proficiat exhibere. Iſtæ enim herbæ vel arbores, quæ aut in ipſis paludibus, aut circa ripas earum naſci ſolent, nihil vtilitatis habere videntur: in tantùm vt in ſingulis annis incendio concrementur. Videte: quod de ebrietate naſcitur, igni præparatur.

Tales enim ſunt, ſicut iam dixi, omnes ebrioſi: quorum prandia ducuntur vſque ad noctem: quorum cænas lucifer videt: qui ſtare non poſſunt, etiam cùm videntur eſſe ieiuni: quorum ſenſus tardi, graues, obtuſi, & quodammodo iam ſepulti. Denique in ipſa frequenter ebrietate, nec ſeipſos, nec alios recognoſcunt: nec ambulare valent, nec ſtare; dicere aliquid vel audire, quod ad rationem pertineat, omninò non poſſunt: frequenter etiam vſque ad vomitum ingurgitare ſe non erubeſcunt, & ad menſuras ſine menſurâ bibere. Maiora enim pocula prouidentur: certâ bibendi lege contenditur: qui potuit vincere, laudem meretur ex crimine. Inde lites & rixæ naſcuntur, &c. *ſerm. 231. de temp.*

Illud verò quale eſt, quod ipſi infelices ebrioſi, quando ſe nimio vino ingurgitant, rident & vituperant eos, qui rationabiliter hoc tantùm quod ſufficit bibere volunt, dicentes eis: Erubeſcite & verecundia ſit vobis, quare non poteſtis bibere quantum nos? dicunt enim eos non eſſe viros. Et videte miſeriam ebrioſorum. Se dicunt eſſe viros, qui in ebrietatis cloaca iacent: & illos dicunt non eſſe viros, qui honeſtè & ſobriè ſtant, &c. *ſerm. 232. de Temp.*

Et illud quale eſt, quod iam tranſacto conuiuio expletâ ſiti, cùm amplius bibere non poſſunt nec debeant; tunc quaſi nouelli, quaſi & qui ipsâ horâ ſuperuenerint, diuerſis nominibus incipiunt bibere, non ſolùm viuorum hominum, ſed etiam Angelorum, & reliquorum antiquorum Sanctorum: æſtimantes quod maximum illis honorem impendant, ſi ſe in illorum nominibus, nimiâ ebrietate ſepeliant: ignorantes quod nullus tam grauem iniuriam ſanctis Angelis, vel ſanctis hominibus agnoſcitur irrogare; quàm illi, qui in eorum nominibus bibendo, per ebrietatem ſuas animas probantur occidere. Sunt enim aliqui qui hac ſola ex cauſsâ, aliqua ſalſa cibaria ſibi ordinant fieri, vt per ipſam ſalſedinem nimiâ ſe poſſint ebrietate obruere. *eod. ſerm.* *v. Epiſt. cit. 64.*

Solent verò ebrioſi ita ſe excuſare, vt dicant, Perſona potens me coëgit vt ampliùs bibam,& in conuiuio Regis non potui aliud facere. Ad excuſandas excuſationes in peccatis iſta prætendimus: & quod implere nolumus, non potuiſſe nos dicimus. Nolle, in culpa eſt noſtrâ, & non poſſe prætenditur. Etiamſi ad hoc veniretur vt tibi diceretur, Aut bibas, aut morieris;meliùs erat vt caro tua ſobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur. Sed excuſatio illa falsò obiicitur. Ipſi enim reges & quicumque ſunt alij potentes, quia Deo propitio & Chriſtiani ſunt, & prudentes & ſobrij, & toto corde Deum timentes; ſi te viderent definiſſe, vt eis non acquieſcas pro timore Dei inebriari, ſi tibi ſub morâ videantur iraſci, poſtea verò in grandi admiratione ſuſcipiunt, dicentes: Quantum cum illo egimus, quantis eum minis & terroribus fatigauimus, & tamen numquam eum à ſobrietate ſeparare potuimus. Nam & Deus qui te videt per eius amorem inebriari non velle, ipſe tibi gratiam etiam illorum dabit, qui te vt ampliùs biberes videbantur hortari & cogere. *ibid.*

Alij etiam miſerabiliter ſe excuſare conantur, dicentes: Ingratum habeo amicum meum, ſi quoties illum ad conuiuium vocauero, potum ei quantum voluerit ipſe, non dedero. Sed non ſit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus & ſuus eſt inimicus. Si & te & alium inebriaueris,habebis hominem amicum,habebis Deum inimicum. Et ideo ſapienter conſidera, ſi iuſtum ſit, vt te à Deo ſepares, dum te ebrioſo coniungis. Ad extremum tu eum noli adiurare, noli cogere: ſed in poteſtate illius dimitte, vt quantum ſibi placuerit bibat: & ſi ſe inebriare voluit, vel ſolus pereat, & non ambo pereatis. *ſerm.231. de temp.*

Et illud quàm lugendum & erubeſcendum eſt, quod dicuntur aliqui ruſtici, quando aut vinum habuerint,aut alia ſibi pocula fecerint, quaſi ad nuptiale conuiuium, ita ad bibendum vicinos vel proximos ſuos inuitare; vt eos per quatuor vel quinque dies teneant & nimiâ ebrietate ſepeliant, & tam diu ad domos ſuas de illa lugenda potatione non redeant, donec omnem potum, quem ille qui eos inuitauerat habuit, perexpendat: & vnde ſe vel per duos aut tres menſes, cum omni familia ſua rationabiliter reficere potuit, quatuor aut quinque diebus, dolendâ & erubeſcendâ bibitione conſumat. *ſerm. 232. de temp.*

Hæc

Hæc non ſolum laïcis, ſed etiam Clericis dicimus: quia quod peius eſt, multi ſunt etiam maioris ordinis Clerici, qui cùm aliis ſobrietatis bonum deberent iugiter prædicare, non ſolùm hoc non faciunt, ſed etiam & ſe alioſq; inebriare non erubeſcunt, nec metuunt. Sed agnoſcant & doleant, quicumque tales ſunt: quia ſi ſe noluerint emendare; & pro ſe, & pro aliis neceſſe eſt eos æterna ſupplicia ſuſtinere. *ſerm. eod.*

Sed qui ſe de hoc malo deſiderat liberare; quomodo ſibi interuallo dierum potum addendo, ad ebrietatis tenebras peruenit; ita paullatim ſubtrahendo, ad ſobrietatis lucem redeat. Qui ſi ſemel totum quod ampliùs accipiebat, ſubtraxerit; vbi nimiâ ſiti cœperit exardeſcere, cum grandi amaritudine clamat & dicit, malle ſe mori, quàm ſibi bibendi vel inebriandi conſuetudinem tollere. Nec attendit quod tolerabilius erat illi in carne mori; quàm in anima per ebrietatem interfici. Et ideo vt nec ardorem nimium patiatur, & de tam graui malo quod patitur, liberetur; ſicut iam dictum eſt, per interualla dierum ſibi aliquid de nimietate bibendi ſubtrahat, quouſque ad rationabilem bibendi conſuetudinem redeat. Qui hoc vt diximus, per partes ſubducere voluerit; & de ebrietate liberabitur, & intolerabilem pœnam non patietur.

Ergo fratres Chariſſimi dum hæc ſuggero, me abſoluo apud Deum. Quicumque me audire contemſerit, & ad bibendum pronus fuerit, vel in conuiuio ſuo alios adiurare vel cogere voluerit; & pro ſe & pro illis, in die iudicij reus erit, &c. *ſerm. 231. de temp.*

§. X.

Ieiunium commendat: Quadrageſimale præſertim.

ET quoniam non ebrietatis tantummodò, ſed carnis, & appetitûs ipſius remedium eſt Ieiunium, Charitatis autem & vnionis mater; Tractatum addidit, De Vtilitate Ieiunij. Cumque inter omnia Ieiunia celeberrimum ſit Quadrageſimale: habet enim Quadrageſima ieiuniorum auctoritatem, & in veteribus libris ex ieiunio

Moyſi & Eliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonſtrans Euangelium non diſſentire à lege & Prophetis; *Epiſt.* 119. *c.*15. ideo habuit tantopere illud commendatum, vt de Quadrageſima ante Paſcha, Tractatus quinque ediderit, vt teſtatur *Poßid. in Indic. c.*10.

Inter plurima itaque dicebat: Ecce fratres chariſſimi, Deo propitio tempus Quadrageſimæ venit: & ideo rogo vt dies iſtos corporibus ſalubres & Animæ medicinales, ita cum Dei adiutorio ſanctè ac ſpiritualiter celebremus, vt obſeruatio ſanctæ Quadrageſimæ non nobis iudicium pariat, ſed profectum. Si enim negligenter agimus, ſi nos nimiis occupationibus implicamus, ſi caſtitatem ſeruare nolumus, ſi ieiuniis & vigiliis & orationibus non inſiſtimus: ſi Scripturas diuinas, aut ipſi non legimus, aut legentes alios non libenter audimus; ipſa nobis medicamenta conuertuntur in vulnera: & inde habebimus iudicium, vnde potuimus habere remedium, &c. *ſerm.* 55. *de temp.*

Et ideo fratres Chariſſimi, in iſtis quadraginta diebus, quaſi totius anni cibaria animæ noſtræ ieiunando, legendo, vel orando, prouidere debemus. Nam licet per totum annum Deo propitio, lectiones diuinas frequenter & fideliter audiatis; in iſtis tamen diebus, de pelago & fluctibus mundi huius, quaſi ad portum Quadrageſimæ fugientes, debemus requieſcere, & lectiones diuinas in exceptorio cordis noſtri, cum ſilentio & pace ſuſcipere: vt Deo propitio pro amore vitæ æternæ vacantes, quidquid in nauiculâ animæ noſtræ per totum annum multis tempeſtatibus, id eſt, peccatorum fluctibus, aut fractum aut diſſolutum, aut corruptum aut perditum eſt, omni ſollicitudine in iſtis diebus reparare ſtudeamus atque componere, &c. *eod. ſerm.*

Sicut enim tempore meſſis vel vindemiarum, vnde caro noſtra poſſit ſuſtentari colligitur: ita in diebus Quadrageſimæ, quaſi in ſpiritali vindemiarum vel meſſium tempore, vnde anima noſtra in æternum poſſit viuere, congregetur. Quia ſicut negligens quiſque, ſi opportuno tempore nihil collegerit, per totum anni ſpatium fame torquebitur: ita qui hoc tempore ſpiritale triticum, & cæleſte muſtum ieiunando, legendo, orando in horreis animæ ſuæ prouidere & congregare neglexerit; in æternùm duriſſimam ſitim, & crudelem inopiam ſuſtinebit. *ſerm.* 56. *de temp.*

Et ideo vel iſtis paucis diebus, recedant impedimenta mundi, recedat carnis lætitia, recedant venenis plena mundi huius blandimenta. Carnis gaudium minuatur, vt animæ lucra ſpiritualia præparentur. Tempus, quod nobis furioſus tabulæ ludus ſolebat auferre, lectio diuina incipiat occupare: otioſis fabulis & mordacibus iocis, & detractionibus venenatis, colloquia de Scripturis ſancta ſuccedant. Horarum ſpatiis in quibus ſolebamus ſine vllo lucro animæ detineri, viſitentur infirmi, requirantur in carcere conſtituti, peregrini ſuſcipiantur, & diſcordes ad concordiam reuocentur. *eod. ſerm.*

Per alios dies, non grauentur corda veſtra crapula & ebrietate: per hos autem etiam ieiunate. Per alios dies adulteria, fornicationes, omneſque illicitas corruptelas nolite contingere: per hos etiam à coniugibus abſtinete. Quod vobis demitis ieiunando, eleëmoſynis addite prærogando. Tempus quod reddendo coniugali debito occupabatur, ſupplicationibus impendatur. Corpus quod carnalibus ſoluebatur affectibus, puris precibus proſternatur. Manus quæ amplexibus implicabantur, orationibus extendantur. Vos autem qui etiam per alios dies ieiunatis, per hos augete quod facitis. Qui per alios dies perpetuâ continentiâ crucifigitis corpus; per hos Deo veſtro crebrioribus & intenſioribus inhærete orationibus, &c. *ſerm. 68. de diuerſ.*

Sed ſi volumus bene ieiunare à cibis, ante omnia ieiunemus & à vitiis. Quid enim prodeſt vacuare corpus ab eſcis, & animam replere peccatis? Quid enim prodeſt pallidum eſſe ieiuniis, ſi odio & inuidiâ liueſcas? Quid enim prodeſt vinum non bibere, & iracundiæ veneno inebriari? Quid prodeſt abſtinere à carnibus ad edendum creatis, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? Quid prodeſt ſi abſtineamus ab his quæ aliquando licent, & faciamus quæ numquam licent? Deus enim illos honorat & diligit, qui illicita fugiunt. Sic ergo ieiunemus à cibis, vt multò magis ieiunemus à vitiis. *ſerm. 64. de temp.*

Denique ieiunia noſtra, vt plena ſint & ſuffarcinata, miſericordiæ pinguedine ſaginentur: demus eſurientibus prandium noſtrum. Nec putes ieiunia ſola ſufficere, ad ſananda vulnera peccatorum; ni medicamento eleëmoſynæ recreentur. Ieiunium ergò tuum te caſtiget, & lætificet alterum, &c. *ſerm. 65. de temp.*

§. XI.

§. XI.

Coniugatos monet.

IAm quid Coniugatos admonuerit videamus. Quoties, inquit, ad Eccleſiam in quadam ſolemnitate venitis, & Sacramenta Chriſti percipere volueritis; ante dies plures caſtitatem ſeruate, vt cum ſecurâ conſcientia ad Altare Dei poſſitis accedere. Quam rem, etiam per totam Quadrageſimam, & vſque ad clauſulam Paſchæ, fideliter cuſtodite, vt vos ſolemnitas Paſchalis caſtos & puros inueniat. Qui enim bonus Chriſtianus eſt, non ſolùm ante dies plures quàm communicet, caſtitatem ſeruat; ſed & vxorem ſuam excepto deſiderio filiorum, non agnoſcit: quia vxor non propter libidinem, ſed propter filiorum procreationem accipitur. Denique & ipſæ tabulæ Matrimoniales hoc continent: Liberorum, inquit, procreandorum cauſsâ. Videte quia non dixit, libidinis cauſsâ, ſed liberorum procreandorum, &c. *ſerm.244. de temp.* videri quoque poteſt *ſerm.53. de diuerſ. c.13.& ſeqq.*

Sed dicet aliquis: Homo iuuenis ſum: continere non poſſum. Vide ne fortè ideo te non contines, quia plus manducas quàm expedit, & plus vinum accipis, quàm oportet. Fortè etiam turpibus cogitationibus occupas mentem tuam, & luxurioſa verba non ſolum libenter, ſed etiam frequenter aut ipſe dicere, aut aliis dicentibus audire nec metuis, nec erubeſcis. Incipe cum Dei adiutorio gulæ concupiſcentias refrænare: caſtis cogitationibus & honeſtis ſermonibus mentem vel linguam tuam iugiter occupare: & videbis quia Deo auxiliante, caſtitatem poteris cuſtodire. Nec te pigeat, ſi corporis infirmitas non prohibet, frequentiùs ieiunare, ad Eccleſiam maturiùs ſurgere, vt poſſis tuam animam à libidinoſis maculis nitidam cuſtodire, *&c.* Sed dicis: Peccatum quidem eſt, ſed tamen paruum eſt. Nec nos dicimus quia capitale peccatum eſt: ſed tamen ſi frequentiùs exerceatur, & ieiuniis vel eleëmoſynis non redimatur, nimis immundam animam facit. *ſerm.244. de temp.* vide etiam *l. de bono Coniug. c.6. l.1. cont. duas Epiſt. Pelag. c. 16.*

Monet etiam, vt dum fluxum ſanguinis mulieres patiuntur, viri ab

ab eis abſtineant: nè, qui tunc concepti fuerint, aut leproſi aut epileptici, aut etiam fortè dæmoniaci naſcantur: quandoquidem eiuſmodi, non de ſapientibus hominibus, qui & in aliis diebus & in feſtiuitatibus caſtitatem cuſtodiunt; ſed de ruſticis maximè, qui ſe continere non ſapiunt, naſci ſoleant.

Concludit denique: Rogo vos fratres vt mihi indulgeatis, quia pro ſalute animæ veſtræ cum grandi timore & cum verecundia de talibus rebus vos admonere videor: quia & hoc mihi expedit dicere, & vos oportet audire. Et ideo omnia quæ à nobis audiſtis, vbicumque fueritis inuicem vobis dicite, & cum charitate vos admonete. *eod. ſerm.* 244. *de Temp.*

Specialiter autem mulieres attinet, quod ait: Nulla mulier potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos aut iam natos occidat: quia quæcumque fecerit hoc, ante Chriſti tribunal ſciat ſe eorum cauſſam, quos occiderit, eſſe daturam. Sed nec alias diabolicas potationes mulieres debent accipere. Mulier autem quæcumque fecerit hoc, per quod iam non poſſit concipere; quantoſcumque parere poterat, tantorum homicidiorum ſe ream eſſe cognoſcat. *eod. ſerm.*

Adulteria porrò inſectanter arguebat, dicens: Illi qui dicunt quod caſtitatem ſeruare non poſſint; reſpondeant nobis, vtrùm vxores habeant, an non? Si habent; quare non attendunt ad illud, quod Veritas in Euangelio ait: Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter. Et quare non ſeruant fidem vxoribus ſuis, quam ſibi ab eis ſeruari deſiderant? Cùm enim vir à virtute nomen acceperit, & mulier à mollitie, id eſt, fragilitate; quare contra crudeliſſimam beſtiam libidinem, vult vnuſquiſque vxorem ſuam victricem eſſe, cùm ipſe ad primum libidinis ictum victus cadat? &c. *ſerm.* 243. *de temp. ſerm.* 49. *inter* 50. *c.* 2.

§. XII.

Cælibes hortatur. In concubinarios inuehitur.

HOc fortè loco, qui adhuc vxoribus non ſunt coniuncti, dicunt ſe excuſari poſſe, quia coniugia non habent quibus fidem ſeruare debeant, & propterea continere non poſſint. Iſtis qui iſtam falſam & miſerabilem excuſationem conantur prætendere, iuſtiſſimè reſponderi & poteſt & debet: quia nullus magis illicita vitare debet, quàm qui reſpuit quæ licebant. Cùm vxorem accipere liceat, & contra omnium Scripturarum auctoritatem adulterium committere numquam liceat; quare cum Dei gratiâ non accipis quod licet, & cum Dei offenſâ præſumis quod non licet? &c. *ſerm.* 243. *de temp.* Ne quis enim ſe exiſtimet, ideo ſe excuſari, quia ſimplici fornicatione peccat;

Noli, inquit, dicere tibi, quando fortè aliquid luxurianter vis agere, Vxorem non habeo, facio quod volo, non enim poſt vxorem meam pecco. Iam noſti pretium tuum, iam noſti quò accedis, quid manduces, quid bibas. Abſtinete à fornicationibus. Ne fortè mihi dicas, Ad fornicem vado, ad meretricem pergo, ad proſtitutam eo: nec illud pręceptum violo quo dictum eſt, non Mœchaberis, quia vxorem nondum habeo, nec poſt illam aliquid facio. Nec illud præceptum violo, vbi dictum eſt, non concupiſces vxorem proximi tui. Qui ad publicam vado, in quod præceptum incurro? Non inuenîmus chordam quam tangamus, non inuenîmus chordam? Quo neruo ligemus fugitiuum iuſtum? Non fugiat, habet vnde ligetur: ſed amet ſe, & non erit ligamentum, ſed ornamentum. Non enim ligamentum ſed ornamentum in ipſis decem chordis inuenîmus. Decem enim præcepta ad duo illa referuntur, vt diligamus Deum & proximum: & duo illa ad vnum illud. Vnum eſt autem: Quod tibi fieri non vis, alij ne feceris. Ibi continentur decem, ibi continentur duo. Sed dicis: Furtum ſi facio, id facio quod pati nolo. Si occidam, id facio quod ab altero pati nolo. Si parentibus meis honorem non

non deferam, quando volo vt deferatur mihi à filiis meis; id facio quod pati nolo. Si ſum mœchus, & aliquid tale molior; id facio quod pati nolo. Nam ſi quis interrogetur, dicit, Nolo vt vxor mea tale aliquid faciat. Si concupiſco vxorem proximi mei, nolo quiſquam concupiſcat meam: id facio, quod pati nolo. Si concupiſco rem proximi mei, nolo vt auferatur mea, id facio quod pati nolo. Cùm verò ad meretricem eo, cui facio quod pati nolo? Quod grauius eſt, ipſi Deo. Intelligat ſanctitas veſtra, &c. exponit enim quomodo hoc fiat: quia nimirum violat imaginem Dei. *libro de decem. chord. cap.* 10.

Quapropter Cornelium quemdam, iam tum ſenem & viduum, ſed quo cum iuuenis iuuene in errore Manichæorum verſatus fuerat, elatâ coniuge Cyprianâ feminâ honeſtiſſimâ, contra amorem & memoriam defunctæ debitam, inter plebem mulierum & pellicum numerum, fediſſimâ voluptate diffluentem; grauiſſimè aliquando per litteras corripuit: loco conſolationis quam Cornelius petiuerat, quòd plurimum morte vxoris moueretur, dignam Epiſcopo correptionem tranſmittens. Adiri illa poteſt, *Epiſt.* 125.

Verùm non publicò tantummodò, quod iam diximus, ſed priuatim etiam corripuiſſe adulteros ſignificat his verbis: Sunt homines adulteri in domibus ſuis: in ſecreto peccant aliquando. Nobis produntur ab vxoribus ſuis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus. Nos non prodimus in palàm, ſed in ſecreto arguimus: vbi contigit malum, ibi moriatur malum, &c. *ſerm.* 16. *de verb. Dom. c.*8.

Iam & illud quale eſt, quod multi virorum, ante nuptias, concubinas ſibi aſſumere non erubeſcunt, quas poſt aliquot annos dimittant, & ſic poſtea legitimas vxores accipiant. Tractant enim apud ſe, vt priùs de multis calumniis & rapinis iniuſtas diuitias & iniqua lucra conquirant, vt poſtea contra rationem, plùs nobiles quàm ipſi ſunt, vel ditiores vxores accipiant. Ecce quantis malis ſe obligant, qui non ſolùm luxuriæ, ſed etiam auaritiæ vel cupiditati infeliciter ſeruire deſiderant. Vnde coram Deo & Angelis conteſtor atque denuntio, iſta mala & ſemper prohibuiſſe, & numquam ei placita fuiſſe: quia præcipuè temporibus Chriſtianis concubinas habere numquam licuit, numquam licebit. Pro qua reiterum atque iterum voce liberâ clamo, quia qui ante legitimas nuptias concubinam ſibi adhi-

bere præſumit, peius peccatum facit, quàm qui adulterum committit: quia qui adulterat, adhuc tam graue malum ſecretè vult agere, in publico autem aut metuit aut erubeſcit committere: ille verò qui publicè concubinam habere voluerit, fronte impudentiſſimâ rem execrabilem, toto populo vidente, licenter ſe putat admittere. *ſerm.* 243. *de temp.*

§. XIII.

Remedia contra incontinentiam præſcribit.

CEterùm præſentiſſimum remedium ſuggerit aduerſus libidinem & incontinentiam: Primò, fugere eandem. Quod Apoſtolus Paulus euidenter oſtendit, qui cùm omnibus vitiis prædicauerit reſiſtendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit, Reſiſtite, ſed, Fugite fornicationem. Ac ſic contra reliqua vitia Deo auxiliante, debemus in præſenti reſiſtere, libidinem verò fugiendo ſuperare. Sic & alibi in Scripturis diuinis legimus: Noli in faciem virginis intendere, ne te ſcandalizet vultus eius. Et beatus Ioſeph vt impudicam Dominam poſſet euadere, pallium, quo apprehenſus fuerat, reliquit, & fugit. Ergo contra libidinis impetum, apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundum ſit fugere, ſi Caſtitatis palmam deſideras obtinere. Vnde, fratres chariſſimi, ab omnibus Chriſtianis, præcipuè tamen Clericis ſiue Monachis, indigna & inhoneſta familiaritas fugienda eſt: quia ſine vlla dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare ſuſpectam, citò delabitur in ruinam. *ſerm.* 250. *de temp. c.* 1. *& ſeqq.*

Secundò: ſi libidini contradicatur, reſiſtatur, repugnetur. Quod ſanè cum Dei adiutorio fieri poteſt iuxta illud: Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Vbi per Spiritum, non hominis ſpiritum intelligi, ſed Spiritum ſanctum & Spiritum Dei, oſtendit ex eodem Apoſtolo, *ſerm.* 43. *de verb. Dom. cap.* 6. 7. *&* 8. Faciendum idcirco monet quod Apoſtolus ait ibidem, *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ad obediendum deſideriis eius.* Subditque: Ecce quod nolo, mala deſideria ſurgunt: ſed noli obedire. Arma te, ſume inſtru-

inſtrumenta bellorum. Præcepta Dei, arma tua ſunt. Si bene me audis, ex eo quod loquor armaris. Non, inquit, regnet peccatum, in veſtro mortali corpore. Quamdiu enim portatis mortale corpus, pugnet contra vos peccatum: ſed non regnet. Quid eſt non regnet? Id eſt ad obediendum deſiderijs eius. Si cœperitis obedire, regnat. Et quid eſt obedire, niſi vt exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato? Nihil hoc doctore præclarius. Quid vis iam vt exponam tibi? fac quod audiſti: Non exhibeas membra tua, arma iniquitatis peccato. Dedit tibi Deus poteſtatem per Spiritum ſuum, vt membra tua teneas. Surgit libido? Tene tu membra. Quid factura eſt, quæ ſurrexit? Noli exhibere membra tua, arma iniquitatis peccato: noli armare aduerſarium tuum contra te. Tene pedes, ne eant ad illicita. Libido ſurrexit? Tu tene membra tua. Tene manus ab omni ſcelere. Tene oculos, nè malè attendant: tene aures, nè verba libidinis libenter audiant; tene totum corpus, tene latera, tene ſumma, tene ima. Quid facit libido? Surgere nouit, vincere non nouit: ſurgendo aſſiduè ſine cauſsâ, diſcit & non ſurgere. *eod. ſerm. c.* 10.

Etenim, volimus nolimus, habemus concupiſcentias: velimus nolimus titillant, blandiuntur, ſtimulant, infeſtant, ſurgere volunt. Premuntur, nondum extinguuntur, quamdiu caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Quamdiu hîc viuitur, fratres, ſic eſt: ſic & nos qui ſenuimus, in iſta malitia minores quidem hoſtes habemus, ſed tamen habemus. Fatigati ſunt quodámodò hoſtes noſtri, iam etiam per ætatem: ſed etiam fatigati per ætatem, qualibuſcumque motibus non ceſſant infeſtare ſenectutis quietem. Acrior pugna iuuenum eſt: nouimus eam, tranſiuimus per eam. *eod. ſerm. c.*9.

Verumtamen nemo dicat, à fornicatione ſe cuſtodire non poſſe. Fidelis enim eſt Deus, dicit Apoſtolus, qui non permittit nos tentari, ſupra id quod portare poſſumus, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum. Talis vnicuique homini tentatio datur, ſiue in carnis deſiderio, ſiue in ambitione ſæculi, vel etiam in quacumque tentationis moleſtia, qualem aut cum laude vincere, aut cum opprobrio ſuccumbere poterit. *ſerm.* 249. *de temp.* Videndi plures eiuſdem argumenti ſermones, ſignanter 18. *de verb. Apoſt. fragm.* 3. *tom.*10. *&c.*

§. XIV.

Ætatem omnem & ſexum admonet.

POrrò cùm tempus omne, atque omnis ætas, quâ corruptibilis caro illa portatur, vacare à tentationibus non poſſit; omnem etiam ætatem & ſexum admonebat. Ac primò quidem

IVVENES. Vos, inquit, ô Iuuenes maximè monemus & hortamur, vt veræ virtutis pulchritudine capiamini. Nulla ſpecies terrena vel cæleſtis, nullus fulgor metallorum, nulla nemorum amœnitas, nullæ florum purpuræ, nullus vel naturalis vel adhibitus carnis ornatus, nullus quarumlibet chordarum atque tibiarum ſonus, nulla odorum iucunditas, nulla ſaporum ſuauitas, nulli amplexus, pulchritudini, inſpirationi, dulcedini, fomentis Sapientiæ conferantur. Ab his enim quæ turpiter amantur, non ab ipſo amore prohibemur. Amare vultis? amate Sapientiam: ambite, vt perueniatis ad eam: vt vos non exhorreat eius aſpectus in homine, vos in timore componite, &c. *ſerm.* 246. *de temp.* poſt paucula.

Si amatores eſtis, hanc amate: ſi formoſi eſtis, Deo placete: ſi iuuenes eſtis, diabolum vincite. Daniel ab Angelo, Vir deſideriorum appellatus eſt. Quæ illa erant eius deſideria, niſi quibus in Sapientiæ pulchritudinem ardenter inhiabat? Quia in iuuenili ætate calcauit lætitiam, & Regum ſuperbiam preſſit captibus, & ora leonum clauſit incluſus. *eod. ſerm.*

II. FEMINAS. Nec vos, inquit, feminæ adoleſcentulæ, alienum à vobis arbitremini hunc eſſe ſermonem. Ad vos enim, non tamen vt confundam vos hæc dico, ſed vt filias meas chariſſimas moneo. Iuuenilia deſideria fugite. Nuptæ Suſannam, viduæ Annam, Virgines Mariam cogitate. Nec in publicum propterea procedatis, vt florem fœni veſtri oculis hominum oſtentare cupientes, in domo vitæ mortem quæratis. Omnis enim caro fœnum, & claritas hominis vt flos fœni. Quid ergo facietis, cùm fœnum aruerit, flos deciderit? Verbum autem Domini quod manet in æternum, cineres veſtros non facilè inuenturos putetis, quod nunc ſuperbâ ætatis viriditate contemnitis.

Strictè

Strictè iterùm dico atque conteſtor, iuuenilia deſideria fugite. Si auditis hoc, ſi obtemperatis, ſi tamquam Dei verbum cum honore & timore ſuſcipitis; non ſolùm pulchri ante oculos Dei, ſed & ſani eritis. Si autem de hac admonitione noſtra, etiam iocos fortaſſe amatorios vobis faciatis; de ipſis ferramentis Medici, mortifera vobis vulnera infligitis. *ſerm.246. de temp.*

III. SENES. Cùm enim oſtendiſſet, ne puerilem quidem ætatem peccato carere, vt ſenes etiam admoneat, ait: An fortè ſenectus excepta eſt, & in carne iam viciná cadaueri, ſanguis ac membra illicitæ concupiſcentiæ friguerunt: & à feſſo ac propè mortuo iam corpore materies tentationis emarcuit? Imò verò tantus eſt in malis ſenibus plerumque gurges auiditatis, & inſatiabilis vorago ventris & gutturis, vt quantâ boni ſenes prudentiâ ſerenantur, tantâ vinolentiâ ſepeliantur: quaſi ad hoc in eis arida viſcera & ſucco exhauſta curuentur, vt ad vigorē priſtinum reparandū ebrietatis inundatione riganda ſint.

Quid auaritia, quæ radix eſt omnium malorum? Nonne in frigidis ſenibus tantò ad acquirendum feruentiùs inardeſcit, quantò citiùs relictura eſt quod acquirit? mirabili ſanè dementiâ. Grauioribus enim ſumtibus ſe onerare feſtinat, cùm iam peruenerit quò tendebat. *ſerm. cit.*

§. XV.

Omnes ad diuinum cultum excitat.

VT autem diuino cultui, ſtatis temporibus quilibet diligenter incumberet: Sciendum, inquit, eſt Fratres chariſſimi, quod ideo à ſanctis Patribus noſtris conſtitutum eſt Chriſtianis & mandatum, vt in ſolemnitatibus Sanctorum, & maximè in Dominicis diebus otium haberent, & à terreno negotio vacarent; vt paratiores & promtiores eſſent ad diuinum cultum, cùm non haberent, quod eos inde retardaret incommodum, relinquerentque pro eo tempore terrenam ſollicitudinem, quo faciliùs poſſent Dei intendere voluntatem. *ſerm.251. de temp.*

Idcirco non ſit vobis moleſtum, fratres, in Dominicis diebus, & in

in natalitiis Sanctorum, diuino ſtudere cultui. *ibid.* A veſperâ diei Sabbati, vſque ad veſperam diei Dominici, ſequeſtrati à rurali opere & ab omni negotio, ſoli diuino cultui vacemus. Veniat ergo, cuicumque poſſibile ſit, ad veſpertinam atque nocturnam celebrationem, & oret ibi in conuentu Eccleſiæ pro peccatis ſuis Deum. Qui verò hoc non poſſit; ſaltem in domo ſua oret, & non negligat Deo ſoluere votum, ac reddere penſum ſeruitutis.

In die verò nullus ſe à ſacrâ Miſſarum celebratione ſeparet, neque otioſus quis domi remaneat, ceteris ad Eccleſiam pergentibus. Neque in venatione ſe occupet, & diabolico mancipetur officio, circumuagando campos & ſiluas, clamorem & cachinnum ore exaltans, non gemitum nec orationis verba ex intimo corde ad Deum proferens, &c. *eod. ſerm.*

Adhuc quoque quod valde dolendum eſt, conqueri vobiſcum volo: quia ſunt aliqui, & maximè potentes iſtius mundi, qui cùm veniunt ad Eccleſiam, non ſunt deuoti ad laudes Dei celebrandas, ſed cogunt Presbyterum vt abbreuiet Miſſam, & ad eorum libitum cantet. Nec ei licet morem Eccleſiaſticum ſequi, propter illorum gulam & auaritiam, quatenus vnus punctus diei, ad Dei officium, & reliquum diurnum ſpatium cum nocte, ſimul ad eorum deputetur voluptates. Nolite fratres mei dilectiſſimi hæc facere, nolite hæc facientibus conſentire: quia non ſolùm qui hæc faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, pereunt. *ſerm. 251. de temp.*

§. XVI.

Symbolum & Oratio Dominica ab eo ſæpius expoſita.

QVantopere fuerit nutriendæ fidelium deuotioni addictus, patet vel inde, quòd Orationem Dominicam non minùs octies, diuerſis lucubrationibus expoſuerit: *l. 2. de ſerm. Dom. in monte cap. 4. Epiſt. 121. hom. 42. inter 50. ſerm. 126. & 135. & 182. de temp. & ſerm. 9. & 48, de diuerſ.* Symbolum verò Apoſtolorum, ſepties. *l. 1. 2. 3. & 4. ad Catechum. & l. de fid. & Symb. & ſerm. 131. de temp. & 75.*

de

de diuerſ. Quamobrem laudari à Caſſiodoro meruit, dum ait: Symbolum quoque noſtræ fidei, teſtimonium recti cordis, promiſſionis inſolubile Sacramentum, frequenti expoſitione patefecit, vt profundiùs intelligentes illa, quæ credere nos profitemur, cautiſſimè promiſſa ſeruemus. *l. de diuin. lect. cap.* 22.

Et quidem de Oratione Dominica dicebat Catechumenis; Oratio vobis quotidie dicenda eſt, cùm baptizati fueritis. In Eccleſiâ enim ad Altare Dei, quotidie dicitur iſta Oratio Dominica, & audiunt illam fideles. Non ergo timemus, ne minùs illam teneatis diligenter: quia etſi quis veſtrûm non poterit tenere perfectè, audiendo quotidie tenebit. *homil.* 42. *c.* 10. *inter* 50.

De Symbolo verò iiſdem: Die Sabbati, quando vigilaturi ſumus, in Dei miſericordia reddituri eſtis non Orationem ſed Symbolum. Modò enim niſi teneatis Symbolum in Eccleſia, in populo Symbolum quotidie non auditis. Cùm autem tenueritis, vt non obliuiſcamini, quotidie dicite quando ſurgitis, quando vos collocatis ad ſomnum. Reddite Symbolum veſtrum, reddite Domino: commemorate voſipſos, non pigeat repetere: bona eſt repetitio, ne ſubrepat obliuio, *&c.* Numquid non quando ſurgis, te veſtis? Sic & commemorando Symbolum tuum, veſti animam tuam, ne fortè eam nudet obliuio, &c. *eâd. hom. cap.* 11.

Quapropter Dioſcorum Archiatrum narrat, quòd, dum Sacramentum Baptiſmi, Symbolum ignorans, recepiſſet; omnibus penè membris, atque etiam linguâ, paralyticus ſit effectus. Cumque per ſcripturam confeſſus eſſet, id ſibi dictum eſſe accidiſſe, quòd Symbolum non reddidiſſet; poſt hanc confeſſionem reddita ſunt ei membrorum officia, præterquam linguæ; ſed quàm etiam recepit, vbi ſe didiciſſe Symbolum, & memoriâ tenere litteris faſſus eſt. *Epiſt.* 67. Symbolum autem ſolebant quot octiduo reddere Catechumeni. *ſerm.* 135. *de Temp.*

Atqui Oratio quotidiana quam docuit ipſe Dominus, vnde & Dominica nuncupatur, delet quidem quotidiana peccata, cùm quotidie dicitur, Dimitte nobis debita noſtra: atque id quod ſequitur non ſolùm dicitur, ſed etiam fit: Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *l.* 21. *de Ciuit. Dei cap.* 27.

Septem petitiones apud Matthæum continere videtur: quarum in tribus æterna poſcuntur; in reliquis quatuor, temporalia; quæ ta-

O men

men propter æterna conſequenda,ſunt neceſſaria. *l. Enchirid.c.125.* vide *ſerm.* 182. *de Temp.* Imò vt oſtendat perſeuerantiam vſque in finem, eſſe Dei donum, adeoque continuis precibus impetrandum : Ipsâ, inquit, Oratione quæ Dominica nuncupatur, quia eandem Dominus docuit, quando oratur à ſanctis, nihil penè aliud quàm perſeuerantia poſci intelligitur. Legite aliquantò intentiùs eius expoſitionem in beati Cypriani Martyris libro,quem de hac re edidit,cuius eſt titulus De Dominica Oratione : & videte ante quot annos, contra ea quæ futura erant Pelagianorum venena, quale ſit antidotum præparatum. *l. de dono perſeu. cap. 21*

§. XVII.

Eleëmoſynam in pauperes commendat.

IAm, quod & hodie conſueuit,auditoribus ſuis pro concione commendabat pauperes Eleemoſynam poſcentes. Date pauperibus,inquit,rogo, moneo,præcipio.Quidquid vultis,date pauperibus. Non enim occultabo charitati veſtræ, quare hunc ſermonem neceſſe habui vobis promere. Ex quo hîc ſumus euntes ad Eccleſiam & redeuntes, pauperes interpellant nos, & dicunt vt dicamus vobis, vt aliquid accipiant à vobis. Nos monuerunt loqui vobis : & cùm ſe vident non accipere à vobis, inaniter arbitrantur nos laborare in vobis. Exſpectant aliquid & à nobis. damus quantum habemus, damus ſicut poſſumus. Nunquid tamen ad eorum neceſſitatem implendam idonei ſumus? Quia ergo ad eorum neceſſitatem implendam idonei non ſumus, vel ad vos legati ipſorum ſumus. *ſerm. 5. de verb. Domini cap. 12.*

Quapropter quod iam tum obtinebat in Eccleſia Orientali, vt ad templorum veſtibula pauperes more Iudaico Actor. 3. mendicarent; idem videtur habuiſſe Occidentalis in Africâ. Et de Orientali quidem exſtat inſigne Ioannis Chryſoſtomi teſtimonium,vbi ait:Quemadmodum ſolemne eſt, vt fontes præſtò ſint in atriis templorum, vt qui preces fuſuri ſunt ad Deum, manus priùs lotas inter precandum attollant; ita pauperes fontium vice ante fores collocauerunt maio-

res

res noſtri; vt non aliter ac manus abluimus aquâ, priùs per beneficentiam abſterſâ animâ, tum demum preces noſtras offeramus. *Chryſ. ſerm.25. de verb. Apoſt.* de fontibus verò, non tantùm præ foribus templorum Ethnicorum, quæ inde Delubra appellari conſuerunt, à diluendo, *Iſidor l.15.cap.* 4. ſed Chriſtianorum etiam collocari ſolitis, vide *Euſeb. l.10. Hiſtor. cap.4.*

§. XVIII.

Omnes ad continentiam hortatur.

OMnibus denique in vniuerſum Chriſtianis hominibus commendabat Continentiam. Continentia verò & ſobrietas non in ſola integritate carnis conſiſtit. Debet enim vnuſquiſque continens eſſe ab omnibus illicitis. His autem quæ licita ſunt, debet cum modeſtia & ſobrietate vti. Non enim decet Chriſtianum ſæculi lucris inhiare, cui promiſſum eſt regnum cæleſte; ſed ſuo Domino per continentiam condignè viuere, vt poſſit cum eo in perpetuum gaudere. Caſtitatem debet amare, & fornicationem fugere: non auaritiæ ſtudere, ſed victu & veſtitu contentus eſſe: non ſuperbire, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed humiliter ſentire, & mundi pompam contemnere. Non debet eſſe vaniloquax & arrogans, non mordax neque iniurioſus, neque bilinguis, non ſuſurro, neque detractor, ſed veritatem debet ex ore & corde proferre: linguam ſuam à multiloquio temperare, quia ſcriptum eſt, In multiloquio non effugies peccatum. Oculos contra vanitatem claudere: auditum à ſcurrilitate & falſitate, imò ab omni eloquio malo auertere: riſum excelſum & excuſſum non amare: guttur & naſum ad illecebram dulcium ciborum, & ſuauium odorum, non libenter adhibere, ſed magis bonum & ſuauem odorem virtutum appetere. Manus & pedes, & omnia membra corporis ſollicitè cuſtodire, ne fiant arma iniquitatis peccato, ſed magis potentiæ arma Deo, ad deſtruendum ſpiritualem inimicum. Cor quoque debet miles Chriſti ante omnia ſollicitâ cuſtodiâ ſeruare, ne fortè illud iactantia extollat, ira inflammet, inuidia perforet, auaritia infeſtet, libido exurat, triſtitia grauet, torpor & ignauia ener-

uet: & ne illud, quod cunctis grauius eſt, per nouitatum præſumptiones, hæreſis ſcindat. *ſerm.248. de Temp.*

§. XIX.

Ad Bonam item & Chriſtianam vitam.

VNicus illi ſcopus & finis erat in dicendo, vt, qui audiebant, benè viuerent. Hæc eſt erogatio mea, inquit, qui malus fuit heri, bonus ſit hodie. Quare diei heſterno hodiernum vult addere malum? longam vitam vis habere, bonam non vis? Quis longum ferat malumve prandium? Vſque adeò cœcitas mentis occalluit, vſque adeò ſurdus eſt homo interior, vt omnia bona velit habere præter ſeipſum? Vis habere villam? Nego te habere velle malam villam. Vxorem vis habere? Non vis niſi bonam. Domum non vis niſi bonam. Quid curram per ſingula? Caligam non vis habere malam, & vis habere vitam malam? Quaſi plus tibi noceat mala caliga, quam vita mala, &c. *hom.25. cap.5. inter 50. ſerm.16. cap.11. de Verb. Dom.* quo poſtremo loco ſeriò monet, emendationem nullatenus eſſe procraſtinandam.

§. XX.

Quanta illius in adhortationibus publicis lenitas & manſuetudo.

QVàm verò ſuauiter & paternè hunc finem ſuum intenderit, in omnibus ſermonibus, nimis quàm manifeſtum eſt: duobus præſertim, quos habuit die Anniuerſario Epiſcopalis ordinationis ſuæ, 24. & 25. *inter* 50. Vnde propter eos, qui pedibus dolent, aut aliquâ corporis inæqualitate laborant, paternâ pietate ſollicitus conſilium dedit, & quodammodò ſupplicauit, vt quando aut Paſſiones prolixæ, aut certè aliquæ Lectiones longiores legerentur, qui ſtare non poſſent, humiliter & cum ſilentio ſedentes, attentis auribus audirent quæ leguntur: *hom.26. inter* 50. exemplo nimirum Eccleſiarum tranſmarinarum, vti patet *l. de catech. rud. cap.13.* alioquin auditores in Africâ

Africâ ſtare ſolitos, tametſi Epiſcopus ſedens diceret, videre eſt *ſerm. 49. de diuerſ. cap.* 1.

Quam in rem dum abuſus aliquis irrepſiſſet, humaniſſimè admonet, feminas præſertim, vt quando aut lectiones leguntur, aut verbum Dei prædicatur, nulla ſe in terram proiiciat, niſi fortè quam nimiùm grauis infirmitas cogit: ſic tamen non iaceat, ſed magis ſedeat, & attentis auribus, quæ prædicantur auido corde ſuſcipiat. *homil.* 26. *inter* 50.

Quapropter tametſi compellebatur nonnumquam, non licentioſâ libertate, ſed neceſſariâ ſeruitute abeſſe ab Hipponenſibus ſuis; *Epiſt.* 138. ægrè tamen iidem iſtud patiebantur: *Epiſt.* 64. *in fine.* Sicut autem dicens libentiſſimè audiebatur; *Enarr. in pſalm.* 61. non domi tantùm, ſed etiam foris: (Carthagine enim in Baſilica Reſtituta, ſermonem frequenter habuit, vt ſunt 14. *de verb. Apoſt. & ſermo* 2. 3. 12. & 102. *de diuerſ.* In Eccleſia Leontiana, à Leontio conditore, *ſermo* 11. *&* 13. *de diuerſ. & Enarratio in pſalm.* 38. in Baſilica Fauſti, à Fauſto conditore: 12. *&* 122. *de diuerſ.* in Baſilica Celerinæ, 96. *de Temp.* in Baſilica Nouarum, 110. *de temp.* in Baſilica Petri regionis tertiæ, 251. *de temp.* in Baſilica Pauli regionis ſextæ, 24. *de diuerſ.* quæ loca omnia Carthagine fuerunt) ita alios auidè audiuiſſe, patet *Enarr. in Pſal.* 131.

Pro more verò habuit, ſingulos ſermones hâc Oratione concludere: Conuerſi ad Dominum Deum Patrem omnipotentem, puro corde ei, quantùm poteſt paruitas noſtra, maximas atque veras gratias agamus: precantes toto animo ſingularem manſuetudinem eius, vt preces noſtras in beneplacito ſuo exaudire dignetur: inimicum quoque à noſtris actibus & cogitationibus ſuâ virtute expellat: nobis fidem multiplicet, mentem gubernet, ſpiritales cogitationes concedat, & ad beatitudinem ſuam perducat, per Ieſum Chriſtum filium ſuum Dominum noſtrum, qui cum eo viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. *Tom.* 8. *in fine, & ſerm.* 30. *de verb. Dom.* Aut certè paullò breuiori: Conuerſi ad Dominum, ipſum deprecemur pro nobis, & pro omni plebe ſua adſtante nobiſcum, in atriis domus ſuæ: quam cuſtodire protegereque dignetur, per Ieſum Chriſtum filium ſuum Dominum noſtrum, qui cum eo viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen. *ſerm.* 121. *de diuerſ.*

Alias porrò ſanctiſſimi Præſulis virtutes, digniſſimas planè quæ non Prælatis ſolùm in Eccleſiâ, ſed omnibus omnino Chriſtianis in

exemplum proponantur, ſparſim infrà per totum Opus, vbi commodùm erit, commemorabimus.

§. XXI.

Virtutum adipiſcendarum medium, ſola Dei gratia eſt.

SEd aduertamus animum nonnihil, quænam docuerit acquirendarum virtutum, operum bonorum & meritorum, efficacia media eſſe, vir tantus. Quando enim euoluens Apoſtolum Paulum, inuênit quidquid in illo verum legerat, cum commendatione Gratiæ diuinæ dici: vt qui videt, non ſic glorietur, quaſi non acceperit, non ſolùm id quod videt, ſed etiam vt videat; equidem repentè cognouit, aliud eſſe de ſilueſtri cacumine (vt tum aliquando fuerant Platonicorum libri) videre patriam pacis, & iter ad eam non inuenire; & fruſtrà conari per inuia, circùm obſidentibus & inſidiantibus fugitiuis deſertoribus, cum principe ſuo leone & dracone: & aliud, tenere viam illuc ducentem, curâ cæleſtis Imperatoris munitam, vbi non latrocinantur qui cæleſtem militiam deſeruerunt: vitant enim eam ſicut ſupplicium. *l.7. Confeſſ.c.21.*

Quapropter diuinis libris manſuefactus, didicit diſcernere atque diſtinguere, quid interſit inter præſumptionem & confeſſionem: inter videntes quò eundum ſit, nec videntes quà: & viam ducentem ad beatificam patriam, non tantùm cernendam, ſed & inhabitandam. *eod.l. c.20.* Etenim myſteria eiuſcemodi, ſacræ Litteræ dumtaxat habent: fiduciam in propriis viribus ſolæ docent profanæ. Atque idcirco Deum humiliter alloquens, imò & Auditores ſublimiter docens, ait, ad illum verſum pſalm. 70. *Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.* O! ſolius. Quid addidit ſolius, rogo vos? Sufficeret, memorabor iuſtitiæ tuæ. Solius, inquit, prorſus: vbi meam non cogito. Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Iuſtitia tua ſola liberat me: mea ſola non ſunt niſi peccata. *Enarr.in 1.part. pſalm.70. in fine.* Et alibi: Vita noſtra tamquam noſtra, id eſt de voluntate propriâ noſtrâ, non erit niſi mala, peccatrix, iniqua:

iniqua: vita verò bona, de Deo in nobis eſt, non à nobis. *Tract. 22. in Io.* Etenim, homo ſi vult eſſe aliquid boni, non ſit de ſuo proprio. Si enim de ſuo eſſe voluerit, mendax erit: ſi verax eſſe voluerit, de Dei, non de ſuo erit, inquit *ſerm.31. de verb.Dom.cap.2.* Deinde: Tunc ea quæ dicimus, & nobis & vobis vtilia ſunt, ſi ab ipſo ſunt. Quæ autem ab homine ſunt, mendacia ſunt, ſicut ipſe dixit Dominus noſter Ieſus Chriſtus: Qui loquitur mendacium de ſuo loquitur. Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum. Si quid autem homo habet veritatis atque iuſtitiæ; ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo: vt ex eo, quaſi guttis quibuſdam irrorati, & in hac peregrinatione iterùm conſolati, ne deficiamus in via, venire ad eius requiem ſatietatemque poſſimus. *Tract. 5. in Io.* Quo in loco, quod de eremo dicit, alluſione ad pſalmum 62. dicit: *Sitiuit in te anima mea in terra deſerta*, &c. id eſt, Eremo. Iam peccata quę hîc nominat; certum eſt intelligere ea, quæ mala ſunt: præſertim cùm ſuper eiuſcemodi Apoſtolum Paulum alloquens, dicat: Da veniam Apoſtole, propria tua non noui, niſi mala. Da veniam Apoſtole, dicimus quia tu docuiſti. Audio confitentem, non inuenio ingratum; Prorſus tua à te tibi parta, non nouimus niſi mala. *homil.14.cap.5.*

Sumuſnè igitur boni, tam impotes atque inopes homulli, vt nihil omninò facere poſſimus? Sumus, abſque Dei gratia & miſericordia. Nemo enim benè libero Arbitrio vti poteſt, niſi per gratiam: quæ non ſecundùm debitum redditur, ſed Deo gratis miſerante donatur. *l.1. cont. duas Epiſt. Pelag. cap. vlt.* Nec poteſt homo boni aliquid velle, niſi adiuuetur ab eo, qui malum non poteſt velle: hoc eſt gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. *eod. l. cap.3.* Vnde merita noſtra quæ coronabit Deus, dona ipſius ſunt. Alioquin ſi tibi à te ipſo, non ab illo ſunt merita tua; mala ſunt: quæ mala ſunt, non coronat Deus. Si autem bona ſunt, Dei dona ſunt: quia dicit Apoſtolus Iacobus: Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. *l. de grat. & libr. Arbit. cap.6.* Cui conſonat, quòd Deum obſecrans pro defuncta matre ſua, ait: Quiſquis tibi enumerat vera merita ſua, quid tibi enumerat niſi munera tua? O ſi cognoſcant te omnes homines: & qui gloriantur, in Domino glorientur! *l.9. Conf. c.13.* Et poſt pauca: Dimitte Domine, dimitte obſecro: ne intres cum eâ, in iudicium. Superexaltet miſericordia iudicium, quoniam eloquia tua vera ſunt, & promiſiſti miſericordiam miſe-

miſericordibus. Quòd vt eſſent; tu dediſti eis: qui miſereberis cui miſertus eris, & miſericordiam præſtabis, cui miſericors fueris. *eod. l. & cap.*

Ex quibus perinde patet, Deum eſſe principale agens, meritorum humanorum, per gratiam ſuam ſiue ſpiritum, quem diffundit in cordibus noſtris: eum porrò dare pro beneplacito ſuo, iuxta diuitias bonitatis, ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ. Quid enim poteſtis facere boni, de corde non bono? Vt autem habeatis cor bonum, Dabo, inquit, vobis cor nouum, & ſpiritum meum dabo vobis. *l. 4. cont. duas Epiſt. Pelagianor. cap. 6.*

Ne quis verò exiſtimet, eiuſcemodi per auxeſin & exaggerationem dici, more concionatorum: quibus ſæpè mos eſt ad terrendos mortales impropriè loqui, & latè ſumere malum atque peccatum, pro eo opere quod ſterile eſt, atque inutile ad felicitatem æternam; facit, quod id exprſsè à Iuliano obiectum, ſtrenuo Pelagij diſcipulo, (vt infrà videbimus) Auguſtinus luculentè diluit, dum ait: Quapropter dici non poteſt, quantùm te iſta fallat opinio, quâ dixiſti, omnes virtutes, affectus eſſe, per quos aut fructuosè, aut ſteriliter boni ſumus. Fieri enim non poteſt, vt ſteriliter boni ſimus. Arbor enim bona, bonos fructus facit. Abſit autem vt Deus bonus, à quo ſecuris paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas. Nullo modo igitur homines ſunt ſteriliter boni: ſed qui boni non ſunt, poſſunt eſſe alij minùs, alij magis mali. *l. 4. cont. Iulian. cap 3.*

Quid igitur? Si Gentilis nudum operuerit, numquid quia non ex fide, peccatum eſt? interrogat Iulianus. Et reſpondet Auguſtinus: Prorſus in quantum non eſt ex fide, peccatum eſt: non quia per ſe ipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum eſt; ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum. *l. 4. cont. Iul. c. 3.* Id verò facit, qui non amore iuſtitiæ, ſed laudis propriæ, aut fine cuiuſlibet alterius cupiditatis facit. Quam perinde rem, pauculis interiectis, vberiùs explicat, & compellat Iulianum Auguſtinus: Reſponde, vt hoc ſine dubitatione perſpicias, vtrùm bonam miſericordiam, exiſtimes infidelem? Porrò ſi vitium eſt malè miſereri; proculdubio vitium eſt infideliter miſereri. Quod ſi & ipſa, per ſe ipſam, naturali compaſſione, opus eſt bonum; etiam iſto modo malè vtitur, qui infideliter vtitur: & hoc bonum malè facit, qui infideliter,

deliter facit: qui autem malè facit aliquid, profectò peccat. Ex quo colligitur, etiam ipſa bona opera quæ faciunt infideles; non ipſorum eſſe, ſed illius qui benè vtitur malis. Ipſorum autem eſſe peccata, quibus & bona, malè faciunt: quia eâ non fideli ſed infideli, hoc eſt ſtultâ & noxiâ faciunt voluntate. *eod. l. 4. cont. Iulian. c. 3.*

Auctore igitur Auguſtino patet, principium & radicem bonorum omnium, meritorum atque virtutum, Fidem eſſe, ſine qua eſt impoſſibile placere Deo: eam autem abſque gratia haberi non poſſe. Vbi verò hæc deſunt; deeſſe & voluntatem bonam ſiue rectam: adeſſe malam ſiue prauam. Bona enim eſſe non poteſt abſque amore creatoris: in quem perinde referenda ſunt, tamquam in finem, quæcumque benè fieri debent. Vbi enim deficit hic finis; non charitas, ſed cupiditas imperat, quæ amor eſt creaturæ, ſiue rei quam quis poteſt inuitus amittere: quæque non vtentem adiuuat, ſed corrumpit fruentem. A Deo Patre igitur non eſſe, clarum eſt. Et quid reſtat, niſi vt ſit à diabolo aut mundo?

CAPVT IV.

COMMVNIS AVGVSTINI IN EPISCOPATV VITA.

§. I.

Clericos aſſumit.

AVguſtinus Epiſcopus effectus, cùm vidiſſet neceſſe habere Epiſcopum, exhibere humanitatem aſſiduam quibuſcumque venientibus ſiue tranſeuntibus: quod ſi non feciſſet, Epiſcopus inhumanus diceretur: ſi autem conſuetudo iſta in Monaſterio permiſſa eſſet, indecens eſſet: ideo voluit habere in domo Epiſcopi ſecum Monaſterium Clericorum. *ſerm. 49. de diuerſ. c. 1.* In recipiendis enim

 hoſpi-

hoſpitibus dicere ſolebat, Multò eſſe meliùs malum hominem perpeti, quàm forſitan per ignorantiam excludi bonum. *Epiſt.*149.

Horum Clericorum nulli licebat in hâc ſocietate habere aliquid proprium: ideoque pauperes cum eo erant; ſimul exſpectantes miſericordiam Dei, à quo paſcebâtur per Eccleſiam ipſius, eam vitæ communis formam voto edito profeſſi: *ſerm.* 49. *de diuerſ. c.* 2. *&* 4. Bona interim quæ habebant, Eccleſiæ conferre ſolebant, vt inde alerentur qui erant in propoſito ſanctitatis, quouſque in hac vitâ degerent: *ſerm.* 50. *de diuerſ.* tametſi etiam reciperentur, qui nihil habebant, nemoque eos diſtingueret ab eis qui aliquid attuliſſent. *eod. ſerm.*

Porrò hi cùm ſufficienter in ſacrâ doctrina profeciſſent, doctore & formatore ipſo Auguſtino; ordinari cœperunt: *Poſſid. c.* 11. erant enim inter eos partim Presbyteri, partim Diaconi & Subdiaconi: *ſermon.* 50. *de diuerſ.* imò decem fermè ſanctos ac venerabiles viros continentes & doctiſſimos, Auguſtinus diuerſis Eccleſiis, inter quas nonnullæ eminentiores erant, rogatus Epiſcopos dedit. *Poſſid. c.* 11. Si qui verò ex his de propoſiti ſui præuaricatione ſiue proprietate, conuicti, vel temerè eſſent ſuſpecti, eos ipſemet publicè aut reprehendit, aut defendit. *ſerm.* 49. *&* 50. *de diuerſ.* Nolebat enim ſecum habitare, quibus non ſufficiebat Deus & Eccleſia ſua, ſed proprium aliquid clàm retentum vindicabant. *ſerm.* 50. *cit.*

Quod cùm foret illicitum, & nihilominus fieret; reprehendere poterat iis verbis, quibus aliûs generis peccati materiam, in Clerico pariter ſuo, quodam tempore caſtigauit: Quantumlibet vigilet diſciplina domûs meæ, homo ſum, & inter homines viuo: nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior ſit, quàm arca Noë, vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inuentus eſt: aut melior quàm ſit domus Abrahæ, vbi dictum eſt Eiice, ancillam & filium eius: aut melior ſit quàm domus Iſaac, cui de duobus geminis dictum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui: aut melior ſit quàm domus ipſius Iacob, vbi lectum patris filius inceſtauit: aut melior ſit quàm domus ipſius Dauid, cuius filius cum ſorore concubuit, alter filius contra Patris tam ſanctam manſuetudinem rebellauit: aut melior quàm cohabitatio Pauli Apoſtoli, qui tamen ſi inter omnes bonos habitaret, non diceret, Foris pugnæ, intùs timores; nec diceret cùm de ſanctitate & fide Timothei loqueretur; Neminem habeo qui germanè de vobis ſollicitus ſit, omnes enim ſua quærunt, non quæ Ieſu

Ieſu Chriſti: aut melior quàm cohabitatio ipſius Domini Chriſti, in qua vndecim boni, perfidum & furem Iudam tolerauerunt: aut melior ſit poſtremò quàm cælum, vnde Angeli ceciderunt, &c. *Epiſt.* 137.

Quamobrem fatebatur ſimpliciter coram Domino Deo, quomodo difficilè eſt expertus meliores, quàm qui in monaſteriis profecerunt; ita non eſt expertus peiores, quàm qui in monaſteriis ceciderunt: Ideoque, inquit, ſi contriſtamur de aliquibus purgamentis; conſolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. *ead. Epiſt.* Etenim ſi falli non vult:s, & vultis amare fratres; ſcitote, inquit, omnem profeſſionem in Eccleſiâ habere fictos. Non dixi omnem hominem eſſe fictum, ſed omnem profeſſionem habere fictas perſonas. Sunt Chriſtiani mali, ſunt & boni. Inuenis ſanctimoniales indiſciplinatas, numquid ideo ſanctimonium reprehendendum eſt? *Enarr. in Pſ.* 99. Nam vt ibidem docet, Impoſſibile eſt malos excludi à conuentu bonorum: ſicut fieri non poteſt, vt cor noſtrum ita probè munitum habeamus, vt non intret in illud vel ſuggeſtio mala. Nam vt cognoſcatur malus, intrà probandus eſt. Quomodo ergo excludis intraturum, qui poſtea probandus eſt, & probari niſi intrauerit non poteſt? Repelles omnes malos? dicis enim, & noſti inſpicere. Omnes nudis cordibus ad te veniunt, qui intraturi ſunt? Ipſi ſe non nouerunt, quantò minùs tu? Multi enim ſibi promiſerunt, quòd impleturi eſſent illam vitam ſanctam, in commune habentem omnia, vbi nemo dicit aliquid ſuum, quibus eſt anima vna & cor vnum in Deum: miſſi ſunt in fornacem, & crepuerunt. Quomodo ergo cognoſces eum, qui ſibi adhuc ignotus eſt? &c. *Enarr. cit.*

Et quamquam hæc ita habeant; erant tamen apud omnes hi Clerici in magno æſtimio: neque enim vllus ferè ſcribebat ad Auguſtinum huius vitæ gnarus, quin eos honorifico compellans elogio ſaluere iuberet, eorumque ſe precibus commendaret. *Epiſt.* 31. 33. 37. 256. *&c.* Nam propter amurcam, quâ oculi hominum offendi conſuerunt, non deteſtabantur torcularia, vnde apothecæ Dominicæ fructu olei luminoſioris implentur. *Epiſt.* 137. Quare qui vel cum Auguſtino, vel ex monaſterio ipſius ad Epiſcopatus aſſumti ſunt; in Eccleſiis ſuis Monaſteria ſimiliter inſtituere cœperunt: & creſcente ſtudio ædificationis verbi Dei, ceteris Eccleſiis promotos fratres, ad ſuſcipiendum Sacerdotium præſtiterunt. *Poſſid. c.* 11.

Tales fuere, Fortunatus, *Epiſt.* 230. Benenatus, *Epiſt.* 231. & 237. Nouatus, *Epiſt.* 242. Seuerus in Eccleſiâ Mileuitanâ, *ſerm.* 50. *de diuerſ. & Epiſt.* 240. inter primos Auguſtini amicos: *Epiſt.* 242. cui vel idcirco iudicium alicuius rei libens permittit, quia certum ſibi eſſe dicit, quod habitet in eius corde Chriſtus: *Epiſt.* 240. domeſticus olim eius & contubernalis: *Epiſt.*37. eruditionis haud ſanè contemnendæ, vt ex citata Epiſtola, eiuſque ſtylo patet: de cuius nepte, ſanctimoniale inſigni, videri poteſt *Epiſt.* 122. morte; *Epiſt.* 110. Talis & Alipius, *Epiſt.*35. & 239. Euodius; *Epiſt.*100. Poſſidius, *Epiſt.*73. ſed hi quatuor, diu ante Epiſcopatum Auguſtini, Monaſticum eius inſtitutum amplexi fuerant. *l.* 8. *conf. c.* 12. & *l.* 22. *de Ciuit. Dei. c.* 8. & *l.* 9. *conf. cap.* 8. & *Poſſid. cap.* 31. & *Epiſt.* 37. vt & alij præcedentes fortaſſe.

§. II.

Clericis Auguſtinianis, Monachi tempore priores.

DE Monachis à ſe inſtitutis agit Auguſtinus hiſce verbis: Deinde perrexit (Petilianus) in vituperationem Monaſteriorum, & Monachorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum. Quod genus vitæ omninò quale ſit neſcit, vel potiùs toto orbe notiſſimum neſcire ſe fingit; *l.* 3. *cont. Petil. c.* 40. Hoc verò inſtitutum, illo Clericorum prius eſſe, conſtat ex eis quæ ſuprà: & colligitur *Epiſt.* 35. 64. 77. 203. 225. *&c. & Enarr. in Pſ.* 132. & denique vbi dicit: Eiuſcemodi vitæ ipſum experimentum, intellectum ſibi dediſſe. *Enarr. in Pſ.* 103. *conc.* 3.

Quapropter huius Monaſtici inſtituti fuiſſe videtur Sebaſtianus cum ſuis: *Epiſt.* 145. Renatus Cæſarienſis ad quem ſcripſit librum primum de origine Animæ, *l.* 2. *Ret. c.* 56. hominem quidem laïcum, ſed pro ſua fide & eorum quos diligit, prudenter religioſeque ſollicitum. *l.* 2. *de orig. An. c.* 1. Etenim Vincentij Victoris libros duos, vt hoc obiter dicam, quos ad Petrum Presbyterum Hiſpanum ſcripſerat, Auguſtinus direxit. *l.* 2. *Retract. c.* 56. Monachi item Adrumetini,

metini. *Epiſt.* 47. ad quos cùm librum ſcripſiſſet de Gratia & libero Arbitrio, propter eos, qui, dum gratia Dei defenditur, negari putant liberum Arbitrium: dumque defenditur liberum Arbitrium, negari exiſtimant Dei gratiam, aſſerentes eam ſecundùm merita noſtra dari: *l.* 2. *Ret. c.* 66. egit ei gratias Valentinus, Adrumetinus vt apparet Monaſteriarcha, *Epiſt.* 256. ad quem duas Epiſtolas eiuſdem argumenti cum præterito libro, ob diſſenſiones eâdem de cauſsâ exortas Auguſtinus dedit, vti pòſt dicemus. *Epiſt.* 46. & 47. Hoſce Monachos per id tempus ſolitos fuiſſe emittere votum Caſtitatis, clarè inſinuat, *l. de Grat. & lib. arb. c.* 4. vt iam nihil dicam de voto Paupertatis, quod ex ſuperioribus eſt manifeſtum. Ad eoſdem rurſus Monachos alterum librum ſcripſit De corrept. & gratia, cùm nuntiatum ei eſſet quemdam inter eos dixiſſe, Neminem corripiendum ſi præcepta Dei non facit, ſed tantummodò vt faciat orandum. *libro* 2. *Retract. c.* 67.

Hominum eiuſdem inſtituti gratiâ, librum ſcripſit De Opere Monachorum, quòd nonnulli inter eos manibus operari, nonnulli Eleëmoſynis mallent viuere: quamobrem euenerat, vt tantum-non fierent inter quoſdam tumultuoſa certamina. *l.* 2. *Retract. c.* 21. Quo in libro, inquit: Tametſi multi ſint, ſub habitu Monachorum hypocritæ, circumeuntes prouincias, nuſquam miſſi, nuſquã fixi, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes, &c. qui ſub generali nomine Monachorum, Monaſticum propoſitum blaſphemant; nihilominùs tam bonum, tam ſanctum, in Chriſti nomine ſicut per alias terras, ſic per totam Africam vt pullulet, ſe optare. *l. de Oper. Monach. c.* 28. Quapropter bonos excitat, vt aliorum mala opera bonis operibus perſequantur. *ibid.*

Et quia hic liber, iubente Aurelio Carthaginenſe Epiſcopo, ceperat auſpicium; reſpondet illi, ſed alio loco, non videri ſibi recipiendos in numerum Clericorum, qui ſuâ ſponte Monaſteria deſeruerunt. Hoc enim modo & Monachis facilis lapſus, & ordini Clericorum fieret indigniſſima iniuria, ſi deſertores Monaſteriorum ad militiam Clericatus eligerentur: cùm ex his qui in Monaſteriis permanent, non niſi probatiores atque meliores in Clerum aſſumi ſoleant. Niſi fortè ſicut vulgares dicunt: Malus choraula, bonus ſymphoniacus eſt; ita iidem ipſi vulgares iocari permittantur in Clericos, dicentes, Malus Monachus, bonus Clericus eſt, &c. *Epiſt.* 76.

Quod cùm diceret, iam à Monachiſmo Auguſtinus ad Clericatum tranſierat: *ibid.* & ideo nihil mirum, ſi Byrrho fortaſſis vſus aliquando fuerit: *ſerm* 50. *de diuerſ.* tametſi Byrrhum, non Eccleſiaſticum aliquod, ſed ſæculare geſtamen videri poſſit: *ſerm.* 18. *de verb. Apoſt. c.* 10. vel ſaltem vtriſque commune.

§. III.

Etiam in Europâ.

ET quoniam iam tum ipſius tempore, Inſula Capraria incolebatur à Monachis, qui diuiſis cellulis Ægyptios Patres Italiæ intulerant; eorumdem Abbati Eudoxio, talia aliquando ſcripſit, qualia pôſt in Africæ ſuæ Monachis vehementer optauit. Id contigiſſe videtur Anno circiter CCC. XCVIII.

Nam poſtquam eorum ſe Orationibus pari deuotione atque humilitate commendaſſet; Vos, inquit, fratres exhortamur in Domino, vt propoſitum veſtrum cuſtodiatis, & vſque in finem perſeueretis: ac ſi quam operam veſtram mater Eccleſia deſiderauerit; nec elatione auidâ ſuſcipiatis, nec blandiente deſidiâ reſpuatis: ſed miti corde obtemperetis Deo, cum manſuetudine portantes eum, qui vos regit, qui dirigit mites in iudicio, qui docet manſuetos vias ſuas. Nec veſtrum otium neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent; quomodo naſceremini non inueniretis.

Sicut autem inter ignem & aquam tenenda eſt via, vt nec exuratur homo, nec demergatur; ſic inter apicem ſuperbiæ, & voraginem deſidiæ, iter noſtrum temperare debemus, ſicut ſcriptum eſt: Non declinantes neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Sunt enim qui dum nimis timent, ne quaſi in dexteram rapti extollantur; in ſiniſtram lapſi demerguntur. Et ſunt rurſus qui dum nimis ſe auferunt à ſiniſtra, ne torpidâ vocationis mollitie ſorbeantur; ex altera parte iactantiæ faſtu corrupti atque conſumti, in fauillam fumumque vaneſcunt.

Sic ergo dilectiſſimi diligite otium, vt vos ab omni terrena delectatio-

lectatione refrænetis; & memineritis nullum locum eſſe, vbi non poſſit laqueos tendere, qui timet ne reuolemus ad Deum: & inimicum omnium bonorum, cuius captiui fuimus, vindicemus: nullamque nobis eſſe perfectam requiem cogitemus, donec tranſeat iniquitas, & in iudicium iuſtitia conuertatur. *Epiſt.* 81. Poſtquam deinde docuiſſet omnia quæ agunt, ad Dei gloriam facere, qui operatur omnia in omnibus; ita concludit: Nec me importunum exiſtimet charitas veſtra. Non enim hoc vos monui, quod vos non arbitror facere; ſed credidi me non parum commendari Deo à vobis, ſi ea, quæ munere illius facitis, cum allocutionis noſtræ memoriâ faciatis. Nam & antè iam fama, & nunc fratres qui venerunt à vobis, Euſtathius & Andreas bonum Chriſti odorem de veſtrâ ſanctâ conuerſatione ad nos attulerunt. Quorum Euſtathius in eam requiem præceſſit, quæ nullis fructibus ſicut inſula tunditur; nec Caprariam deſiderat, quia nec cilicio iam quærit indui. *ibid.*

§. IV.

Vox Deo Gratias, *Auguſtino & Auguſtinianis familiaris.*

CVm verò Auguſtinus, Diui Pauli exemplo, vocem Deo Gratias, frequens vſurparet, *diſp.* 2. *cont. Fortun. in fine. l.* 2. *cont. Petil. c.* 54. *& c.* 92. *l.* 3. *cont. Creſcon. c.* 34. *&c.* auctor fuit vt eadem vox, apud omnes paſſim frequentaretur, tum potiſſimùm apud ſuos. Nam quid meliùs, inquit, & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc nec dici breuiùs, nec audiri lætiùs, nec intelligi grandiùs, nec agi fructuoſiùs poteſt. *Epiſt.* 77. Suâ igitur celebritate in nomen viri proprium tranſiit: nam ad Deo gratias Carthaginenſem diaconum librum ſcripſit De Catechizandis rudibus: *eiuſd. l. c.* 1. & ad eumdem iam fortè Presbyterum, aut alium, Epiſtolam 49.

1. ad Corinth. 15. *& 2. ad Corinth.* 2.

Interim cùm eam vocem Donatiſtæ reprehenderent, atque eius loco ſubſtitui mallent, quaſi magis fortè Latinam, Deo laudes; cùm tamen alterâ etiam vſi eſſent Traditores in Circenſi Concilio, ſub

Secundo

Secundo Tigiſitano; *l.* 3. *cont. Creſcon. c.* 37. Hi, ait, Circumcellio-nes, etiam inſultare nobis audent, quia fratres cùm vident homines, Deo Gratias dicunt. Quid eſt, inquiunt, Deo Gratias? Itane ſurdus es vt neſcias quid ſit, Deo gratias? Qui dicit Deo gratias, gratias agit Deo. Vide ſi non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem ſuum. Num enim non eſt locus gratulationis, quando ſe inuicem vident, qui habitant in Chriſto? Et tamen vos Deo Gratias noſtrum ridetis, Deo laudes veſtrum plorant homines. *Enarr. in Pſ.* 132. Quod ideo dici exiſtimo, quia inter furendum, per verbera & mortes Catholicorum pronuntiare identidem ſolebant Circumcelliones, Deo laudes. Vide *l.* 2. *cont. Petil. c.* 84.

§. V.

Auguſtini Epiſcopi in omnibus modus & modeſtia.

IAm licet Epiſcopus Auguſtinus, eâdem cum ſuis Clericis menſâ vtebatur: *Poßid. c.* 15. *&* 25. quæ licet frugalis eſſet & parca; inter olera tamen & legumina, carnes aliquando habebat propter hoſpites, ſemper autem vinum. *Idem c.* 22.

Adhæc veſtis eius, & calceamenta, & lectualia, ex moderato & competente habitu erant, nec nitida nimiùm, nec abiecta plurimùm. *idem eod. c.* Obſeruandum dumtaxat, veſtes ipſius extimas è lanâ fuiſſe, propter eos qui lineam aliquam geſtaſſe volunt: intimas verò lineas. Patet his verbis: Quæritur à nobis quid ſit lana, quid ſit linum? Lanam carnale aliquid puto, linum ſpiritale. Hoc coniicere audeo ex ordine veſtimentorum noſtrorum: interiora ſunt enim linea veſtimenta, lanea exteriora. *ſerm.* 45. *de diuerſ.*

De hiſce loquebatur, vbi ait: Fateor vobis, de pretioſâ veſte erubeſco, quia non decet hanc profeſſionem, hanc admonitionem, hæc membra, hos canos. *ſerm.* 50. *de diuerſ.* Quapropter, quod paullò antè dixerat: Nolo talia offerat ſanctitas veſtra, quibus quaſi ego ſolus decentiùs vtar. Offeratur mihi verbi gratiâ byrrhum pretioſum: fortè decet Epiſcopum, quamuis non deceat Auguſtinum, id eſt, hominem paupe-

pauperem, de pauperibus natum. Modò dicturi ſunt homines, quia inueni pretioſas veſtes, quas non potuiſſem habere vel in domo patris mei, vel in illa ſæculari profeſſione mea. Non decet. Talem debeo habere, qualem poſſum. Si non habuerit, fratri meo dare. Qualem poteſt habere Presbyter, qualem poteſt habere decenter Diaconus & Subdiaconus; talem volo accipere, quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo: quod & facere ſoleo: vt quando non poteſt veſtis eſſe communis, pretium veſtis ſit commune. Vendo, & erogo pauperibus. Si hoc eum delectat vt ego habeam; talem det, vnde non erubeſcam. *ſerm. eod. de diuerſ.*

Porrò de calceamentis agens: De his calceamentis, inquit, quibus calceati ambulamus, conſolatur me Dominus meus. Si enim ipſe calceatus non eſſet, non de illo Ioannes diceret: Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum. Sit ergo obedientia, non ſurrepat ſuperba duritia. *ſerm. 42. de Sanct. c. 6.* Robur alioquin zelumque Alipij non dubius extulit, quòd ſui corporis fortiſſimus domitor, cùm ad Baptiſmum è Caſſiciaco rure Mediolanum properaret, Italicum ſolum glaciale nudo pede obtriuerit, inſolito auſu. *l. 9. Conf. c. 6.*

Cochlearibus tantùm argenteis vtens, cetera vaſa, quibus menſæ cibi inferebantur, vel teſtea, vel lignea, vel marmorea erant: non tam neceſſitatis inopiâ, quàm propoſito voluntatis. *Poſsid. cap. 22.* Prouentus etenim Eccleſiæ Hipponenſis (quos nonnulli computant ad quadraginta aureorum millia) non fuiſſe ita tenues, colligi poteſt ex *Epiſt. 225.*

Sed neque tamen idcircò ad opes, quas antè reliquerat, rediiſſe dici poteſt. Nam vt inquit Proſper: Paullinus ingentia prædia quæ fuerunt ſua, vendita pauperibus erogauit: ſed cùm poſteà factus eſſet Epiſcopus, non contemſit Eccleſiæ facultates, ſed fideliſſimè diſpenſauit. Quo facto ſatis oſtendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & ſine impedimento perfectionis, poſſe quæ ſunt communia Eccleſiæ, poſſideri. Quid ſanctus Hilarius? Nónne & ipſe omnia bona ſua, aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogauit? Is tamen cùm merito perfectionis ſuæ, fieret Eccleſiæ Arelatenſis Epiſcopus; quod illa tunc habebat Eccleſia, non ſolùm poſſedit; ſed & iam acceptis fidelium numeroſis hereditatibus ampliauit. *l. 2. de vit. Contempt. c. 9.* Quod ipſum feciſſe quoque Auguſtinum, conſtabit è dicendis inferiùs.

Inter edendum, Lectionem magis vel diſputationem, quàm epulationem potationemq́ue diligebat. Summoperè autem detractiones oderat, quas vt longiſſimè arceret, adſcribi in triclinio iuſſerat:

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,

Hanc menſam indignam nouerit eſſe ſibi.

quod quidem religiosè adeò obſeruauit, vt nec toleraret in eis, qui dignitate pares aſſidebant: quinimò ſe ſubduceret, ſi cohibere non poſſet. Id enim experientiâ ſe didiciſſe, horum oculatus teſtis Poſſidius ſcribit. *cap.* 22.

§. VI.

Sanctimonalium Auctor.

SIcuti viris, ita & feminis normam & regulam vitæ tradidit: *Epiſt.* 109. quarum inſtituto principium ſe dediſſe inſinuat his verbis: Non ſic plantauimus & rigauimus hortum Dominicum in vobis, vt ſpinas metamus iſtas ex vobis. *ead. Epiſt.* Studio enim mutandi Præpoſitam (quam tùm exiſtimo Felicitatem fuiſſe, cui ſcribit Epiſtolam 87.) fuerant tumultuatæ. *ibid.* anno, vt nonnulli tradunt, Epiſcopatûs ipſius circiter decimo ſexto. Sed quæcumque illa fuerit; germanæ eius ſorori (quæ, teſte Poſſidio, vidua Deo ſeruiens multo tempore vſque in diem obitûs ſui Præpoſita ancillarum Dei vixit) ſucceſſiſſe colligitur ex citata eius Epiſtola 109. vbi ſic ait: Perſeuerate in bono propoſito, & non deſiderabitis mutare Præpoſitam, quâ in Monaſterio illo per tam multos annos perſeuerante & numero & ætate creuiſtis: quæ vos mater non vtero, ſed animo ſuſcepit. Omnes enim quæ illuc veniſtis, ibi eam aut ſanctæ Præpoſitæ ſorori meæ ſeruientem, placentem; aut etiam ipſam Præpoſitam, quæ vos ſuſcepit, inueniſtis: ſub illâ eſtis eruditæ, ſub illa velatæ, ſub illa multiplicatæ.

Abſque eo tumultu quem diximus: Soleo, inquit, gaudere de vobis, & inter tanta ſcandala, quibus vbique abundat hic mundus, aliquando conſolari, cogitans copioſam congregationem, & caſtam dilectionem, & ſanctam conuerſationem veſtram, & largiorem gratiam

Dei

Dei quæ data eſt vobis, vt non ſolùm carnales nuptias contemneretis, verumetiam eligeretis in domo ſocietatem vnanimes habitandi, vt ſit vobis anima vna & cor vnum in Deum. Hæc in vobis bona, hæc Dei dona conſiderans, inter multas tempeſtates, quibus ex aliis malis quatitur cor meum, ſolet vtcumque requieſcere. *eâd. Epiſt.*

Vnde liquet quæ, qualiſvè fuerit earumdem conuerſatio: & nihilominùs feminarum Monaſteria, non niſi vrgentibus neceſſitatibus, ipſe viſitabat. *Poſſid. cap.* 27. Iam verò nulla, quantalibet ei conſanguinitate propinqua, intra domum eius vmquam verſata eſt: ita erat ſcandali omnis auertendi, & famæ exiſtimationiſque ſuæ cuſtodiendæ ſollicitus. Ob quas cauſſas dicebat, Numquam debere feminas cum ſeruis Dei etiam caſtiſſimis, in vna manere domo. *Poſsid. cap.* 26. Hanc in rem videri poteſt ſermo 205. *de Temp.* Vnde ſi fortè rogatus feminas aut viſeret, aut ſalutaturas admitteret; adſtabant Clerici omnium arbitri, tametſi arcanum aliquid diceretur. *Poſsid. c.* 27.

§. VII.

Aliarum feminarum pius Doctor.

INterea & curam plurium aliarum in Chriſto geſſit, quæ velatæ non erant, vt neque per litteras inſtruere grauaretur.

Sic ANICIÆ FALTONIÆ PROBAE, coniugi quondam Probi, viri Conſularis & Galliarum Præfecti, nobiliſſimæ opulentiſſimæque viduæ, Poëtriæ elegantiſſimæ, & Virgilio-Centonum auctori, præſcribit, quomodo fructuoſè Deus orandus ſit. *Epiſt.* 121 de quâ feminâ Hieronymus: Proba illa, omnium dignitatum, & cunctæ nobilitatis in orbe Romano nomen illuſtrius: cuius ſanctitas, & in vniuerſos effuſa bonitas, etiam apud barbaros venerabilis fuit: quam trium liberorum Probini, Olybrij & Probi, non fatigarunt ordinarij conſulatus. *Hieron. Epiſt.* 8. plura Claudianus in Panegyrico Probini & Olybrij.

Sic ANICIAM IVLIANAM iam dictæ Probæ filiam, viduam Clodij Hermogeniani Olybrij, matrem Demetriadis virginis ſanctimoniam profeſſæ (de quâ proculdubiò agit Epiſtolâ 179. ad Probam

bam & Iulianam conſcriptâ) ſeriò monet: Nè patiatur eam cuiuſdam fallaci, licet elegante Epiſtolâ,duci in fraudem, perperamque ſentire de bonis ſpiritualibus, tamquam ex ſe, ſuâque voluntate ea haberet. *Epiſt.* 143. ipſam autem Iulianam matrem docet, bonum eſſe ſi vidua permanſerit ſecundùm Apoſtoli conſilium. *l. de bono viduit.*

Sic FLORENTINAM,puellam pietatis veræque ſapientiæ amore flagrantem, monet, vt ſi quid doceri cupiat, interroget. Id enim ſi ſciuerit, non negabit: vel ſi ita neſciuerit, vt nullo fidei ſalutiſque detrimento neſciat; faciet eam de hoc quoque redditâ ratione ſecuram: aut ſi neſciat, & tamen ſciendum ſit; vel impetrabit à Domino, quia ſæpè officium impertiendi, eſt meritum impetrandi: vel ita reſpondebit, vt ipſa nouerit pro hac re quam pariter neſciunt, ad quem pulſare debeant. *Epiſt.* 132.

Sic ITALICAM, (quam feminam illuſtrem Euodius appellat, *Epiſt.*247.) conſolatur ſuper morte mariti, & refellit eos, qui Deum oculis corporeis videri docebant: *Epiſt.* 6. cuius argumenti gratiâ, ſcripſit iterùm ad *Paullinum.Epiſt.*112.

Sic SELEVCIANAM inſtruit ſuper Petri baptiſmo & pœnitentiâ, vt Nouatianum aliquem lucrari poſſit Eccleſiæ. *Epiſt.*108.

Sic conſolatur MAXIMAM, feminam ſtudioſam,ſuper afflictione Barbarorum & Donatiſtarum.*Epiſt.*141.

Sic ECDICIAM grauiter reprehendit, quod dum pari cum marito conſenſu Continentiam ambo vouiſſent; ipſa reſiliendi marito occaſionem dederit: eo quòd abſque eius ſcitu & veniâ, omnia vel penè omnia quæ habebat, duobus tranſeuntibus Monachis, tamquam pauperibus eroganda dediſſet. Quapropter monet eam, vt à marito veniam petat, &c. *Epiſt.*199. Ex qua Epiſtolâ patet, nigellis veſtibus vti deuotas conſueuiſſe.

Sic FELICIAM virginem, quæ malâ quorundam Paſtorum Eccleſiæ vitâ,non leuiter offendebatur,hortatur nè propterea vnitatem Eccleſiæ deſerat. *Epiſt.* 209.

Sic denique SAPIDAM, Deo deuotam virginem, pari efficaciâ & ſuauitate conſolatur ſuper morte Timothei, fratris ſui, Diaconi Carthaginenſis: cui cùm tunicam ſuis manibus Sapida contexuiſſet; eo mortuo donauit Auguſtino, qui tum illam veſtire cœperat, quando ſuis litteris mœſtam virginem conſolabatur: *Epiſt.*248. vt videas non minori paupertatis, quàm benignitatis ſtudio, virum facillimum, omnibus-

nibuſque factum omnia, incubuiſſe.

Quapropter ſicuti horum trium Eccleſiæ membrorum, putà Populi, Cleri, & Sanctimonialium, vt nunc demonſtratum eſt, curam impensè geſſit;ita pro eiſdem Deiparam interpellans,Ora pro populo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto femineo ſexu, inquit, *ſerm.18. de Sanct.*

Videri poteſt, ad omnes generaliter feminas ſpectare,quod de fuco & pigmentis faciei recitat ex Cypriano & Ambroſio, huiuſce corruptelæ grauiſſimis caſtigatoribus, *l.4.de doct.Chriſt.c.21.* Etenim fucari pigmentis, quò vel rubicundior vel candidior femina appareat,adulterina fallacia eſt: quâ ne mariti quidem decipi volunt, quibus ſolis permittendæ ſunt feminæ ornari ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium. Nam verus ornatus, maximè Chriſtianorum & Chriſtianarum, non tantùm nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem veſtiſque pompa, ſed mores boni ſunt. *Epiſt.73.* Vbi etiam ait; Capillos nudare, nec maritatas decet. Monet tamen Poſſidium Epiſcopum, vt de ornamentis auri vel veſtis præproperam non habeat in prohibendo ſententiam,niſi in eos, qui neque coniugati, neque coniugari cupientes, cogitare debent quomodo placeant Deo. *eâd.Epiſt.*

CAPVT V.

SCRIBIT EPISCOPVS.

§. I.

Scribit ad Simplicianum.

EPiſcopus igitur Auguſtinus, cuius ingenium priſtinâ conuerſatione Simplicianus Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtes, qui beatiſſimo ſucceſſit Ambroſio, exploratum habebat; interrogatus ab eo, in quibuſdam Apoſtoli Pauli, aliiſque librorum Regum difficultatibus, duos ad Simplicianum libros edidit: quorum primo expediuit, quæ- Anno 397.

ſtiones

ſtiones ex Epiſtolâ ad Romanos: ſecundo, quæſtiones ceteras, quæ ex libro quem dixi, propoſitæ erant. *l.2.Retract. cap.1.*

Sicuti verò primi fuerunt hi libri, quos Epiſcopus elucubrauit; ita correxit iiſdem errorem, quem Presbyter hauſerat in expoſitione Epiſtolæ ad Romanos, de quâ ſuprà; exiſtimans initium fidei in nobis, ex nobis eſſe. *lib.1. Retract.cap.22.* Neque enim fidem putabat Dei gratiâ præueniri, vt per illam nobis daretur quod poſceremus vtiliter; niſi quia credere non poſſemus, ſi non præcederet præconium veritatis. Vt autem prædicato nobis Euangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe arbitrabatur. *l. de Prædeſt. Sanct. cap.3.*

Quamquam ergo de fide & operibus ita ſenſiſſet olim, laborans de commendanda Dei gratiâ, vt nonnulla opuſcula ipſius ſatis indicant, ante Epiſcopatum conſcripta: nihilominùs quæſtionem hanc, ſecundùm veritatem diuinarum Scripturarum, in primo libro duorum, quos ad Simplicianum ſcripſit; ſolutam exhibuit. *eod.l.cap.4.* In cuius ſolutione elaboratum eſt quidem pro libero Arbitrio, ſed vicit Dei Gratia. *l.2. Retract. cap.1.*

Quanti autem Simplicianum, magiſtrum ſuum, fecerit Auguſtinus; coniici non obſcurè poteſt ex litteris, quas ad illas Simpliciani repoſuit, dum ait: Vnde autem tantâ exorta eſt felicitas litterario labori noſtro, quo in Librorum quorumdam conſcriptione ſudauimus; vt à tuâ dignatione legerentur? niſi quia Dominus, cui ſubdita eſt anima mea, conſolari voluit curas meas, & à timore recreare, quo me in talibus operibus neceſſe eſt eſſe ſollicitum, necubi fortè indoctior vel incautior, quamuis in planiſſimo campo veritatis, offendam? Cùm enim tibi placet, quod ſcribo; noui cui placeat, quoniam quis te inhabitet noui. Idem quippè omnium munerum ſpiritualium diſtributor atque largitor, per tuam ſententiam confirmabit obedientiam meam. Quidquid enim habent illa ſcripta, delectatione tuâ dignum; in meo miniſterio dixit Deus, Fiat, & factum eſt: in tuâ verò approbatione, Vidit Deus quia bonum eſt. *Epiſtol. prælim. ad ll. ad Simplician.*

Iam tum igitur, non ſolùm per omnes Africanas partes, verumetiam in Tranſmarinis, & per libros editos, atque in Græcum ſermonem tranſlatos, ab vno Auguſtino, atque per illum multis, fauente Deo, multa innoteſcere meruerunt, vidente & inuidente, ſed fruſtrà,

Hæreſi.

Hæreſi. *Poſſid. cap.* 11. Nam quemadmodum ab initio Presbyterij ſui aduerſus Africanas hæreſes atque errores, maximè contra Manichæos & Donatiſtas, prædicare & ſcribere ſtrenuiſſimè cœperat; *Poſsid. cap.* 7. ita facere Epiſcopus perrexit.

§. 11.

Contra Epiſtolam Fundamenti.

ERat Epiſtola Manichæi, quam vocant Fundamenti, vbi totum penè quod Manichæi credunt continetur: *l. cont. Epiſt. Fund. cap.* 5. ſiue, vbi doctrinæ Manichæorum initium, medium, & finis continetur. *l. 2. de Act. cum Felice cap.* 1. Hanc vno libro confutans, adeoque Manichæiſmi Fundamentum ſubuertens (quod ruinoſum vocat, *lib. cont. Secund. c. 3. & l. de Nat. Boni cap.* 42.) Catholiciſmi vnicum firmiſſimumque iacit. *l. 2. Ret. c. 2.*

Vt enim nihil de ſapientiâ dicat, quæ ſinceriſſima in Eccleſiâ Catholica traditur, tametſi hoc non credant Manichæi; multa fatetur eſſe alia, quæ in Catholicæ gremio iuſtiſſimè eum teneant. Tenet, inquit, conſenſio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipsâ Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio: tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſsâ inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, vt cùm hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam veniatur, nullus hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere. Iſta ergo tot & tanta Chriſtiani hominis clariſſima vincula, rectè hominem tenent credentem in Catholica Eccleſia, etiamſi propter noſtræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, nondum ſe apertiſſimè oſtendat. *l. cont. Epiſt. fund. cap.* 4. Horum verò omnium, ſicuti nihil apud Manichæos tum fuiſſe teſtatur; *eod. l. & cap.* ita neque eſt apud vllos hodie hæreticos.

Quod autem ſucceſſionem Sacerdotum attinet, à Petro vſque ad Epiſcopatum, qui tenebatur tempore Auguſtini; illam recenſet Epi-

ſtolâ 165. quo in loco, vſus eſt eodem argumento veritatis Eccleſiæ contra Donatiſtas, ſicuti & nonnumquam alibi. *l.3.cont.Creſc.cap.*18. contra Manichæos verò, præterquam loco citato, etiam *l.1.cont.Aduerſ. leg.& Prophet.cap.*20.*in princ.& l. de vtil. cred.cap.*17. vbi dicit: Eccleſiæ eiuſmodi fundamentis fultæ, nolle primas dare; vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.

§. III.

Scribit de Agone Chriſtiano.

SEquitur Liber, quem ſcripſit fratribus in eloquio Latino ineruditis, humili ſermone: continetque fidei regulam, & præcepta viuendi: cui titulum fecit, De Agone Chriſtiano, *l. 2.Retract.cap.3.*

In hoc Libro poſtquàm monuiſſet, debere nos primùm cognoſcere quis ſit ille aduerſarius, quem ſi legitimè certantes vicerimus, coronabimur; docuiſſetque ex Apoſtoli verbis, Non eſſe nobis colluctationem aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus rectores tenebrarum harum, aduerſus ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus: delabitur ad Manichæorum errores, quos operæpretium eſt ex illo cognoſcere.

Non ergo arbitremur, inquit, in ſummo cælo habitare diabolum cum angelis ſuis, vnde lapſum eſſe credimus. Sic enim errauerunt Manichæi, qui dicunt ante mundi conſtitutionem fuiſſe gentem tenebrarum, quæ contra Deum rebellauerit. In quo bello credunt miſeri, omnipotentem Deum, non ſibi aliter potuiſſe ſuccurrere; niſi partem ſuam, contra eam gentem mitteret. Cuius gentis principes, ſicut illi dicunt, deuorauerunt partem Dei, & temperati ſunt, vt poſſet mundus de illis fabricari. Sic dicunt Deum perueniſſe ad victoriam, cum magnis calamitatibus & cruciatibus & miſeriis membrorum ſuorum: quæ membra dicunt eſſe commixta tenebroſis viſceribus Principum illorum, vt eos temperarent, & à furore compeſcerent. Et non intelligunt tam ſacrilegam eſſe ſuam ſectam, vt credant omnipotentem Deum, non per creaturam quam fecerit; ſed per ipſam naturam ſuam bellaſſe cùm tenebris: quod nefas eſt credere. Neque hoc ſolum, ſed etiam illos qui victi ſunt, fa-

ctos

ctos eſſe meliores, quia furor eorum compreſſus eſt: Dei autem naturam qui vicit, factam eſſe miſerrimam.

Dicunt etiam eam, per ipſam commixtionem perdidiſſe intellectum & beatitudinem ſuam, & magnis erroribus & cladibus eſſe implicatam. Quam ſi aliquando vel totam purgari dicerent, magnam tamen impietatem contra omnipotentem Deum affirmarent, cuius partem crederent tanto tempore, in erroribus & pœnis eſſe iactatam, ſine aliquo peccati crimine. Nunc verò infelices audent adhuc dicere, nec totam poſſe purgari: & ipſam partem quæ purgari non potuerit, proficere ad vinculum, vt inde inuoluatur & illigetur malitiæ ſepulchro: & ſic ibi ſemper ſit pars ipſa Dei miſera, quæ nihil peccauit, & affligatur in æternum carcere tenebrarum.

Hoc illi dicunt, vt ſimplices animas fallant. Sed quis tam ſimplex eſt, vt iſta non ſentiat eſſe ſacrilega, quibus affirmant omnipotentem Deum, neceſſitate oppreſſum eſſe, vt partem ſuam bonam & innocentem, tantis cladibus obruendam, & tantâ immunditiâ inquinandam daret, & non totam liberare poſſet: & quod liberare non poterat, æternis vinculis colligaret? Quis ergo iſta non execretur? Quis non intelligat impia eſſe, & nefanda?

Sed illi quando capiunt homines, non iſta priùs dicunt: quæ ſi dicerent, riderentur, aut fugerentur ab omnibus. Sed eligunt capitula de Scripturis, quæ ſimplices homines non intelligunt, & per illa decipiunt animas imperitas, quærendo vnde ſit malum? Sicut in iſto Capitulo faciunt, quo ab Apoſtolo dictum eſt: Rectores harum tenebrarum, & ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Quærunt enim deceptores illi, & interrogant hominem Scripturas diuinas non intelligentem, Vnde ſint in cælo rectores tenebrarum? Vt cùm reſpondere non potuerit, traducatur ab eis per curioſitatem: quia omnis anima indocta curioſa eſt. Qui autem fidem Catholicam bene didicit, & bonis moribus & verâ pietate munitus eſt; quamuis eorum hæreſim neſciat, reſpondet eis tamen. Nec enim decipi poteſt, qui iam nouit quid pertineat ad Chriſtianam fidem, quæ Catholica dicitur, per orbem terrarum ſparſam: & contra omnes impios & peccatores, negligentes autem ſui, Domino gubernante ſecuram. *l. de Agon. Chriſt. c. 2. & 4.*

§. IV.

Contra Manichæos pluria.

Videri & de eorumdem doctrinâ poteſt *Epiſt.* 74. quâ Deuterio ſignificat, deprehendiſſe ſe Mallianenſem quemdam Subdiaconum Victorianũ, ætate iam ſenem, ſectâ Manichæum; qui ſub nomine Clerici Hippone latitans, intolerabiles blaſphemias, quas ibi enumerat, quaſi Catholicus non ſolùm credebat, ſed quibus viribus poterat, edocebat. Quapropter coërcitum illum, cùm pellendum de ciuitate curaſſet, Deuterio duxit intimandum, vt à Clericorum gradu congruè Eccleſiaſticâ ſeueritate deiectus, cauendus omnibus innoteſcat: petenti autem pœnitentiæ locum, tunc credatur, ſi & alios quos illic nouit eſſe, manifeſtauerit, non ſolùm in Mallianâ, ſed in ipsâ totâ omninò prouinciâ. *hæc ibi.* Moris enim fuiſſe, vt ad exſtirpandam funditus Manichæorum perniciem, eiuſdem erroris noxij proderentur; patet ex additamento, quod reperitur in quibuſdam codicibus, ad calcem libri De hæreſibus: quo Felix, de quo infrà, poſt Manichæum anathematizatum, plures nominat vtriuſque ſexûs, huius hæreſeos peſtilentiâ infectos. Vide Leonem Magn. Epiſt. 2.

Ad ſimilem modum Presbyterum quemdam eiuſdem ſectæ, qui deuicto anteà Fortunato ſucceſſerat, ſine cauſsâ tergiuerſantem, cùm longè appareret qualis eſſet, adeoque ſeducentem Catholicos Hippone detexit. Qui cùm peſtilentem doctrinam ſuam, ratiunculis quibuſdam firmare velle videretur, hoc aliquando reſponſum accepit: Denuntio tibi in nomine Chriſti, vt ſi paratus es, ſolue quæſtionem in qua defecit præceſſor tuus Fortunatus, & ita hinc ierat vt non rediret, niſi cum ſuis diſputatione collatâ inueniret, quid contra reſpondere poſſet, diſputans cum fratribus. Si autem ad hoc non es paratus; diſcede hinc, & noli peruertere vias Domini, & illaqueare & venenis inficere animas infirmas: ne adiuuante dexterâ Domini noſtri, quomodo non putaueris, erubeſcas. *Epiſt.* 244. Conſuli poteſt *l. de hæreſib. hær.* 46. *l.* 19. *cont. Fauſt. c.* 22.

§. V.

§. V.

Fauſtum refellit.

INter eoſdem Manichæos Fauſtus fuit, gente Afer, ciuitate Mileuitanus, eloquio ſuauis, ingenio callidus, ſectâ Manichæus, ac per hoc nefando errore peruerſus. Nouerat Auguſtinus hominem, quemadmodum commemorauit in libris Confeſſionum ſuarum. Hic, quoddam volumen edidit aduerſus rectam Chriſtianamque fidem, & Catholicam veritatem: *l.* 1. *cont. Fauſt. c.* 1. in quo blaſphemabat legem & Prophetas, & eorum Deum, & incarnationem Chriſti: Scripturas autem Noui Teſtamenti, quibus conuincebatur, falſatas eſſe dicebat. *l.* 2. *Retr. c.* 7. Quod cùm veniſſet in manus ipſius, lectumque eſſet à fratribus; deſiderauerunt, & iure charitatis, per quam eis ſeruiebat, flagitauerunt, vt ei reſponderet. *l.* 1. *cont. Fauſt. c.* 1.

Fecit: ſcripſitque grande opus, verbis Fauſti propoſitis reddens reſponſiones ſuas. Triginta & tres diſputationes ſunt, ſiue etiam libri: nam etſi ſunt in eis aliqui perbreues, tamen libri ſunt: *l.* 2. *Retr. c.* 7. vt omnes qui hæc legent intelligant, quàm nihil ſit acutum ingenium & lingua expolita, niſi à Domino greſſus hominis dirigantur. Quod multis etiam tardioribus & inualidioribus, occultâ æquitate diuinæ miſericordiæ præſtitum eſt, cùm multi acerrimi & facundiſſimi, deſerti adiutorio Dei, ad hoc velociter & pertinaciter currerent, vt à veritatis via longiùs aberrarent. *l.* 1. *cont. Fauſt. c.* 1.

Quàm fortiter, quamque ſuauiter; quantâ elegantiâ, quantoque nitore; quanto acumine & ſale, totidem hiſce libris Fauſto reſpondeat, Manichæorum deliramenta ſubuertat, Scripturam ſacram, & puriſſimam Chriſti fidem aſſerat & roboret; nullis verbis explicari poteſt: vt dici non immeritò queat, in aliis operibus demonſtraſſe cum eruditione ingenium ſuum; in refutandis hæreticis, ſeipſum ſuperaſſe.

Ceterùm Fauſtus aliquando conuictus vel confeſſus, quòd Manichæus eſſet, cum aliis nonnullis ſecum ad iudicium Proconſulare perductis (eis ipſis Chriſtianis, à quibus perducti erant intercedentibus)

bus) leuiſſimâ pœnâ (ſi tamen illa pœna dicenda eſt) in Inſulam relegatus eſt : quod ſuâ ſponte, quotidie ſerui Dei faciunt, ſe à turbulento ſtrepitu populorum remouere cupientes : & vnde publica terrenorum Principum vota ſolent relaxare damnatos. Non enim multò pòſt, inde omnes eâdem ſollemni ſorte dimiſſi ſunt. *l.* 5. *cont. Fauſt. c.* 8.

Vt verò deprimat arrogantiam Fauſti, quâ gloriabatur ſe perſecutionem propter iuſtitiam paſſum ; monet eum, vt diſcerneret quid ſit perſecutiones pati pro blaſphemiâ, & perſecutionem pati pro iuſtitiâ. *ibid.*

Quoad alias porrò vanitates, quibus intumeſcebat ; ait ſe nolle inuehi in Fauſti delicias, notas omnibus Auditoribus Manichæorum, eis maximè qui Romæ erant. *eod. l. c.* 7. vt videas fuiſſe hominem de patricio hæreticorum & hypocritarum ordine.

§. VI.

Alia contra Manichæos acta & ſcripta.

Anno 399. VEtita deinde ſunt Manichæorum contubernia, lege Honorij Imperatoris, latâ Conſ. Manlio Theodoro, Mediolani 17. Kal. Iunij, *l.* 35. *de hæret. Cod. Theod.* quòd eſſent ob flagitia & ſacrilegia, publicè infamia, vt patet ex iis quæ refert Auguſtinus, *l. de nat. boni c.* 44. *& ſeqq.* neque ſolâ theoriâ tradebantur, ſed erant in calidâ praxi, non tantùm in Paphlagoniâ, ſed etiam in Galliâ, ſicuti à quodam Romæ Chriſtiano Catholico audiuerat. *lib. de nat. boni cap.* 47.

Cùm itaque Carthagine, tametſi pauculis poſt hæc annis, vt annotabimus inferiùs, per quemdam domûs Regiæ Procuratorem, nomine Vrſum, fidei Catholicæ hominem, Manichæorum nonnulli, quos Electos vel Electas dicunt, comprehenſi forent ; ad Eccleſiam ab eodem perducti ſunt, & ab Epiſcopis ad tabulas auditi. Aderat inter eos Auguſtinus, qui præ ceteris illam execrabilem ſectam nouerat : cumque damnabiles illorum blaſphemias, ex libris ipſorum Manichæorum prodidiſſet; ad confeſſionem earumdem blaſphemiarum

rum comprehenſos perduxit. Vnde contigit vt Geſtis Eccleſiaſticis innoteſcerent, quæ inter ſe illi, malo more ſuo, indigna & turpia facere conſueuerant: præſertim confeſſionè feminarum, quæ dicebantur Electæ. *Poſſid. c.16.* Iſta quæ in ſpecie fuerint ſordida & impia, refert Auguſtinus ipſe *l. de hæreſ. hær.* 46. vbi Vrſum tribunum, vocat dom̃us Regiæ præfectum, feminarumque nomina edit, Margaritæ & Euſebiæ. Videri quoque poteſt *Liber de nat. boni locis cit.* hoc circiter tempore conſcriptus.

Nam cùm inter Manichæorum craſſos errores, hic eſſet de patricio genere, Deum violabilem, mutabilem, & corruptibilem eſſe; vt illum deſtrueret, ſcripſit aduerſus eoſdem librum De Natura Boni: vbi oſtenditur naturam incommutabilem Deum eſſe, ac ſummum bonum, atque ab illo eſſe ceteras naturas, ſiue ſpiritales ſiue corporales, atque omnes in quantum naturæ ſunt, bonas eſſe: & quid vel vnde ſit malum: & quanta mala Manichæi ponant in naturâ boni, & quanta bona in naturâ mali, quas naturas finxit error ipſorum. *lib. 2. Retract. c. 9.*

At verò Secundinus quidam, non ex eis quos Manichæi Electos, ſed ex eis quos Auditores vocant, quem nec facie quidem nouerat, (Romanus enim Romæ agebat, vt ex Epiſtola eiuſdem ad Auguſtinum patet) ſcripſit ad Auguſtinum veluti amicus honorificè obiurgans, quòd illam hæreſin litteris oppugnaret: admonens ne faceret, atque ad eam potiùs ſectandam exhortans, cum eius defenſione & fidei Catholicæ reprehenſione. Huic vno volumine reſpondit, cui titulus eſt: Contra Secundinum Manichæum: quod ipſum omnibus, quæ aduerſus illam peſtem ſcribere potuit, facilè præponit. *libro 2. Retract. cap. 10.*

Alia complura quæ contra eoſdem elucubrauit, enumerat *Poſſid. Indic. c. 2.* vt non immeritò in Creſconio, qui Manichæiſmum ei obiecerat, reſpondeat Donatiſtis omnibus, hiſce verbis: Cùm contra Manichæos, qui me adoleſcentulum aliquando deceperant, mea tanta ſcripta, qui voluerit legere poſſit; non vſque adeò deſipit, vt de me credat potiùs veſtris verbis, quàm oculis & ſenſibus ſuis. *l. 3. cont. Creſcon. c. 79.* Quibus iiſdem verbis, Iuliano Pelagiano, idem obiicienti, pridem antè ſatisfeciſſe videri poteſt.

Poſt Librum contra Secundinum, ſequitur contra Hilarium Tribunitium, hominem profanum & irreligioſum: ſed qui non exſtat. *l. 2. Retract. c. 11.*

§. VII.

§. *VII.*

Scribit de doctrina Chriſtiana: & Libros Confeßionum.

SEd neque interea ſcribere omiſit, quorum ad omnes indiſcretè vtilitas dimanaret: ideoque ſuccedunt Libri De doctrina Chriſtiana, quos Presbyter inchoauit, & demum Epiſcopus abſoluit, cùm ſub operum omnium Retractationem imperfectos reperiſſet. *lib. 2. Retract. 4.*

His adiecit tredecim Confeſſionum ſuarum: qui de malis & de bonis eius, Deum laudant iuſtum & bonum, atque in eum excitant humanum intellectum & affectum. Hoc enim in ſe egiſſe cùm ſcriberentur, & agere cùm leguntur, teſtatur: nihil ſollicitus, quid de illis alij ſentiant. *l. 2. Retract. c. 6.* Quid enim meorum, inquit, opuſculorum frequentiùs & delectabiliùs innoteſcere potuit, quàm libri Confeſſionum mearum? *l. de don. perſeu. cap.* 20. Quapropter dicebat in iiſdem: Tu medice meus intime, quo fructu iſta faciam, eliqua mihi. Nam Confeſſiones præteritorum malorum meorum, quæ remiſiſti & texiſti, vt beares me in te, mutans animam meam fide & ſacramento tuo; cùm leguntur & audiuntur, excitant cor ne dormiat in deſperatione, & dicat, Non poſſum: ſed euigilet in amore miſericordiæ tuæ, & dulcedine gratiæ tuæ, quâ potens eſt omnis infirmus, qui ſibi per ipſam ſit conſcius infirmitatis ſuæ. Et delectat bonos, audire præterita mala eorum, qui iam carent eis. Nec ideo delectat quia mala ſunt; ſed quia fuerunt, & non ſunt, &c. *libro* 10. *Conf. cap.* 3.

Rurſus: Numquid Domine, cùm tua ſit æternitas, ignoras quæ tibi dico? aut ad tempus vides, quod ſit in tempore? Cur ergo tibi tot rerum narrationes digero? Non vtique, vt per me noueris ea: ſed affectum meum excito in te, & eorum qui hæc legunt; vt dicamus omnes, Magnus Dominus, & laudabilis valde. Iam dixi, & dicam, Amore amoris tui facio iſtud. *l.* 11. *conf. c.* 1.

§. VIII.

Quæſtiones, Annotationes, in Matthæum, Lucam, Iob.

HOſce deinde Libros ſecutæ ſunt quædam Expoſitiones quorumdam locorum ex Euangelio ſecundùm Matthæum, & aliæ ſimiliter ſecundùm Lucam: in vnum librum illæ, in alterum iſtæ redactæ. *l. 2. Ret. c. 12.* Nam quo ordine interrogabat, qui, quod in Euangeliſtis legebatur, non intelligebat; eodem expoſitum eſt. Ideo & multa, & fortè obſcuriora prætermiſſa ſunt, cùm iam antè ea ſciret. *Prolog. ad qq. Euang.*

Annotationes in Iob, vtrùm opus ſuùm, an aliorum eſſe velit, qui eas redegerunt in vnum corpus; non facilè dixerit. Nam præterquam quod videri poſſit imperfectum; in codicibus quos habebat, erat admodum mendoſum. *l. 2. Ret. c. 13.*

Sed non ob id, quòd humiliter ipſe, modeſteque ſenſit de hiſce Annotationibus; prætereunda eſt eloquentia ipſius, quam in tanti Prophetæ commendandâ patientiâ aliquando explicuit. Nam poſteaquam oſtendiſſet, aliud eſſe per extimum hoſtem & corporalem; aliud per intimum & ſpiritalem, hoc eſt diabolum exerceri, ſiue per aſſeclas eiuſdem etiam extrinſecùs: Talem, inquit, illum Iob ſanctus expertus eſt, vtrâque tentatione vexatus, ſed in vtraque ſtabili patientiæ robore, & armis pietatis inuictus. Nam priùs illæſo corpore, cuncta quæ habebat amiſit; vt animus ante ſuæ carnis cruciatum, ſubtractis rebus quas magni pendere homines aſſolent, frangeretur: & aduerſus Deum loqueretur aliquid his amiſſis, propter quæ illum colere putabatur.

Percuſſus etiam omnium ſubitâ orbitate filiorum, vt quos ſigillatim ſuſceperat, ſimul perderet: tamquam eorum numeroſitas, non vnde felicitas oriretur, extiterit; ſed vnde calamitas augeretur. Vbi autem iſta perpeſſus in Deo ſuo manſit immobilis; eius affixus eſt voluntati, quem non poſſet amittere niſi propriâ voluntate; & pro iis quæ perdidit, eum qui abſtulit tenuit, in quo inueniret

niret quod numquam periret. Neque enim ille abſtulerat, qui nocendi habuit voluntatem, ſed ille qui dederat poteſtatem.

Aggreſſus eſt inimicus & corpus: nec ea quæ homini extrinſecus inerant, ſed ipſum iam hominem, in quâ potuit parte, percuſſit. A capite vſque ad pedes ardebant dolores, ſcatebant vermes, fames defluebat: manebat in putrido corpore animus integer, horrendoſque cruciatus carnis contabeſcentis, inuiolatâ pietate, & incorruptâ patientiâ perferebat. Aderat vxor, nec ferebat opem aliquam viro, ſed in Deum blaſphemiam ſuggerebat. Etenim eam diabolus, cùm etiam filios abſtuliſſet, tamquam nocendi peritus, reliquerat; quæ quantum eſſet neceſſaria tentatori, iam in Euâ didicerat: ſed modò alterum Adam, quem per mulierem caperet, non inuenerat. Cautior fuit iſte in doloribus, quàm ille in nemoribus: ille victus eſt in deliciis, iſte vicit in pœnis: conſenſit ille in oblectamentis, non ceſſit iſte in tormentis.

Aderant & amici: non vt in malis conſolarentur, ſed vt mala ſuſpicarentur. Neque enim eum qui tanta patiebatur, innocentem eſſe credebant: nec tacebat eorum lingua, quod illius conſcientia non habebat: vt inter immanes cruciatus corporis, etiam falſis animus cæderetur opprobriis. At ille ſuſtinens in carne dolores ſuos, in corde errores alienos; coniugis corripiebat inſipientiam, amicos docebat ſapientiam, ſeruabat vbique patientiam. *l. de patient. c.* 11. *&* 12. vide *de Mor. Eccl. Cath. c.* 23.

§. IX.

Libri de Trinitate inchoati: de Conſenſu Euangeliſtarum conſcripti, &c.

SEquitur Liber de Catechizandis rudibus; *l.* 2. *Retract. c.* 14. ac quindecim de Trinitate, ſed quos ſcripſit per aliquot annos: mirabili profunditate, vt inquit Caſſiodorus. Sub eis enim elucubrauit quatuor de Conſenſu Euangeliſtarum continuo labore, alios interrupto: & nihilominus quos de Trinitate inchoarat, cùm eorum duodecimum nondum perfeciſſet, ſubtracti ſunt ei minùs emen-

emendati, quàm eſſe deberent ac poſſent, vt ederentur: idque ab eis, qui vehementer illos habere cupiebant: *l.2. Retract. cap.15. & 16.* de quo poſteà latiùs.

Addam hîc dumtaxat iudicium præſtantiſſimi Caſſiodori, de Conſenſu Euangeliſtarum: Ioannem, inquit, beatus Auguſtinus, copioſâ & inſigni expoſitione lucidauit: qui etiam de Concordia Euangeliſtarum, quatuor Libros, ſubtiliſſimâ nimis, & neceſſariâ diſputatione complexus eſt. *l. de diuin. lect. cap.7.*

Porrò cetera ab eo in Epiſcopatu conſcripta, tam Didactica quàm Polemica; ſequentibus Libris, quibus & ſcribendi occaſio ab ipſis plerumque fontibus arceſſitur, enarrabimus.

VITÆ D. AVRELII.

AVGVSTINI LIBER SECVNDVS.

S*Cribens ad Auguſtinum Hieronymus, dicebat: Macte virtute, in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquæ rurſum fidei venerantur atque ſuſpiciunt: & , quod ſignum maioris gloriæ eſt, omnes hæretici deteſtantur.* Epiſt. 25. *Quod licet de Donatiſtis præcipuè intellexiſſe, quorum validus perpetuuſque malleus fuit, aliquorum ferat opinio; attamen & de Pelagianis, ſuo loco oſtendemus eſſe manifeſtum.*

His antiquiores Donatiſtæ, ſiue, quod magis placebat Creſconio, Donatiani; primùm propter Cæcilianum, contra ſuam voluntatem ordinatum Eccleſiæ Carthagnienſis Epiſcopum, ſchiſma fecerunt: quod deinde firmatâ diſſenſione, verterunt in hæreſin. Auguſt. Hær. 69. *Sed non fuit ab initio vnica & ſimplex ſchiſmatis inchoati ſiue cauſſa, ſiue perſona; aſt varia, & multiplex.*

Quia verò Auguſtini ſollertia videri penitus haud poteſt, neque libri ipſius plurimi intelligi; niſi res Donatiſticæ cognoſcantur: ſtatuimus earum hiſtoriam ab origine rep: tere, neque tamen longè errare ab Auguſtino: vt qui iuxta cum Optato Milevitano Epiſcopo, imò (cùm Optatum plerumque explicet atque illuſtret) vberiùs eas poſteris reliquit.

CAPVT I.

ORIGO SCHISMATIS DONATISTICI.

§. I.

Diocletiani & Maximiani perſecutio in Chriſtianos.

ANno Chriſti circiter trecenteſimotertio, Diocletianus & Maximianus Auguſti, poſtquam anteà duos Cæſares Conſtantium & Galerium adſciuiſſent, perſecutionem ſuam orſi ſunt. Id non vno loco obſeruatum ab Auguſtino eſt, quando pluſquam quadraginta annos, inter Cypriani paſſionem & diuinorum Codicum exuſtionem, fuiſſe ait, *l.5. de Bapt.cap.1. & l.7.c.2.* Sed hoc memorabile, quod ſcribit Euſebius, non alia de cauſsâ Deum, hanc perſecutionem Chriſtianis infligi paſſum, quàm quòd ipſi poſt longam temporum tranquillitatem, cùm apud omnes haberentur in pretio, nimiâ licentiâ prolapſi ſint in mollitiem delicatam, & diſſolutam ſegnitiem: cœperintque alij aliis inuidere, maledictis inſectari, & petulantibus inuicem linguis, tamquam mutuis armis, oppugnare: ipſi præſides Eccleſiarum, alter alterius vires infringere: & populus in populum ſeditionem concitare: omnium denique animos ficta & adumbrata ſanctitatis ſpecies inficere. *Euſeb.l.8. cap.1.* Anno 303.

Anno igitur decimonono imperij Diocletiani, menſe Martio, cùm ſalutaris Paſſionis Dominicæ feſtum præ foribus eſſet; omnibus in locis palàm edictum fuit, vt Eccleſiæ deturbarentur: ſacri Codices abſumerentur igni: Epiſcopi, Sacerdotes, aliique, de gradu deponerentur: priuati denique ſi perſtarent in Chriſtiana profeſſione, libertate multarentur. *Euſeb.l.8.c.3.* Hoc erat primi Edicti carmen.

 Secutum

Secutum mox ſecundum: quo iuſſi ſunt omnes Eccleſiarum Principes vbique in carceres compingi, adhibitiſque omnibus machinis, victimas Idolis immolare. Contra vniuerſam fidelium multitudinem effuſi denique Tyranni, quotquot eiurato Chriſto, diis immolare nollent; indiſcretè quà viros quà feminas cuiuſlibet ætatis, necari præcipiunt.

In hoc ſtudium incumbentibus Præfectis, Iudicibuſque omnibus, imò Imperatoribus ipſis: in Oriente Diocletiano cùm genero ſuo Galerio, huius mali præcipuè architecto; in Occidente Maximiano: decima poſt Neronem excitata perſecutio eſt, omnibus ferè præteritis diuturnior. *Oroſ. l. 7. cap. 25.* Per decem enim annos acta eſt: neque regio fuit, aut ciuitas penè vlla, quam non peruaſerit: vnicâ Galliâ cum vicinis aliquot Prouinciis, exceptâ: quæ quia Conſtantio, viro & mitiſſimi ingenij, & noſtrarum partium ac religionis, parebat; ſola, frendentibus licet Auguſtis, abiit immunis.

Alibi Paſchalibus diebus æquabantur Eccleſiæ ſolo: profanis publiciſque ignibus dabantur Codices ſacri, vaſa & ornamenta. Quos Chriſtiana conſtantia & pietas, ea premere iubebat; rapiebantur in carceres: qui pleni vbique erant Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, eruditione & virtute clariſſimis: nobilibus & honoratis, tum viris, tum feminis & pueris. Dixiſſes in latronum & parricidarum conditionem & ſupplicia, innocentiam ac religionem ſucceſſiſſe. Tantus quippè numerus erat talium; vt vnico interdum menſe, ſeptemdecim octodecimve millia, morte crudeliſſimâ ſublata ſint. *Damaſcen. in vita Marcellini, Ado in Chron. Vſuard. 26. April.*

§. II.

Eadem perſecutio Africam peruadit.

ERat Africa aliarum orbis partium comparatione minor: in quâ nihilominùs, præter plura Chriſtianorum millia, quæ tum in ædificio publico Carthagine laborabant; tantam Martyrum multitudinem fuiſſe teſtatur Euſebius, vt dinumerari à nemine poſſit. *l. 8. c. 7.* In Prouinciâ enim Proconſulari ſæuiebat Anulinus: *Opt. l. 3.* Curator

tor erat Magnilianus: *Sur. 24. Octob. in geſt. Felicis Mart.* in Numidiâ Florus, Paulus, Valentianus, Felix, partim Iudices, partim Curatores: *Aug. l. 3. cont. Creſc. cap. 27. & 29.* in Mauritaniâ Agricolaus, teſte Vſuardo.

Malebant videlicet Chriſtiani extrema pati, quàm aut ſacros Codices, vaſa & ornamenta tradere: aut Chriſto abiurato, idolis immolare. Et quidem Carthagine, tanta per id tempus, eorum alacritas extitit; vt ne in temeritatem degeneraret, coërcenda videretur; neque tam ſtimulis opus eſſe, quàm fræno.

Refert perinde Menſurius Epiſcopus, tantam, tamque inconſultam fuiſſe inter ſuos multorum audaciam, vt Proconſuli ceteriſque officiariis, vltrò ſeſe offerrent: habere ſe Scripturas ſacras, ſed quas negabant tradituros: eorum hoc pacto iram furoremque ſuſcitantes. Quare à ſe increpitos fuiſſe, eâ cautione adhibitâ, vt ſe poſthac in periculum nemo mitteret; aut eiuſcemodi, vitæ ſuæ prodigos potiùs, quàm Martyres honoraret: Cypriani videlicet exemplo, qui mônuerat ne quis vltrò ſe Gentilibus offerret; ſed apprehenſus & traditus loqueretur: ſiquidem in nobis Dominus poſitus, illâ horâ loquatur, qui nos confiteri magis voluit, quàm profiteri. *Cyprian. Epiſt. 83.*

§. III.

Complures à Chriſto auellit.

QVot animas ea tum crudelitas dimiſerit in cælum, vti libro 8. teſtatur Euſebius; ita neque diffitetur, innumeros formidine perculſos & attonitos, prorſus ſuccubuiſſe. *eod. l. c. 3.* Idem perinde in Africâ euênit. Eiuſcemodi verò, infami in Eccleſia nomine, Thurificati ac Sacrificati, & nouo tunc vocabulo Traditores dicti ſunt: *l. 7. de Bapt. cap. 2.* erantque eos inter non tantummodò de media plebe aut populo; ſed quamplures etiam ex ſacro Cleri ordine: Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, vt mox dicemus.

Nam & Secundus Tigiſitanus, primæ Cathedræ in Numidia Epiſcopus, haud omninò mundus extitit à crimine traditionis. Licet enim iis litteris, quibus ad ſuperiores Menſurij reſpondit, poſt com-

mendatam ſuę gentis in perſecutione conſtantiam, fortitudinem quoque ſuam magnificè prædicet: vt qui miſſis ad ſe à Curatore & Ordine, ac diuinos Codices exurendos poſtulantibus Centurioni & Beneficiario, Chriſtianum ſe atque Epiſcopum, non Traditorem eſſe, liberè & confidenter dixerit; adeoque ſacras Scripturas non ſolùm non tradiderit, ſed neque alios vllos, aut libros, aut eorum, etſi profanorum fragmenta: Eleazari videlicet illius exemplo, qui ſuillam comediſſe, ne fingere quidem voluerit; *Coll. 3. cap. 13. & 5. & l. 1. cont. Gaud. cap. 37.* attamen id gloriæ cupiditate magis, ad exemplum Cypriani, quàm ſtudio eliminandæ veritatis ſcriptum fuiſſe, ex iiſdem litteris deprehendi non obſcurè poteſt.

In iis quippè, cùm multos commemoraret Martyres, & non quoſlibet infimos, ſed patresfamilias etiam, ob negatos conſtanter libros, crudeliſſimis ſuppliciis dicat affectos; quî factum credi poteſt, vt ipſe detentus & conuictus, tradere quod petebatur recuſans, impunè auferret, ac demum ſine damno & noxâ liber euaderet? *Collat. 3. cap. 15.* Sic enim miſſi qui fuerant, exitium ſibi acciuiſſent iumento ſuo: ideoque hoc ab aliis Epiſcopis fuiſſe deinde Secundo obiectum, paullò pòſt audiemus.

Neque enim Menſurius ipſe Carthaginenſis Epiſcopus, traditionis omnem ſuſpicionem euaſit; quando in ſuis illis ad Secundum litteris ſcribit, ſe ſacros Codices è Baſilicâ ſuſtuliſſe & occultaſſe: eorum autem loco, hæreticorum ſcripta repoſuiſſe: his verò perſecutores inuentis, nihil vltrà poſtulaſſe. Cumque ſuper hâc fraude admonitus à nonnullis Proconſul eſſet; induci tamen non potuiſſe, vt in exigendis quos Epiſcopus abſconderat, ſacris libris, eiuſque excutiendâ domo in quâ latitabant, tametſi antea fuiſſet illuſus, aſſenſum præberet. *Collat. 3. cap. 13.*

Quod ſi ita habet; oportuit ſanè Proconſulem, virum & benignum fuiſſe, & minimè immitem perſecutorem. Sed quia id Donatiſtæ non facilè admiſiſſent, Menſurio poſteà in Collatione Carthaginenſi mendacium obiicere, & traditionis arguere non dubitarunt: *Col. 3. cap. 13.* quod etiam antè Petilianus fecerat, vt patet *l. 2. cont. eum cap. 92.*

§. IV.

§. IV.

Diocletianus & Maximianus Imperio depoſito perſecutionem relaxant.

ALter iam ab inchoatâ perſecutione agebatur annus, cùm Diocletianus, inducto in eandem rem Maximiano collegâ, vndecimo Kalendas Maij, hic Mediolani, Nicomediæ ille, Imperium abdicauit. Sunt qui ſcribunt, deſperatione extinguendæ Chriſtianæ religionis, Diocletianum iſtud actitaſſe. *Oroſ.l.7.cap.25.* Anno 304.

Succeſſerunt Conſtantius & Galerius, Romanum orbem inter ſe partiti: vt Galliam, Hiſpaniam, Africam, Italiam Conſtantius; Illyricum, Ægyptum, Aſiam, Orientem Galerius obtineret. Verùm Conſtantius, Auguſti honore tituloque contentus, Italiæ atque Africæ adminiſtratione ceſſit. Quamobrem Galerius, duos Cæſares adſciſcit ex ſorore nepotes, Iouium Maximinum, & Galerium Seuerum: atque huic Italiâ & Africâ; illi Aſiâ, Ægypto & Oriente traditis; Illyricum ſolus ipſe, mediusque tenuit.

Iam verò Imperatores abdicaturi, perſecutionem eatenus relaxauerant; vt eos qui capti detinebantur, publico edicto liberari iuberent. Id vbique obtinuit Illyrico excepto, cui Galerius imperabat, homo trux, & Chriſtiani ſanguinis ſitientiſſimus.

§. V.

Synodus Cirtenſis.

PAcatâ ſic nonnihil Africâ, moritur Paulus Cirtenſis in Numidiâ Epiſcopus. Secundus verò Tigiſitanus, eius Prouinciæ Primas, tranquillitatis tantillâ occaſione vſus, vicinos aliquot antiſtites Cirtam euocat, vt viduatæ Sedi Antiſtitem donet. Eorum hæc fuere nomina:

mina: Donatus Maſculitanus, Marinus ab Aquis Tibilitanis, Donatus Calamenſis, Victor Ruſiccadienſis, Purpurius Limatenſis, Felix Rotarianus, Victor Garbienſis, & Secundus ſuperioris Secundi ex fratre nepos, & alij nonnulli, vndecim numero: quorum Menalus quidam, ne thurificaſſe à ciuibus ſuis probaretur, oculorum dolorem fingens, ad conſeſſum ceterorum procedere timuit. *Optatus l. 1.*

Stato die vt adfuere, in priuatas ædes (quòd Baſilicæ nuper omnes euerſæ, necdum eſſent reſtauratæ) congregati ſunt. Vetus autem Eccleſiæ conſuetudo fuit, vt quemadmodum ad Epiſcopatum ſuſcipiendum; ita ad ceterorum ordinationem, niſi inſigniter probatus, & ab omni criminis infamiâ liber, nemo admitteretur. Itaque Secundus Concilij præſes, accepto de collegis qui conuenerant, parum honeſto rumore; vbi ad conſeſſum ventum eſt, inquirere in eorum mores vitamque cœpit. Sed iuuabit hanc rem totam ex ipſis Concilij Actis, vti ab Auguſtino referuntur aperire, vel ob memoriam vetuſtatis. Sic autem habent:

„ Cùm Secundus Tigiſitanus Epiſcopus primæ Cathedræ, conſe-
„ diſſet in domo Vrbani Donati, idem dixit: Probemus nos primò, &
„ ſic poterimus hîc ordinare Epiſcopum.

„ Secundus Donato Maſculitano dixit: Dicitur te tradidiſſe. Dona-
„ tus reſpondit: Scis quantùm me quæſiuit Florus vt thurificarem, &
„ non tradidit me Deus in manus eius, frater: ſed quia Deus mihi di-
„ miſit, ergo & tu ſerua me Deo. Secundus dixit: Quid ergo facturi
„ ſumus de Martyribus? Quia non tradiderunt, ideò & coronati ſunt.
„ Donatus dixit: Mitte me ad Deum, ibi reddam rationem. Secundus
„ dixit: Accede vnâ parte.

„ Secundus Marino ab Aquis Tibilitanis dixit: Dicitur & te tradi-
„ diſſe. Marinus reſpondit: Dedi Pollo (Paullo) chartulas, nam codi-
„ ces mei ſalui ſunt. Secundus dixit: tranſi vnâ parte.

„ Secundus Donato Calamenſi dixit: dicitur te tradidiſſe. Donatus
„ reſpondit: Dedi codices medicinales. Secundus dixit: tranſi vnâ
„ parte.

„ Secundus Victori à Ruſiccade dixit: Dicitur te tradidiſſe quatuor
„ Euangelia. Victor reſpondit: Valentianus Curator fuit, ipſe me coë-
„ git vt mitterem illa in ignem: ſciebam illa deletitia fuiſſe: hoc deli-
„ ctum indulge mihi, & indulgebit mihi Deus. Secundus dixit: tranſi
„ vnâ parte.

Secundus

Secundus Purpurio à Limata dixit : Dicitur te necaſſe filios ſororis tuæ duos Milei. Purpurius reſpondit : Putas me terreri à te, ſicut & alteri? Tu quid egiſti, qui tentus es à Curatore & Ordine vt Scripturas dares? Quomodo te liberaſti ab ipſis, niſi quia dediſti, aut iuſſiſti dare quodcumque? Nam non te dimittebant paſſim. Nam ego occidi & occido eos, qui contra me faciunt. Ideo noli me prouocare vt plus dicam. Scis me de nemine tractare. Secundus minor patruo ſuo Secundo dixit : Audis quæ dicat in te? Paratus eſt recedere, & ſchiſma facere, non tantùm ipſe, ſed & omnes quos arguis. Quos ſcio quia dimittere te habent, & remanebis ſolus hæreticus. ”

Secundus Felici à Rotaria Centurionis, & Victori à Garbe dixit : Quid vobis videtur? Reſponderunt : habent Deum cui reddent rationem. Secundus dixit : Vos ſcitis, & Deus. Sedete. Et omnes reſponderunt : Deo gratias. *l.* 3. *cont. Creſc. c.* 27. Hactenus Concilij illius verba. ”

Atque ita Secundus, ſeu pacis cauſsâ, ſeu, vt magis apparet, criminis eiuſdem conſcientiâ perterritus, turpiſſimâ inuicem donatâ indulgentiâ in conſeſſum recepit, quos priùs ſtare iuſſos inde ſubmouerat : *Epiſt.* 162. ac deinde ad Cirtenſis Eccleſiæ prouiſionem tranſiens, Syluanum quendam eius loci Presbyterum, ex communi ſententiâ, Epiſcopum ordinauit : qui & ipſe cum præceſſore ſuo Paulo, aliiſque compluribus illic Eccleſiaſtici Ordinis viris, in perſecutione lapſus fuiſſe, & ſacra Eccleſiæ vaſa atque inſtrumenta tradidiſſe, detectus poſtea conuictuſque eſt. *l.* 1. *cont. Petil. c.* 21. *&* *l.* 3. *c.* 58. *& l.* 3. *cont. Creſc. c.* 29. Syluanus ordinationis ſuæ indices litteras, ad ceteros ibidem Epiſcopos miſit. *Epiſt.* 165.

§. VI.

Conſtantinus patri Conſtantio ſuccedit.

Biennio pòſt, octauo Kalendas Auguſti, moritur in Britanniâ Conſtantius Auguſtus, Conſtantino ex Helenâ filio, Imperij relicto herede. Anno 306.

Hunc vbi Romæ conſtitit pronuntiatum ab exercitu Auguſtum;

 Præto-

Prætoriani ibidem milites, excitato tumultu, Maxentium Maximini Herculij filium, in Imperium extulerunt. Quód cùm ſibi Maxentius, fugato primùm Seuero, pòſt etiam conſternato Licinio, ſatis confirmaſſe videretur; vt protenus etiam ſtabiliret, nihil priùs habuit, quàm ſubditorum animos (neque tantummodò Gentilium, ſed & Chriſtianorum) quomodolibet deuincire. His itaque reſtitui iubet Eccleſias, & quæcumque fuerant ablata: demum & frænari perſecutionem.

§. VII.

Menſurius Epiſcopus Carthaginenſis, Romam euocatus, in reditu moritur.

SEd priuſquàm hæc edicta ederentur, Carthagine Diaconus quidam, Felix nomine, famoſum libellum de tyranno Imperatore conſcribit. Deprehenſus, Proconſuli vt ſe ſiſtat, appellatur. Felix periculum metuens, in latebras ſe abdit. Fama erat, apud Menſurium Epiſcopum latitare. Is Diaconum producere iuſſus, publicè denegat. Proconſul vim non auſus inferre, rem ad Maxentium defert. Reſcribit Maxentius, vt niſi Felicem diaconum Menſurius prodat, ad ſe ſub idoneâ cuſtodiâ mittatur.

Hîc Menſurius conſilij inops, deque Eccleſiæ theſauro, quem apud ſe reconditum habebat anxius, (conſtabat partim opinor aureâ, partim argenteâ ſupellectile) cùm neque aſportare ſecum poſſet, neque ob temporis anguſtiam humi defodere; tandem Senioribus quibuſdam, quos probos maximè fidoſque habebat, ſub acceptilatione committere, optimum ratus eſt. Id chirographum Matronæ cuidam, ætate & moribus graui commendat: addens vt ſi quid ei accideret humanitùs, aut aliud quod reditum prohiberet; tum ſuo in Cathedrâ ſucceſſori traderet.

Nauigat Menſurius: dictâque cauſsâ redire iuſſus vnde venerat, in itinere moritur. Mors eius, Edictaque Maxentij, quibus Chriſtianis pax & libertas dabatur, ſimul appellunt.

§. VIII.

§. VIII.

Menſurio ſuccedit Cæcilianus.

TAntum gaudium quia ſola Antiſtitis mors nubilabat; Carthaginenſis populus alium popoſcit. Ibi tum Botrus & Celeſius, haud poſtremi Eccleſiæ illius Presbyteri, in ſpem Epiſcopatûs erigi: operam dare vt præteritis Numidis, qui longiùs aberant, vicini tantummodò Præſules vocarentur.

Præſentibus Epiſcopis; totius populi Carthaginenſis ſuffragium, in Cæcilianum, tum Archidiaconum iuit: iſque operante potiſſimùm Felice Aptungitano, ordinatur Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopus: Botro & Celeſio, ſpe vtroque ſuâ fruſtratis. *Optat, l.1.*

§. IX.

Conſpiratio aduerſus Cæcilianum: pernicioſi Schiſmatis origo.

NIhil tum neque in Cæcilianum, neque præſentes Antiſtites, & præſertim Felicem Aptungitanum, habuit vel inuidia quod carperet. *Optat. ibid.* Sed cùm Matrona, quam acceperat à Menſurio ſyngrapham, ſiue Eccleſiaſtici theſauri libellum, Cæciliano attuliſſet: ipſeque depoſitum repoſcit, quod inter ſe partiti auariter ſenes erant; ibi repentè complentes omnia tumultu, non paucos improbè ſubuerſos aut ſubornatos, à Cæciliani communione abduxerunt.

Horum ſe partibus mox adiunxere Botrus & Celeſius, dignitatis Epiſcopalis ambitores: & ne quis ſexus deeſſet; accedit etiam Lucilla femina Hiſpana, nobilis, præpotens, opulenta, ſed non minùs factioſa. *l. 1. cont. Parm. c. 3. l.3. cont. Creſc. c. 28. Epiſt. 162. l. de vnit. Eccl. c. 3. & l. 2. cont. Pet. c. vlt.*

Solebat hæc Euchariſtiam ſumtura, mortui cuiuſdam os hominis

(Martyris fortaſſe, ſed nondum vindicati, vti Optatus loquitur) libare & oſculari. Cuius rei cauſsâ, cùm à Cæciliano Archidiacono ſemel eſſet correpta; pudore & indignatione frendens, diſceſſit, at verò ne diſciplinam ſubiret, ſuperueniens mox perſecutionis tempeſtas impediuit.

Quare eius ignominiæ iniuriæque memor, occaſionem adeſſe exiſtimauit, quâ ſe poſſet vlciſci. Conſpirat cum ceteris in Cæcilianum, ſuoſque omnes ſacrilego ſchiſmate, ab eius communione auellit. *Optat. l.* 1.

Ita tribus perſonis, totidemque cauſſis (putà Seniorum auaritiâ; Botri & Celeſij ambitu; Mulieris iracundiâ & odio) obſtinati ſchiſmatis iacta primùm fundamenta ſunt: *l.* 1. *cont. Parm. c.* 3. & ne ſeceſſiſſe ob nihilum viderentur; comminiſci cauſſas extemplò cœperunt, quibus Cæciliani ordinatio videri haud legitima poſſet.

§. X.

Secundus inuocatus aduerſus Cæcilianum cogit Synodum.

LEgatos igitur cum litteris ad Secundum Numidiæ Primatem, & reliquos illic Epiſcopos mittunt: qui aduerſus Cæcilianum concitatos, Carthaginem euocent. Contrahit propè ſeptuaginta eius regionis Antiſtites Secundus: inter hos, quibus in nupero Cirtenſi Concilio confeſſis traditoribus crimen ignouerat.

Carthaginem appulſi, ab ambitioſis, ab iratis, & iuratis Cæciliani hoſtibus, atque in primis à Lucillâ, pecunioſiſſima factioſiſſimaque feminâ, hoſpitio ſuſcipiuntur. *Optat. l.* 1. *Aug. l.* 1. *cont. Parm. c.* 3. Vt autem Cæcilianum iam in cathedra inuenere firmatum, ac plebis propè totius fauore atque conſenſione tutum; quin & celebriorum per Africam Eccleſiarum, imò & tranſmarinarum, adeoque totius iam orbis communione munitum: viſa res ardua, quidquam aduerſus eum moliri, *Epiſt.* 162.

Reditum itaque cogitantibus pleriſque, inſtare Cæciliani aduerſarij, obteſtari, atque vrgere; neque prius deſiſtere, quàm compulſos

(*l.* 1. *cont.*

(*l.* 1. *cont. Gaud. c.* 37.) in ſuam ſententiam traxiſſent. Quâ in re inſignem operam Lucilla nauauit, quæ irâ femineâ, ceu œſtro percita, odiiſque furialibus aduerſus Cæcilianum incitata, *l.* 3. *cont. Creſc. c.* 28. *& Epiſt.* 162. nihil omiſit, quod ad expugnandos præſentium Epiſcoporum animos faceret: neque priùs quieuit, quàm promiſſo magno auri pondere, non tantummodò Cæciliani depoſitionem, ſed & Maiorini Lectoris, domeſtici ſui, ſurrogationem obtinuiſſet.

Quamquam nec deërant inter Epiſcopos; qui à Cæciliani damnatione non admodum abhorrerent: gnari, quàm odiosè traditionis ſuæ crimen publica fama ventilaret: ſperanteſque ſub vmbraculo reatûs alieni, falſi licet, vulgò ſi non innocentes, aſt ſaltem purgati apparere. *Optat. l.* 1. *Auguſt. Epiſt.* 162. *Pſ. cont. Donatiſt. litt. B.* Non erat quidem frequens horum numerus, neque magna, niſi Secundi ſocietate (qui territus eis pepercerat) auctoritas; ſed qui ſuapte proni, facilè ſunt ſeducti: *Epiſt.* 162. incitante potiſſimùm Donato, Caſis nigris in Numidia Epiſcopo, homine inquieto, & in ſimpulo fluctus excitare valido: quique Cæciliano adhuc diacono, ſchiſma Carthagine ſuſcitarat, quâ de cauſsâ incertum. *hær.* 69. *Collat.* 3. *c.* 12. *l. de Paſtor. c.* 15.

Inerat etiam quibuſdam animi dolor nonnullus, de ſuperbiæ typho deſcendens, quòd ad noui Epiſcopi, atque totius Africæ primi ordinationem vocati non fuiſſent: *Epiſt.* 162. tametſi neque illi, depoſitionis Cæciliani conſilia, opinor, vmquam agitaſſent; niſi auaritiâ cœcatos, Lucillæ munificentia ſubuertiſſet.

Ergo & hoſce cum ceteris, non in Eccleſiâ aliquâ, ſed in diuerſorio Secundus adeſſe iubet. *Opt. l.* 1. Quod vbi populus ſenſit, & Præſulis ſui exauctorationem tentari; cum Clero certatim conuolat ad Eccleſiam: quæ deinde, vt pòſt dicemus, Reſtitutæ nomen accepit. Vbi dum vnà cum Cæciliano rei euentum opperitur; Secundus communi nomine miſſis aliquot ſuorum Epiſcopis, euocat Cæcilianum: ſeque vt Concilio ſiſtat, pro imperio mandat.

Cæcilianus contrà, vt in Eccleſiam ipſi veniant. ibi proferant, ſi quid habuerint: *Optat. l.* 1. paratum ſe ad obiecta reſpondere: nolle deſertâ Eccleſiâ in priuatam ire domum, aut ſe hoſtium iudicio committere. *Conc.* 2. *in Pſ.* 36. Imò vt velit; obſtare plebem, quæ frequentiſſima tum in templum conuenerat. *Epiſt.* 162.

Legatis vltrò citroque ſæpiùs commeantibus, neque auferentibus

T 3 aliud

aliud reſponſum; cùm fortè de ordinationis vitio, verbulo attigiſſent; irridens Cæcilianus, renuntiare iubet, vt, ſi Felicem nihil in ſe contuliſſe putarent; venirent ipſi, & tamquam adhuc diaconum, de integro ordinarent. *Opt. l. 1. Aug. Coll. 3. c. 16.*

Quod vbi auditum in Concilio fuit; parricida Purpurius Limatenſis, ſolito furore ſuccenſus, quaſi & Cæcilianus, ſororis eius filius eſſet; Exeat huc, inquit, & quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatu, quaſſetur illi caput de pœnitentia. *Optat. l. 1.* Concilium vbi ad ſe Cæcilianum exire nolle vidit, veluti in contumacem agere ſtatuit.

§. XI.

Damnatus Cæcilianus, Epiſcopatu deiicitur.

ITaque Secundus, propoſitâ accuſatione, quam aduerſarij ſuggeſſerant, irritam videri Cæciliani ordinationem ait: quòd Epiſcopi qui eum ordinaſſent, traditores in perſecutione fuiſſent: publicis id geſtis doceri poſſe: adeoque ſecundum Eccleſiæ ſiue Canones ſiue conſuetudinem, non licuiſſe talibus Epiſcopalia munia exercere. *Collat. 3. c. 14.*

Hos inter nominatim accuſati ſunt Nouellus Tyzicenſis, & Fauſtinus Tuburbitanus, Proconſularis prouinciæ Epiſcopi: *Collat. 3. c. 14. l. poſt Coll. c. 22.* maximè verò Felix Aptungitanus, ita vt fons malorum omnium diceretur: *Coll. 3. c. 14. l. de vn. bapt. c. 16. Epiſt. 68. l. 3. cont. Creſc. c. 61.* Cæcilianum his communicantem, & benedictionem, manuſque impoſitionem ab eiuſmodi accipientem, tacitâ vtique conſenſione, tanti criminis factum eſſe participem: *l. 1. cont. Parm. c. 3.* qui tamen cùm eſſet Diaconus ſub Menſurio, victum afferri Martyribus in cuſtodiâ conſtitutis, diſertè prohibuiſſet: iſtaque perinde omnia, intolerabili faſtu & arrogantiâ cumulari, dum tot ſpretis Præſulibus, ad eorum prodire conſeſſum, ſæpius licet euocatus, obſtinatè contemſit. *Collat. 3. c. 14.* Quare non ſolùm ob illegitimam ordinationem, Epiſcopum non eſſe; ſed eo Ordine videri indignum: dignum verò qui excommunicatione percuſſus, ab Eccleſiâ veluti anathema expellatur.

Hæc

Hæc vbi nullâ documentorum, aut teſtium fide munita, imò neque adſtante accuſatore, *Pſalm. cont. Donat. litt. F.* perorauit Secundus; pronis omnium auribus & animis excepta ſunt, aſſerentium & Cathedrâ, & Eccleſiæ communione Cæcilianum excidiſſe. *Coll. 3. c. 14.*

Itum porrò ad ſingulorum ſententias, duce Secundo: quas vbi ad extremum conſpiraſſe vidit; eum, vnaque Felicem Aptungitanum, Nouellum Tyzicenſem & Fauſtinum Tuburbitanum, ceteroſque Cæciliani collegas & ordinatores, Eccleſiaſticâ communione, & Epiſcopali dignitate priuatos declarat: ab omnibus idcircò vitandos, & ad humillimum pœnitentiæ locum redigendos.

Et quidem ad perpetuam rei memoriam fuere huius Concilij Acta, iam tum litteris mandata: atque à Donatiſtis exhibita in Romano ſub Melchiade Concilio; & Auguſtini tempore in Collatione Carthaginenſi; ſed quæ deinde haud immeritò perierint. Recitauit ex eis Creſconius Grammaticus, Syluani Cirtenſis in Cæcilianum ſententiam; quam tamen Auguſtinus præteriuit, Creſconij argumentum ex eâ refellere contentus: *l. 3. cont. Creſc. c. 27.* exſtatque adhuc Martiani cuiuſdam, his verbis expreſſa: In Euangelio ſuo Dominus ait, Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola: omnem palmitem in me non afferentem fructum, excidet & proiiciet: & omnem manentem in me & fructum ferentem, purgat illum. Sicut ergo palmites infructuoſi, amputati proiiciuntur; ita thurificati, traditores, & qui in ſchiſmate à traditoribus ordinantur, manere in Eccleſia Dei non poſſunt, niſi cognito vlulatu ſuo, per pœnitentiam reconcilientur. Vnde Cæciliano in ſchiſmate à Traditoribus ordinato, non communicare oportet. *l. cont. Fulgent. c. 26.*

§. XII.

Synodi prætermiſſa vitia.

EVadit autem ex hiſce manifeſtum, quàm non pacis ſiue vnitatis ſtudio, ſed criminis eiuſdem conſcientiâ territus, præſentibus confeſſiſque traditoribus, in Cirtenſi Concilio Secundus ignouerit; quando hic, vbi maius erat diſſenſionis & ſchiſmatis periculum, tam nullâ

nullâ pacis habitâ ratione, abſentes, inauditos (tantum abeſt vt conuictos) adeoque innocentes, maximâ temeritate damnauit. Quod perinde amplificat Auguſtinus, *Epiſt. 162.* attingit, *libro 3. cont. Creſcon. c. 28.*

Si quidem aduerſus incognita ſibi crimina, neç diſcuſſa neque conuicta, nullâ denique iudicij formâ ſeruatâ proceſſerunt: quod Ego vobis, inquit Auguſtinus, oſtendam: Attendite cauſſam Felicis Aptungitani, & primò legite quàm vehementiores in eum fuerunt. Sic ergo & ceterorum cauſſam nouerant, ſicut huius, qui poſtea innocentiſſimus, diligenti & terribili inquiſitione probatus eſt. Quantò itaque iuſtiùs, & tutiùs, & citiùs innocentes eos exiſtimare debemus; quorum crimina ab iſtis leuiùs accuſata ſunt, & parciore reprehenſione damnata: quando ille inuentus eſt innocens, in quem multò immaniùs ſæuierunt? *Epiſt. 162.*

§. XIII.

Cæciliano Maiorinus ſufficitur: ſicq; Altare contra Altare erigitur.

VBi totius Concilij decreto damnatus, & Epiſcopatu deiectus Cæcilianus eſt, inſtante & vrgente largitionibus Lucillâ; Maiorinus domeſticus eius, vnus è Lectorum ibi numero ſufficitur, & imponente potiſſimum manus Secundo, ordinatur Carthaginenſis Epiſcopus. *Opt. l. 1. Aug. l. de vnit. Eccl. c. 18. l. 3. cont. Creſcon. cap. 29.* Atque ita tum homines improbi, ac veri nominis traditores, dum præcipitato iudicio, innocentes atque inauditos condemnant; ſacrilegâ ſeceſſione Chriſti corpus lacerarunt: diſſciſsâque Eccleſiæ vnitate, erexerunt Altare contra Altare, Cathedram contra Cathedram, Epiſcopum contra Epiſcopum: *Opt. l. 1. Aug. Epiſt. 162.*

Subiret equidem mirari haud mediocriter tantam impudentiam, „ niſi Optatus impreſsè prohiberet, dum ait: Frequenter ſolet erubeſci de crimine, ſed illo tempore non fuit cui erubeſceretur: quia „ præter paucos Catholicos, peccauerant vniuerſi, & quòd imago fue- „ rat innocentiæ, inter multos nefas admiſſum. Paruum erat traditio-

nis

nis facinus, quod per Donatum Maſculitanum, & ceteros ſupradictos conſtabat admiſſum; etiam ingens flagitium ſchiſmatis, traditioni iunxerunt. *Optat. lib.* 1.

§. XIV.

Schiſma inchoatum propagatur.

SOluto Concilio, adhuc Carthagine poſiti, præceſſerunt ſe epiſtolis ſuis, quas Synodales vulgò vocant, ad omnes Africæ Eccleſias liuore dictante conſcriptas: quibus indubiè, vniuerſa quæ geſta fuerant complexi; criminibus, quorum ipſi erant rei, Cæcilianum ſociosque decolorarunt: eo fine, vt & infamiam ſuam in ſilentium mitterent, & alios exauctoraſſe videri iuſtiſſimè poſſent. *Opt. l.* 1. *Aug. l. de vnit. Eccl. c.* 25. *Epiſt.* 162.

Epiſcopi, Eccleſiæque procul poſitæ, fidem litteris extemplò commodantes, ratam Cæciliani damnationem, & Maiorini ſurrogationem habuerunt. Saluâ enim conſcientiâ, litteris Concilij crediderant: neque enim ab hominibus, de aliis hominibus, aliquid incredibile dicebatur. Sed poſteaquam illi furioſam pertinaciam, vſque ad diſſenſionem ſacrilegam contra totum orbem Chriſtianum contentione obſtinatiſſimâ perduxerunt; atque innotuit bonis fidelibus, quos à Cæciliano alienauerat falſa criminatio; viderunt ſe, ſi in illâ communione perſiſterent, non iam de quodam homine, vel de quibuſdam hominibus, ſed de Eccleſiâ toto terrarum orbe diffusâ, prauum habere iudicium: adeoque maluerunt Chriſti Euangelio, quàm Collegarum Concilio credere.

Itaque illis relictis, mox ad Catholicam pacem multi & Epiſcopi, & Clerici, & populi redierunt. Nonnulli etiam bonæ voluntatis, per carnalem caliginem, etiam poſt confirmatum contra Eccleſiam Dei malignorum furorem, in illâ diſſenſione diutius errauerunt. Quidam quoque & apertiſſimæ veritati, malo ſtudio contradixerunt. *l. de vnit. Eccl. c.* 25.

Quare hi, Carthaginenſe exemplum ſecuti, dum ad Cæciliani communionem Epiſcopi redeunt, alios, qui Maiorini partes ſectarentur,

rentur, in ſuis vrbibus Epiſcopos elegerunt, & multò maximè ſchiſma propagarunt. Iam enim hâc animorum diſſenſione factum eſt vt in omnibus propè ciuitatibus Epiſcopi geminarentur: quorum alij Maioriſtæ, ſiue, pars Maiorini; alij Cæcilianiſtæ dicebantur. Sed hi, partis nuncupationem abhorrentes; non aliud, quàm Catholici dici, & eſſe voluerunt: vt eis idcircò hoc nomen peculiare propriumque manſerit.

Denique vt nihil ad ſummam ſeceſſionis deeſſet, nouas etiam Baſilicas exſtruere cœperunt, & ſeparatis conuenticulis orare. *Optat.l.3.* In hoc Carthaginenſes præiuere ceteris. Nam cùm Cæcilianum totius plebis, vt diximus, ſtudio communitum, Baſilicâ ſuâ exturbare poſſe deſperarent; procurantibus Numidis, maximèque Donato Caſenſi, impenſas autem (vt ſimile vero eſt) ſuppeditante Lucillâ; amplam ſibi Baſilicam erexerunt: quod ceteri mox alibi ſecuti.

Atque hic ſeditioſi turbulentique apud Carthaginem Concilij (vti Auguſtinus appellat, *l. de vnit. Eccl. c. 25.*) finis exituſque fuit.

§. XV.

Contra Schiſmaticos Cæcilianus ſe tuetur.

SEd neque interea rebus ſuis Cæcilianus indormit. Quapropter & ipſe ad Africanas pleraſque Eccleſias, quas aduerſus eiuſcemodi calumnias, robuſtiores norat, litteras mittit, *l.1. cont.Parm.c.3.* quibus hoſtium ſuorum impudentiam aperit: oratque ne ſuam priùs communionem deſerant, quàm ſint redditi omnium certiores: paratum enim ſe, ad ea quæ obiecta ſunt reſpondere.

Eodem argumento ſcribit ad Romanum Pontificem: ad vicinas Hiſpanias, ac præſertim Hoſium Cordubenſem Epiſcopum, celebrem tum famâ virum. His ij litteris moti, in Cæciliani communione permanſerunt: eiuſque rei teſtes, reciprocè ad illum, non ad Maiorinum miſerunt. *Epiſt. 162.*

§. XVI.

Schiſmatici, cùm Pontificem Romanum ſeducere non poſſunt, quemdam ibi è ſuis Præſulem ſtatuunt.

POrrò aduerſarij hoc Cæcilianum facturum ſubodorati, anteuertere ſtatuerant: atque in primis Romanum Pontificem ſuarum partium facere, antequam Concilium diſſoluerent. Sed quia cornicum oculos Cæcilianus confixerat, eorumque fraudem ſuâ iam ſollertiâ præuenerat; quoſcumque illi ſtudere comperiſſent, Cathedris ſuis excutere decreuerunt, æmulaſque erigere, vti iam Carthagine fecerant.

Ac primùm in Lucillæ poſſeſſiones, quas in Hiſpania obtinebat ampliſſimas, miſſus ex Africâ quiſpiam eſt, qui colonis illic eius mancipiiſque Epiſcopus præeſſet. *l. 2. cont. Pet. c. vlt. l. de vnit. Eccl. c. 3.* Iuſſique omnes, Maiorini, quem ignorabant, communionem amplecti. Cui deinde mortuo, alium poſt alium, multis annis ſucceſſorem dedére.

Romam verò miſſis initio furtim interuentoribus quibuſdam, *l. de vn. bapt. c. 16.* qui Afris ibi pauciſſimis (quos circumuentos, ſuos fecerant) patrocinarentur; tandem Epiſcopum etiam petentibus ſubmiſere Victorem Garbienſem: *Opt. l. 2.* qui Cirtenſi Concilio nuper, & Carthaginenſi iam interfuerat, non poſtremus aut ſegnis ſchiſmatis adiutor. Viſa enim bella idoneaque res, in vrbe totius orbis principe, partis ſuæ Cathedram habere: quâ nimirum viderentur Romanæ Apoſtolicæque Sedi communicare. Maximi id eſſe momentí, & phalerarum inſtar ad populum.

Garbienſis ergo in Vrbem vt venit; præter pauciſſimos, vt dixi, Afros, atque adhuc erraticos, nec gregem ibi, neque caulam habuit. Optati verba ſunt: Erat ibi filius ſine patre, tyro ſine principe, diſcipulus ſine magiſtro, ſequens ſine antecedente, inquilinus ſine domo, hoſpes ſine hoſpitio, paſtor ſine grege, Epiſcopus ſine populo. Neque

enim grex aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta & quod excurrit Baſilicas, locum Romæ vbi colligerent non habebant. *Opt. l.* 2.

Quare cùm intra mœnia templum nouo Epiſcopo nullum eſſet; neceſſarium habuit, ſpeluncam quandam in monte extra vrbem, ſepto communire, ibique conuenticula agere. Hinc dicti Montenſes: *Opt. l.* 2. Quo nomine Romæ notiores, quàm partis Maiorini, aut, quod poſtea ſunt appellati, Donatiſtæ, Auguſtinus ait, *hær.* 69. Nonnulli eos, ſimili ad campum alluſione, Campates & Campenſes dixerunt: *Hieron. cont. Lucifer.* alij à Rupe, Rupitas ſiue Rupitanos. *Epiſt.* 165. *l. de vnit. Eccl. c.* 3.

Ad hunc modum habere Donatiſtarum præſules Roma cœpit, ſed pauculos, neque niſi ex Africâ miſſos. Defuncto Victori, datus ſucceſſor Bonifacius Ballitanus: hinc Encolpius: deinde Macrobius, cuius Gennadius meminit *l. de Script. Eccl. c.* 5. poſt hunc Lucianus: ſextus denique Claudianus. Tot enim ad ſua tempora Optatus enumerat, *l.* 2. Auguſtinus contra Petilianum ſcribens, ait eum libro ſuo De vnico baptiſmo, quem ſibi refellendum ſumit, Interuentorum ad id vſque tempus, catalogum perduxiſſe; *l. de vn. bapt. c.* 16. ſed qui, quotque fuerint, haud repetit.

Sanè horum Antiſtitum poſtremum fuiſſe Felicem, ex Actis Collationis Carthaginenſis docet Franc. Balduinus: qui Romanæ Vrbis cladem fugiens, Collationi ſuperuenit, cui ſe ambitioſè ingerere conatus eſt. Atque hic Donatiſtarum Romæ finis: neque diſſimilis in Hiſpaniâ, vbi ceſſiſſe irruentibus Vandalis, & in Africam rediiſſe, certò crediderim. Verùm hæc poſtea euenerunt.

Vt verbo abſoluam, rebus omnibus ex animi ſententia confectis, probeque inſtituto ſchiſmate; Numidæ Carthagine diſcedunt, multo auro graues, quod in omnium bulgas Lucilla liberaliter effuderat.

§. XVII.

§. XVII.

Donatus à Caſis nigris, exſculptum ſchiſma polit & perficit.

DOmi poſiti, totâ cogitatione vigilarunt, vt ſponſam quam foras eduxerant, ſpecioſiſſimam facerent. Incubuit in hoc præ ceteris Donatus Caſenſis, ſchiſmatis totius princeps atque architectus.

Et primò, vt videri illegitima Çæciliani ordinatio poſſet; legem, ſiue habito Concilio fecerunt, ſiue imperante conſuetudine eſſe dixerunt, vt Africanarum regionum principes Epiſcopi, ab aliis eiuſdem gentis principibus ordinarentur. *Collat.* 3. *c.* 16. In hanc perinde Cæcilianum impegiſſe.

Porrò autem vt Felicem Aptungitanum, qui Cæciliani ordinationi præfuerat, traditionis reum peragerent; Acta quædam publica, Ingentio cuiuſdam loci ſcribâ corrupto, qui ad epiſtolam Cæciliani, (alicuius ibi de Magiſtratu) non pauca adiecerat, adulterarunt: quæ poſtea falſitas in iudicio deprehenſa eſt, vt dicemus infrà.

Iam verò vt ne vacillarent quæ Cæcilianus ipſe patraſſe debuerat, putà ſiue negaſſe, ſiue exhiberi vetuiſſe Martyribus in cuſtodia cibum; diligenter aſſeruandas putarunt quaſdam Menſurij litteras ad Secundum Tigiſitanum, quibus id confici non obſcurè exiſtimabant. Quod vt tantò probabilius euaderet, Cæcilianum Menſuriumque Traditores eſſe dixerunt, infectis hoc fine Martyrum geſtis, Saturnini, Datiui, Felicis, Ampelij & aliorum, qui ſub Anulino Proconſule Carthagine paſſi fuerant: in quibus Traditores ambo fuiſſe memorantur, inducitúrque Cæcilianus, Menſurij iuſſu carceris obſidere fores, & impedire ne quod humanitatis officium detentis Martyribus inferretur. Exſtant hæc Acta cum Optato nouiſſimè edita.

Quin etiam fingere aliquando non dubitarunt, ſe Carthagine exiſtentes, cùm cogitarent culpam Cæciliani, ne ſchiſma fieret, quoquo modo velle ſopire; dediſſe quemdam Interuentorem populo ſuæ communionis apud Carthaginem conſtituto, antequam Maiorinus aduerſus Cæcilianum ordinaretur: hunc verò Interuentorem ab eis

qui Cæciliano fauebant, in ſuo conuenticulo occiſum: *Epiſt.* 163. Cupientes nimirum non plebem tantummodò, ſed etiam Cæcilianum, violentiæ & effuſi ſanguinis infamiâ aſpergere, atque ita omnem à ſe inchoati ſchiſmatis inuidiam amoliri.

Has fabulas vt populo placere vidit Donatus Caſenſis; hæreſin repentè ſchiſmati coniunxit. Gerebat animo errorem, quem fundarat Agrippinus, firmauerat Cyprianus: iterari ea Sacramenta debere, quæ tum hæretici, tum ſchiſmatici contuliſſent. Quare cùm Cæcilianum, eique communione coniunctos, ab Eccleſiâ ſubmouiſſet; haud difficulter obtinuit, vt quodcumque Sacramentum dediſſent, irritum haberetur & inane. Hinc quotquot à Catholicis abducere potuit, & ſuos facere; denuò baptizabat, Chriſmate vngebat, Ordinabat. Vtrùm ex communi ſuorum, an priuatâ ſolummodò opinione, incertum. Satis conſtat vniuerſam Maiorini partem non id ſtatim ab initio amplexam, imò corrigere voluiſſe.

§. XVIII.

Alterum Schiſmaticorum Concilium frequentiſſimum.

Anno 308. ETenim firmatis iam vtcumque rebus, alterum Carthagine Concilium egit, longè frequentiſſimum: in quo fuerunt (vt ex Commentariis Tichonij Donatiſtæ Auguſtinus refert) ducenti ſeptuaginta Epiſcopi: habitumque ait quadrageſimo anno ante tempora Macariana, id eſt anno Chriſti CCC. VIII. *Epiſt.* 48. Nam quid in eo ſit geſtum, ſubdit ex eodem Tichonio: Videlicet per ſeptuaginta & quinque dies, poſtpoſitis omnibus præteritis, limatam eſſe ſententiam, atque decretum, vt Traditoribus immenſi criminis reis, ſi baptizari nollent, pro integris communicaretur. Deuterium etiam Macrinenſem Epiſcopum Communionis veſtræ, dicit Traditorum plebem congregatam Eccleſiæ miſcuiſſe: & ſecundùm ſtatuta illius Concilij à ducentis & ſeptuaginta Epiſcopis veſtris facti, feciſſe cum Traditoribus vnitatem: eique Deuterio poſt hoc factum, iugiter communicaſſe Donatum: Nec ſolùm huic Deuterio; ſed etiam vniuerſis

vniuerſis Maurorum Epiſcopis, per quadraginta Annos: quos dicit vſque ad perſecutionem pet Macarium factam, Traditoribus ſine baptiſmo communicaſſe. *Ita Auguſt. ex Ticbon. Epiſt.* 48.

Quidquid ſit, non inhæſerunt hiſce decretis poſteriores Donatiſtæ: ſed Sacramenta à Catholicis collata ſtrenuè obſtinateque iterarunt, priuſquam eis miſcerentur: vt hinc factum videatur, quod huius Concilij tametſi celeberrimi, numquam vel leuiter mentionem iniecerint, quin potiùs voluerint penitus eſſe ſepultum; vbi contrà, primum illud à ſe Carthagine habitum, ſæpenumero produxerunt, tamquam aliquod ſuæ ſectæ Palladium.

CAPVT II.

CONSTANTINVS IMPERATOR CAVSAM CÆCILIANI ET DONATI COGNOSCIT.

§. I.

Maxentij cædes.

INterea Romani, Maxentij tyrannidem ac flagitia pertæſi (qui & toti Africæ adeò grauis incubuerat infinitis oneribus exactionibuſque, vt eam funditùs perdere ac delere voluiſſe, non fruſtrà ſit dictus; *Nazar. in Panegyr. Conſtant.*) occultis nuntiis ad liberandam rempublicam, Conſtantinum, in Galliis quintum Imperi ſui annum agentem, inuitant. Annis 311. & 312.

Is hanc in rem per ſe pridem intentus, bellum contra Maxentium libens ſuſcipit: & Crucis Chriſti cælitùs oſtenſæ præſidio, terna ipſius per Italiam caſtra, biennij ſpatio vbi profligarat; eum Româ progreſſum, fundit tandem fugatque.

Igitur Maxentius dum ſe in vrbem, veluti in tutiſſimam arcem recipere cogitat, victoriſque manus euadere; in caſſes incidit, quos hoſti

hoſti tetenderat. Ponte ſiquidem, quem ex iunctis lintribus paullò ſuprà Miluium fecerat, ſoluto, lapſu equi in gurgitem demerſus, cumque thoracis pondere grauaretur, limo & vligine hauſtus eſt. Cadauer ægrè repertum.

Conſtantinus Romam triumphans ingreditur, reciſumque Maxentij caput, ac pilo impoſitum, per vrbem circumfertur. Quod deinde Imperatoris iuſſu in Africam, ad eam permulcendam, tranſmiſſum eſt: vt, quam maximè viuus afflixerat, laceratus expleret. *Nazar. in Panegyr.*

§. II.

Pax & libertas data Chriſtianis.

CONſtantinus mox ad Rempublicam componendam, & afflictiſſimam Chriſtianorum cauſſam erigendam conuerſus, tum ſuâ tum Licinij auctoritate (quem datâ ſorore in vxorem, affinitate ſibi iungere cœperat) legem pro Chriſtianis edit: quâ, reſciſſis priorum aduerſus eos Imperatorum edictis, plenam exercendæ ſuæ religionis libertatem, ac quæcumque ſiue priuatim ſiue publicè erepta hoc nomine fuerant, reſtitui iubet.

Ad hæc litteras ad Maximinum, barbarâ crudelitate per Orientem in Chriſtianos graſſantem ſcribit, quibus extinctum Chriſti ope Maxentium, & quæ deinde ſecuta ſunt, ſignificat: in primis autem beneuolum, quem gerat erga Chriſtianos animum: hunc vt ſequatur, vehementer ſe optare.

Certè Maximinus haud obloqui auſus, perſecutionem ſiſtit. At verò his minimè contentus Imperator, euerſas paſſim Baſilicas, propriis etiam ſumptibus inſtaurat: eò mox prouectus, vt Sacrorum miniſtris totique Clero, æternâ lege immunitatem ſanciret.

§. III.

§. III.

Conſtantini litteræ, & liberalitas erga Cæcilianum.

VErùm, cùm non ſufficeret piiſſimo Imperatori ſolis eiuſcemodi edictis beneuolentiam teſtari: magnam inſuper pecuniæ vim in varias Eccleſiæ pauperumque neceſſitates diſtribuendam, Epiſcopis direxit.

Neque ſanè Africam prætereundam putauit, quam, ob res illic antea perturbatiſſimas, ſingulari ſtudio procuraſſe, colligi haud obſcuris argumentis poteſt. Quapropter ſcribit ad Anulinum Proconſulem, lataſque à ſe leges mittit, iubetque ſeruari: item ad Cæcilianum, cui magnum auri pondus, ad vſu Eſcleſiæ deſtinat. Hoc ſi nondum ſufficiat, mandat, vt à poſſeſſionum ſuarum procuratore, quantumlibet voluerit vltrà expoſcat: ſimulque admonet, vt ſi quis ab Eccleſiâ populum eius auertere conetur; ad Proconſulem & Vicarium Præfectorum deferat, quibus præſentibus iniunxerit, vt eiuſmodi homines cohibeant compeſcantque.

Quibus Donatiſtas haud dubiè perſtringit: de quorum factione audiſſe iam aliquid ab Oſio poterat, quem cum nonnullis aliis Epiſcopis adeò habebat præſentem, vt abſque illius conſilio, in Eccleſiaſticis præſertim cauſſis, nihil agitaret.

Et licet alias complures Conſtantini litteras, Chriſtianorum res ſpectantes, recitet Euſebius; tum verò vnam alteramque hîc exhibere voluimus, lucem non exiguam toti hiſtoriæ allaturas.

Conſtantinus Auguſtus, Anulino Proconſuli Africæ.

Salue Anuline, nobis cumprimis obſeruande. QVONIAM multis ar- "
gumentis conſtat Religionem, in quâ ſumus, & perfectus cultus ſa- "
croſanctæ & cæleſti Dei potentiæ debitus omninò conſiſtit, negle- "
ctam & contemtam, magna pericula attuliſſe: eandemque ſanctè au- "
guſtèque obſeruatam, tum maximam Romano nomini ac ſplendori "
proſperitatem, tum eximiam omnibus hominum rebus felicitatem, "

 diuinâ "

,, diuinâ beneficentiâ illud largiente, apportaſſe: Viſum eſt, vt illi homines, qui debitâ cum ſanctimoniâ, & aſſiduâ legis diuinæ obſeruatione, ſua miniſteria huic diuinæ religioni excolendæ impertiunt, Anuline honoratiſſime, pro laboribus ſuis digna præmia reportent. Quare eos qui in Prouinciâ tuæ fidei concreditâ, in Eccleſia Catholica, cui Cæcilianus præeſt, huic ſanctæ religioni ſedulò inſeruiunt (quos Clericos nominare ſolent) ab omnibus omninò communibus & ciuilibus rerum publicarum miniſteriis immunes & ſolutos volo: vt nullo modo per errorem, vel per ſacrilegam & profanam prolapſionem, quæ in eiuſmodi negotiis accidere ſolent, à cultu Diuinæ Maieſtati debito abſtrahantur, ſed abſque vlla moleſtiâ, propriæ legi obſequium præſtent. Qui quidem cùm ſacrum Numen ſummo honore & veneratione proſequantur; incredibile eſt quantum reipublicæ adiumenti videantur allaturi. Vale Anuline venerande. *Euſeb. l.10. Hiſt. c.7.*

Conſtantinus Auguſtus, Cæciliano Epiſcopo Carthaginenſi, ſalutem.

,, QVONIAM viſum eſt nobis, per omnes Prouincias Africæ, Numidiæ & Mauritaniæ, certis quibuſdam legitimæ & ſanctiſſimæ Religionis Catholicæ miniſtris, in ſumtus communes aliquid ſuppeditare; litteras ad Vrſum virum Nobiliſſimum, Quæſtorem noſtrum in Africâ dedi, & ei ſignificaui vt tria millia φόλεις, tuæ grauitati numeranda curaret. Tu igitur quando prædictam pecuniæ ſummam recipiendam curaueris; omnibus qui in ſchedâ ad te ab Oſio miſſâ antè ſcripti ſunt, has pecunias diſpertiri iubeto Quod ſi aliquid ad iſtud meum in hac re erga omnes hos inſtitutum cumulatè explendum deeſſe animaduertas; ab Heraclidâ noſtrarum poſſeſſionum procuratore, audacter & abſque hæſitatione, quod neceſſarium fore putaueris, poſtules velim. Nam illi coràm imperaui, vt ſi quid pecuniæ tua Grauitas ab eo peteret; abſque dubitatione vlla tibi numerandum curaret.

,, Et quoniam accepi quoſdam homines, non animo ſatis rectè compoſito & conſtituto, populum à ſanctiſſima & Catholica Eccleſia, malâ & pernicioſâ corruptelâ velle auertere; ſcias velim me Anulino Proconſuli, quin etiam Patritio Præfectorum Vicario, cùm præſtò

apud

apud me eſſent, talia mandata dediſſe, vt, cùm in reliquis omnibus, «
tum in hoc maximè curam diligentem ponerent, & rem eiuſmodi ſi «
fortè acciderit, nullo modo negligerent. Quapropter ſi quos ho- «
mines in eo furore & amentiâ inhæreſcere perſpicias, abiectâ omni «
cunctatione, Iudices quos dixi, adito, & hoc idem illis referto, vt «
illi in hos, ſicut coràm mandaui, animaduertant. Dei Optimi Maxi- «
mi numen te in multos annos conſeruet. *Euſeb. l.10. c.6.* «

Eſt autem φόλις vel follis, cuius Conſtantinus meminit, certæ pecuniæ menſura & modus, quemadmodum Talentum, Libra, Marca, vt videre eſt apud Suidam, Epiphanium & alios. Ex quibus præterea apparet, triplicis generis fuiſſe *Folles*, aureos, argenteos, æreos. Vt verò hoc loco intelligantur aurei, à Conſtantino donati Cæciliano, nec non à Lucillâ in Carthaginenſi Synodo, Epiſcopis; ita argentei eſſe videntur, de quibus *l. 111. Cod. Theodoſ. de Suariis*, quæ porcinæ pretium in ſingulas libras, ſenis follibus definit: vt hi planè coincidere videantur cum ſtuferis ſiue aſſibus noſtratibus: ærei denique, de quibus Auguſtinus *l. 22. de Ciuit. Dei c. 8.* vbi pauper quidam ad memoriam viginti Martyrum pro veſte deprecatus, piſcem, quem fôrs pelagus eiecerat, vendidit trecentis follibus: quo, annulique in piſce reperti pretio, lanam futuræ veſti comparauit. Alij follem, pro ſacculo accipiunt, certam pecuniæ ſummam continente: vt ſinguli nimirum folles, ſinguli ſint ſacculi: horum verò ſinguli, certas deſignataſque ſummas in numerato habeant. Quomodo fortaſſe intelligendi ſunt auctores, qui follem, pecuniæ menſuram & modum eſſe dicunt.

§. IV.

Erumpunt Schiſmaticorum odia.

CONſtantinus rebus per Italiam & Africam compoſitis, acceptoque Germanici tumultûs ad Rhenum nuntio; eodem quo venerat impetu in Barbaros mouit: prolaturus Imperium, vt ait Panegyriſta, à Tuſco Albulâ, ad Germanicum Albim.

Anulinus interim viſis Conſtantini litteris, quod in mandatis ha- Anno 313.

 bebat,

hebat, exſequitur, & ſuas Cæciliano porrigit. Simul atque eliminatum eſt earum argumentum; Cæciliano, vti par eſt credere, Imperatoris pietatem ac munificentiam, eiuſque erga ſe ſtudium & fauorem deprædicante, grauiter exarſere aduerſarij: dolentes Cæcilianum ſibi præferri, eiuſque potiùs, quàm ſuorum communionem, à Conſtantino honorari. Quare cùm frenderent non obſcurè, de Cæciliano accuſando conſilium capiunt: ſperantes videlicet falſis rumoribus, temporum iam diuturnitate firmatis, famæ ſibi vetuſtatem patrocinaturam, illi præiudicaturam. *Epiſt. 162.*

§. V.

Schiſmatici Proconſulem implorant.

ADiunctâ ſibi non exiguâ plebis ſuæ, atque honoratorum aliquantulâ turbâ, Proconſulem adeunt: Cæcilianum in multis accuſant, ob quæ nuper in Carthaginenſi Concilio, Epiſcopatu ſit deiectus, quamquam eum per vim tenere pergat: pacem idcircò cum eo habere non poſſe.

Offerunt binos libellos. Quorum alter, qui crimina Cæciliani continebat, in alutâ, ſubſcriptus ita: Libellus Eccleſiæ Catholicæ criminum Cæciliani, traditus à parte Maiorini. Alius ſine ſigillo, cohærens eidem alutæ, datus die decimoſeptimo Kalendas Maias, Conſtantino Aug. III. Coſ. *Epiſt. 68.* quo Imperatoris ſuper hâc re iudicium poſtulant.

Poſterioris ſuperſunt hæc, quæ Optatus recitat, extrema verba:
„ Rogamus te, ô Conſtantine, optime Imperator, quoniam de genere
„ iuſto es, cuius Pater inter ceteros Imperatores perſecutionem non
„ exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia: (nam in Africâ in-
„ ter nos & ceteros Epiſcopos, contentiones ſunt.) Petimus, vt de
„ Galliâ nobis iudices dari præcipiat Pietas tua. Datæ à Luciano,
„ Digno, Naſſutio, Capitone, Fidentio, & ceteris Epiſcopis partis Do-
„ nati. *Optat. l. 1.*

Anulinus Donatiſtis fortaſſe, quàm Catholicis æquior, Ethnicus quippe & Chriſtianorum illîc paullo antè acerrimus perſecutor, Libellos

bellos ſuſcepit, cumque litteris ſuis Imperatori tranſmiſit, deferentibus, vt apparet, memoratis Donatiſtarum Epiſcopis. *l. 1. cont. Parm. c. 9.* Relationis huius exemplar exſtat apud Auguſtinum, quod quia plurimum lucis rebus præſentibus allaturum eſt, operæ pretium fuerit exhibere.

Anulinus Proconſul Africæ.

SCRIPTA cæleſtia Maieſtatis veſtræ, accepta atque adorata, Cæciliano & his qui ſub eo agunt, quique Clerici appellantur, deuotio paruitatis meæ inſinuare curauit: eoſdemque hortata eſt, vt Vnitate conſenſu omnium factâ, cùm omni omninò munere indulgentiâ Maieſtatis veſtræ, liberati eſſe videantur Catholici; cuſtoditâ ſanctitate legis, debitâ reuerentiâ diuinis rebus inſeruiant. Verùm poſt paucos dies, exſtiterunt quidam adunatâ ſecum populi multitudine, qui Cæciliano contradicendum putarent, quique faſciculum in alutâ ſignatum, & libellum ſine ſigno obtulerunt dicationi meæ, atque impendiò poſtularunt, vt ad ſacrum & venerabilem Comitatum nominis veſtri dirigerem: quæ manente Cæciliano in ſtatu ſuo, ſubiectis eorumdem actis, quò cuncta Maieſtas veſtra poſſit dignoſcere, paruitas mea dirigere curauit *Epiſt.* 68.

§. VI.

Conſtantinus Melchiadi Papæ cauſſam Cæciliani committit.

Legati in caſtra venientes, vt primùm ad Imperatoris conſpectum admiſſi ſunt, legationis ſuæ cauſſam expoſuerunt, litteris Proconſulis, vnà cum libellis ſupplicibus, porrectis. Quos vbi perlegit Imperator, Chriſtianiſſimâ voce, ad legatos ait: Petitis à me in ſæculo iudicium, cùm ego ipſe Chriſti iudicium exſpectem. *Optat. lib. 1.*

Quamobrem non auſus ipſe iudicare; Epiſcopale negotium Epiſcopis, vt competentibus legitimiſque Iudicibus, committendum exiſtimauit. Et quamquam Gallicanos illi petiiſſent; attamen videtur

iam tum intellexiſſe Conſtantinus, ad cuius maximè tribunal materia pertineret: quam perinde ad Melchiadem, Romanæ Eccleſiæ eâ tempeſtate Pontificem, per litteras tranſmiſit: iubens vt partes inter ipſe cognoſcat & iudicet, litemque componat. *Epiſt. 166.*

Nè nihil autem Schiſmaticis conceſſiſſe videretur; tres illius ætatis celeberrimos euocat è Galliâ viros, Maternum Agrippinenſem, Rheticium Auguſtodunenſem, & Marinum Arelatenſem Epiſcopos, vt Melchiadi hac in cauſsâ cognituro & iudicaturo adſideant. *Opt. l. 1.*

Hæc dum aguntur, nouæ ab Anulino Proconſule litteræ ſuperueniunt, quibus ſignificat diſſidia magis indies gliſcere: adeoque opus eſſe formâ legitimi iudicij, quâ præſentes ſint & actor & reus, omni quidem morâ poſtpoſitâ: ſicut & neceſſitas Eccleſiæ exigebat.

Litteras itaque Conſtantinus ad Anulinum in Africâ ſcribit, vt Cæcilianum & accuſatores eius, Romam tranſire iubeat, adſcitis vtrimque, quos vtraque pars oportunos ſibi putauerit denis Epiſcopis, aliiſque ad cauſſam neceſſariis: addens, vt ſtato die, coram eius Vrbis Epiſcopo, controuerſia quæ inter ipſos eſt, & audiatur & finiatur.

Eos Anulinus conuentos (cùm datos Iudices recuſare Donatiſtæ nulli auderent) quod iuſſerat, Imperatori, facturos reſpondit. *Collat. 3. c. 12.* Sed præter Cæciliani & Donati Caſenſis, nomina ceterorum ignorantur. Conſtantini Epiſtola ad Melchiadem ſic habet.

Conſtantinus Auguſtus Melchiadi Epiſcopo Romano, Salutem.

„ QVONIAM eiuſmodi litteræ complures, ab Anulino clariſſimo „ Africæ Proconſule ad me miſſæ ſunt, in quibus conſtat Cæcilianum „ Epiſcopum ciuitatis Carthaginenſium à quibuſdam collegis ſuis in „ Africâ ordinatis Epiſcopis, multis de rebus in crimen vocari: & illud „ mihi permoleſtum videtur, vt in his prouinciis, quas diuina proui- „ dentia vltrò ac ſua ſponte ſub meum ſubiunxerit Imperium, & in „ illis locis in quibus crebra hominum frequentia verſatur, non modò „ multitudo ad deteriora deflectat & diſtrahatur diſſidiis, ſed Epiſcopi „ etiam diſcordiam inter ſe ipſi exerceant; Viſum eſt mihi, vt idem Cæcilianus,

cilianus, cum decem Epiſcopis, qui illum reum facere videantur, & «
decem aliis quos ipſe ſuæ litis diiudicationi neceſſarios exiſtimauerit, «
Romam nauigio traiiciat: vt ibi coràm vobis, & Rheticio etiam, & «
Materno & Marino collegis veſtris, quos eâ de cauſſa Romam ma- «
turare iuſſerim, poſſit audiri, ſicut ſanctiſſima Dei lex, vt noſtis, po- «
ſtulat. Atque vt de omnibus hiſce pleniſſimam, accuratiſſimamque «
notitiam poſſitis habere; exemplaria litterarum ad me ab Anulino «
miſſarum, litteris meis ſubſcripta, aduerſus prædictos collegas miſi: «
quas cùm veſtra Grauitas perlegerit, exquiſitè ponderabit quo mo «
do, quâuè ratione lis illa, quam ſuprà diximus, diligentiſſimè rectiſ- «
ſimèque dirimatur, & ex iuris præſcripto tandem aliquando abſol- «
uatur: quandoquidem illud veſtrum ſtudium minimè latet, me tan- «
tam reuerentiam ſanctæ & Catholicæ Eccleſiæ tribuere; vt velim «
eos nullum generare ſchiſma, nullam diſcordiam vllo in loco omni- «
nò relinquere. Summa magni Dei Maieſtas, vos, honoratiſſimi viri, «
multos annos conſeruet. *Euſeb. l. 10. c. 5.* «

§. VII.

Melchiades Cæcilianum abſoluit.

MElchiades acceptis Imperatoris litteris, alios præterea Epiſcopos ex vniuerſa Italiâ, quindecim numero, futuros aſſeſſores adſciſcit. Erant hi Merocles Mediolanenſis, Florianus Cæſenenſis, Zoticus Quintinenſis, Stemnius Ariminenſis, Felix Florentinus, Gaudentius Piſanus, Conſtantius Fauentinus, Proterius Capuanus, Theophilus Beneuentanus, Sauinus Terracinenſis, Secundus Præneſtinus, Felix à Tribus tabernis, Maximus Oſtienſis, Euandrus ab Vrſino, Donatianus à Foro Claudij. *Optat. l. 1.* Iam & Gallicani Epiſcopi, præſtituto die aderant: Cæcilianus item, & donatus Caſenſis, ambo numero ſuorum ſtipati.

Itaque Conſtantino III. Licinioque Coſſ. ſexto Nonas Octobris, qui dies in feriam ſextam incidebat, Concilium agitari cœptum, in domo Fauſtæ in Laterano. Vbi conſidente Melchiade, ceteriſque octodecim, cauſſa Donati & Cæciliani in medium miſſa eſt. *Opt. l. 1.*

Et

Et ante omnia in perſonas accuſatorum, de more inquiſitum, forentnè habiles ad id, & legitimæ. Hîc enim conſtitit, diacono adhuc Cæciliano, Donatum, qui nunc ſchiſmatis Carthaginenſis auctor eſt, aliud ibidem ſchiſma feciſſe: rebaptizaſſe præterea nonnullos: & lapſis quibuſdam, ſacræ ordinationis manus iteratò impoſuiſſe: Donato ne hæc quidem negare auſo, tametſi pœnam grauiſſimam mererentur, vetarentque in alium dicere.

Verumtamen ne tam cauſſæ diffidentiâ actorem reiicere, quàm ſiue iure,ſiue lege,Cęcilianus videretur;iubet proferre quę parauerat. Congerit crimina non pauca: atque illud inprimis fere ſeptuaginta Epiſcoporum Carthagine Concilium, cuius ſententiâ damnatus, & Epiſcopatu ſuo deiectus ſit Cæcilianus. Reſpondet is, inficiando crimina: abſentem inauditumque ſe ab æmulis atque coniuratis comdemnatum: quod vt ne ſibi fraudi nocumentoque ſit; omnia iura clamare.

De criminibus igitur Donatus docere iuſſus, deficit. Adſtabant in Concilio decem Epiſcopi, quos Imperatore præcipiente Donatus adduxerat, tamquam futuros adiutores ſuos: qui interrogati, quid ſentirent; ingenuè fatebantur, nihil ſe certum exploratumque noſſe, quod officere Cæciliano queat: *Optat. l. 1. Aug. Coll. 3. c. 12.* Maiorini partem, multa confuse criminari, quæ nec determinatam perſonam, nec liquidum teſtimonium habeant. Teſtes interim qualeſcumque ex Africa veniſſe;verum operâ Donati, à iudicio eſſe ſubtractos. *Epiſt. 162.*

Quare producere eos iuſſus, primò facturum ſe recepit: cumque moras necteret, iuſſus iterùm iterumque, non teſtes ſolummodò, ſed & ſemetipſum, veritus damnationem, ſubducere Concilio cœpit. *Epiſt. cit. & Coll. 3. c. 12.* Ita ipſo facto docuit, Caſis Nigris Antiſtitem ſe eſſe: quando neque viſus poſtea in Concilio eſt, neque auſus accedere.

Cùm ergo reſtare nihil præterea videretur, quàm vt pro Cæciliano ferretur ſententia: Donatus nonnullos ſubornat, qui denuntiationis libellum, contra Cæcilianum offerant. Eam ob rem noua de integro cœpta cognitio agitari:cumque multa quidem eſſent obiecta, nihil probatum; cauſſam Melchiades terminandam duxit, collectiſque aſſeſſorum opinionibus, omnium conſenſu ſententiam pronuntiauit.

I. Et primò, criminatione omni Cæcilianus abſoluitur: atque integro ſtatu, in Eccleſiaſticâ communione retinendus firmandusque decernitur. *Optat. l. 1. Aug. Epiſt. 162.*

II. Concilium ſeptuaginta Epiſcoporum Carthagine ab inimicis ipſius nuper habitum, reſcinditur & aboletur. *Coll. 3. cap. 17.*

III. Donatus à Caſis nigris in Numidiâ Epiſcopus, tum quia ſchiſmatis totius auctor, tum quia ſacrilegâ temeritate Baptiſmi Ordiniſque Sacramenta repetere auſus eſſet, damnatur, & Epiſcopatu ſuo deiicitur. *Opt. l. 1. Aug. Coll. 3. c. 1. Epiſt. 162.*

IV. Ceteris eiuſdem accuſationis & diſſenſionis conſortibus, ſi reſipiſcere vellent, propoſita venia: quin & integer ſtatus permiſſus iis, qui à Maiorino in ſchiſmate ordinati eſſent: eâ lege, vt quibuſcumque in locis duo reperirentur Epiſcopi, quos diſſenſio geminaſſet; is confirmaretur, qui prior eſſet ordinatus: alteri autem eorum, plebs alia regenda prouideretur. *Epiſt. 162.*

Sententia profectò quâ nulla æquior, innocentior, integrior, magiſque prouida & pacifica cogitari fingiuè poſſet. Quare lubet hîc cum Auguſtino in Melchiadis laudem exclamare: O virum optimum! ô filium Chriſtianæ pacis, & patrem Chriſtianæ plebis! Conferte nunc iſtam paucitatem cum illâ multitudine Epiſcoporum: neque numerum numero, ſed pondus ponderi comparate: hinc modeſtiam, inde temeritatem: hinc vigilantiam, inde cæcitatem. Hîc nec manſuetudo integritatem corrupit, nec integritas manſuetudini repugnauit: ibi autem & furore timor tegebatur, & timore furor incitabatur. *Epiſt. 162.*

§. VIII.

Non acquieuêre Schiſmatici.

QVamquàm poſt tam pacificum moderamen Epiſcopalis iudicij, omnis contentionis pertinacia debuiſſet extingui; *Epiſt. 68.* non potuit tamen improbitas ratione placari. Quare Schiſmatici non iam Cæcilianum modò, ſed & Romanos iudices accuſare & criminari cœperunt. Quomodo enim poteſt malus litigator laudare Iudices,

 quibus

quibus litigantibus victus eſt? *Epiſt. 166.*

Et coram Imperatore quidem quemadmodum eis detrahere conati ſint, mox audiemus: in vulgus autem non ſunt veriti ſpargere, corruptos à Cæciliano fuiſſe. *l.3. cont. Creſcon. c.61.* Melchiadem porrò, eorum poſteri plurimis calumniis proſciderunt, traditionis diuinorum Codicum & Thurificationis crimine aſpergere auſi: *l.1. cont. Parm. cap.5.* ideoque iudicem in eâ cauſsâ legitimum non fuiſſe. Quod in Collatione Carthaginenſi cùm obieciſſent; probare iuſſi, minimè potuerunt: inaniſſimas licet vaniſſimasque nebulas, ex quibus neſcio, geſtis, in pariete depingerent. *Collat.3.c.18. & l. poſt Collat.c.12. & 13.*

Nam ſi verum id crimen norant, cur ſibi prçiudicarunt vt apud talem Iudicē cauſſam agere inciperent? Cur non potiùs ante cognitionem, hanc aduerſus eum exceptionem oppoſuere? Aut cur non ſaltem poſtea quàm cauſsâ ceciderant, victi, iratique obiiciendum hoc ei apud Imperatorem putarunt?

Neque enim vnum inſimulaſſe Melchiadem contenti, alios prætereà complures eiuſdem ordinis Pontifices, ſimili Traditionis ac Thurificationis labe macularunt, quos omnes generaliter incredibilibus, vt inquit Auguſtinus, calumniis ſunt inſectati: *l. de vn. bapt. cap. 16. & l.2. cont. Petil. c.92* tamque infenſum infeſtumque aduerſus Apoſtolicam Sedem animum induerunt, vt eam, peſtilentiæ Cathedram, eodem Auguſtino teſte, appellare non dubitarint. *l.2. cont. Petil. cap. 51.*

Ita admiſſum ſemel odium, animi lucernam extinguit. Verùm quia hæc poſteà acciderunt; Romano Concilio terminato, Melchiades de exitu eiuſdem, miſsâ ad Imperatorem relatione, eum certiorem omnium fecit.

§. IX.

Melchiadis iudicium accuſant.

Anno 314. SEd Donatiſtæ minimè ceſſandum rati, ad Conſtantinum proficiſcuntur. Grauiter ibi de Iudicibus queri, totamq; cauſſæ actionem eleuare, & reprehendere. In primis Epiſcoporum, qui cognitioni præ-

ni præfuerant, minorem fuiſſe numerum, quàm negotij totius grauitas poſtulabat. Præcipitaſſe deinde iudicium, re non ſatis cognitâ atque perſpectâ. Nonnullos etiam inter eos fuiſſe, qui, quod ſentirent, liberè eloqui non ſint auſi. Denique non omnia ſe dicere permiſſos: atque inter cetera, quod Felix Aptungitanus Epiſcopus, manifeſtus Traditor eſſet: à quo cùm Cæcilianus foret ordinatus, nullo modo Epiſcopum eſſe poſſe. Orare igitur ſe, vt alios, pluresque iudices ſtatuat, qui cognitam denuo controuerſiam terminent. *Epiſt. 162. & 166. l.de vn. Bapt.c.16. Epiſt.Conſtant.ad Creſc.Syracuſ.*

§. X.

Cauſſa Felicis Aptungitani.

CONſtantinus, quamquam de Epiſcoporum integritate iudicioque minimè dubitaret, adeoque nouâ cognitione nihil opus eſſet: attamen cùm Donatiſtæ nullum interpellandi finem facerent, Felicis traditionem inuidioſiſſimè exagitantes; vt ſeditioſorum hominum quomodolibet ingenia placaret, ceſſit tandem eorum improbitati, facere pollicitus quod poſtulaſſent.

Verumtamen primùm omnium ad Ælianum Africæ Proconſulem ſcribit, hancque ei Felicis cauſſam, remotis omnibus neceſſitatibus aliis, publicè examinandam committit. Ælianus diligentiſſimâ ſeueriſſimâque cognitione habitâ, Felicem Epiſcopum innocentem, atque ab omni obiectæ Traditionis crimine alienum deprehendit: tum verò Ingentij, ſcribæ illic publici, peſſimam fraudem: qui à Donatiſtis, vt ſimile vero eſt, emtus, ad Alfij Cæciliani, Magiſtratûs Aptungenſis, epiſtolam pluribus additis, eam corruperat. Quamobrem veritatis exprimendæ cauſsâ, quæſtioni ſubiectus Ingentius, vngulis cœperat vexari: tortusque fuiſſet; ni properè Ziquenſium ciuitatis Decurionem ſe proclamans, in carcerem eſſet receptus, donec conſultus Imperator ſuper eo reſpondiſſet. *Epiſt. 162.*

Exſtat Proconſularis ſententiæ, quâ purgatus atque abſolutus eſt Felix, quædam apud Optatum pars, ſed plenior apud Auguſtinum, his verbis: Ex profeſſione Cæciliani (erat is Magiſtratus ciuitatis "

 Aptun-

„ Aptungitanæ) qui Acta falſa eſſe dicit, & epiſtolæ plurima addita;
„ manifeſtum eſt, quâ voluntate hæc geſſerit Ingentius: & ideò reci-
„ pietur in carcerem: eſt enim arctiori interrogationi neceſſarius. Feli-
„ cem autem religioſum Epiſcopum, liberum eſſe ab exuſtione inſtru-
„ mentorum Deificorum, manifeſtum eſt, cùm nemo in eum aliquid
„ probare potuerit, quod religioſas Scripturas tradiderit vel exuſſerit.
„ Omnium enim interrogatio ſubſcripta, manifeſta eſt, nullas Scriptu-
„ ras Deificas vel inuentas, vel corruptas, vel incenſas fuiſſe. Hoc Actis
„ continetur, quod Felix Epiſcopus religioſus, illis temporibus nec
„ præſens fuerit, neque conſcientiam commodauerit, neque tale aliquid
fieri iuſſerit. *l.3.cont.Creſc.c.70.* Contineturque Actis purgationis Cæciliani & Felicis, quæ integra in lucem produxit Pithæus, cum Optato editis.

Geſta hæc ſunt Voluſiano & Aniano Coſſ. decimoquinto Kalendas Martij, proximo poſt Romanum iudicium anno. *l. poſt. Collat. cap. 33.*

§. XI.

Cauſſa Ingentij decurionis, falſarij.

IMperator, poſt acceptam de Felicis innocentiâ Æliani Proconſulis relationem, ad Probianum ſucceſſorem ipſius mox ſcribit, iubetque ad ſe Ingentium tranſmitti: vt Donatiſtarum improbitas, à quibus indies laceſſebatur, illo præſente ac coràm poſito, comprimi coërcerique poſſet. Exſtat huiuſce reſcripti exemplar, non vno loco apud Auguſtinum, eſtque tale:

Imperatores Cæſares, Flauius Conſtantinus Maximus, & Valerius Licinianus Licinius, ad Probianum Proconſulem Africæ.

„ ÆLIANVS prædeceſſor tuus, meritò, dum vir perfectiſſimus Verus
„ Vicarius Præfectorum tunc per Africam noſtram, incommodâ vale-
„ tudine vteretur, eiuſdem partibus functus, inter cetera etiam id nego-
tium

tium vel inuidiam quæ de Cæciliano Epiſcopo & Eccleſiâ Catholicâ "
videtur eſſe commota, ad examen ſuum atque iuſſionem, credidit eſſe "
reuocandam. Etenim cùm Superium Saturianum, & Cæcilianum, "
Magiſtratum Aptungitanorum, & Saturninum Excuratorem, & "
Callidium iuniorem eiuſdem ciuitatis Curatorem, atque Solonem "
ſeruum publicum ſupraſcriptæ ciuitatis, præſentes eſſe feciſſet, au- "
dientiam præbuit competentem: adeò vt cùm Cæciliano fuiſſet ob- "
iectum, quod à Felice eidem Epiſcopatus videretur eſſe delatus, cui "
cùm diuinarum Scripturarum proditio atque exuſtio videretur ob- "
iecta; innocentem de eo Felicem fuiſſe conſtiterit. Deniquè cùm Ma- "
ximus Ingentium decurionem Ziquenſium ciuitatis, Epiſtolam Cæ- "
ciliani ex duumuiris falſaſſe contenderet; eundem ipſum Ingentium "
ſuſpenſum, actis quæ ſuberant peruidimus, & ideò minimè tortum, "
quòd ſe decurionem Ziquenſium ciuitatis eſſe aſſeuerauerit; vnde "
voluimus eundem ipſum Ingentium, ſub idonea proſecutione ad Co- "
mitatum meum Conſtantini Auguſti mittas, vt illis qui in præſentia- "
rum agunt, atque diuturnis diebus interpellare non deſinunt, audien- "
tibus, & coràm aſſiſtentibus apparere & intimari poſſit, fruſtrà eos "
Cæciliano Epiſcopo inuidiam comparare, atque aduerſus eum vio- "
lenter inſurgere voluiſſe. Ita enim fiet vt omiſſis, ſicuti oportet, eiuſ- "
modi contentionibus, populus ſine diſſenſione aliquâ, religioni pro- "
priæ cum debita veneratione deſeruiat. *l.3. cont. Creſc. c.70. & Epiſt. 68.* "

§. XII.

Schiſmaticorum peruicacia.

HAc tam euidenti Ordinatoris Cæciliani purgatione, cùm ora Donatiſtis penitus clauderentur; à ſolitis calumniis expetiere præſidium, dicentes Iudicem gratiâ fuiſſe corruptum: vbi nihilominùs conſtabat Felicem fuiſſe abſentem. Quapropter idipſum in Collatione Carthaginenſi repetendum exiſtimarunt: primùm addentes, ſuppoſitas fuiſſe perſonas: ac deinde Felicem abſentem non rectè fuiſſe abſolutum. *Collat. 3. ca. 24.* non cogitantes aliâ de cauſsâ Felicem potuiſſe abſentem eſſe: imò magis ad declarandam Felicis innocen-

 tiam

tiam profuiſſe, quod abſens fuerit abſolutus, quia gratiæ ſuſpicio, ſi præſens eſſet, potiùs oriretur. *Collat. 3. cap. 24.*

Sed aliam interim, eamque duplicem, contra iudicium hoc, ſibi aliquando in priuatâ collatione obiectam reprehenſionem, meminit Auguſtinus; quod nimirum haud debuerit Epiſcopus Proconſulari, ſed Epiſcopali iudicio purgari. Quaſi verò Proconſul Ælianus hanc ſibi cognitionem arripuerit, ac non potiùs ab Imperatore impoſitam ſit executus. Quamquam & Donatiſtæ ipſi, cauſſæ huius Imperatorem iudicem popoſcerint, imò ad eum, vti pòſt audiemus, ab Epiſcopis prouocauerint.

Altera criminatio erat: nimis ſeueram ac terribilem in materiâ Eccleſiaſticâ quæſtionem habitam fuiſſe: eò quòd Ingentius in equuleo ſuſpenſus, propè fuerit vngulis vexatus. Sed numquid abſenti Felici id imputari debuit, aut præſens etiam contradicere potuit, ne tantâ diligentiâ vel ſeueritate quæreretur, cùm eius cauſſam inueniendam Cognitor agitaret? Quid enim aliud fuiſſet, nolle ſic quæri, quàm de crimine confiteri? *Epiſt. 162.*

Ad extremum ſummæ erat impudentiæ, quod, cùm hæc Acta obliuione ſepulta Donatiſtæ exiſtimarent, auſi ſint aliquando comminiſci, Felicem in hoc Proconſulari iudicio, à Vincentio neſcio quo, de Traditione fuiſſe conuictum: quod Creſconius Auguſtino obiecit, *L. 3. cont. Creſcon. c. 69.* Contrarium enim patet ex Actis, quæ etiamnum legi, antè diximus.

§. XIII.

Synodus Arelatenſis in cauſſa Cæciliani à Conſtantino indicitur.

HIs ita geſtis in Africâ, Imperator ad proximas Kalendas Auguſti, cùm alias Eccleſiaſticas ob cauſſas, tum verò ad Cæciliani & Donatiſtarum diſcutiendam controuerſiam, Arelate conuentum indicit, euocatis quamplurimis Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæque Epiſcopis: *l. 1. cont. Parm. cap. 5.* inter eos & Chreſto Syracuſano in Sicilia, hiſce litteris:

Conſtantinus Auguſtus Chreſto Syracuſano Epiſcopo Salutem.

IAM DVDVM cùm nonnulli improbo & peruerſo animo, à ſancta " religione, & cæleſti Euangelij doctrinâ ac potentiâ, & à Catholica " Eccleſiæ opinione deſciſcere cœperint; cupiens equidem eiuſmodi li- " tes ac controuerſias inter vos ortas diſſoluere, ita ſcripſi, vt miſſis à " Galliâ quibuſdam Epiſcopis, quin etiam ex Africa aliis aduerſarum " partium accerſitis, qui inter ſe maximâ cum pertinaciâ & animorum " contentione digladiantur, & Epiſcopo Romano etiam coram, hoc " diſſenſionis quidquid videatur, poſſit illis præſentibus accuratâ diiu- " dicatione in rectam viam deduci. Verùm quoniam (ſicut vſu venit) " quidam tum ſalutis ſuæ, tum veri cultûs, qui ſanctiſſimæ Chriſti re- " ligioni debetur, penitus obliti, adhuc priuatas inimicitias exercere, & " graues ſimultates gerere non deſinunt, dum nolunt aut Concilij iudi- " cio iam facto acquieſcere, dumque definitè affirmant, paucos admo- " dum fuiſſe qui ſuas ipſorum ſententias palàm in Concilio profere- " bant; iique ipſi cùm non omnia quæ antè quæri debuerant, accuratè " quæſita eſſent, ad iudicium dandum properè & valde celeriter feſti- " nabant, atque ex his omnibus ea fieri contigit, vt tum illi ipſi quos " fraternum & concordem animorum conſenſum inter ipſos retinere " oportuerat, turpi, imò nefariâ & impiâ diſſenſione diſcordent; tum " aliis hominibus, qui mentes à ſanctiſſima religione alienas habent, an- " ſam ludibrij & irriſionis præſtent. Idcirco mihi ſedulò prouidendum " erat, vt illud, quod poſt iudicium anteà pronuntiatum, ſuâ ſponte " componi & tranquillari debuerat, etiam iam tandem multis præſen- " tibus Epiſcopis, exitum & finem conſequatur. "

Proinde quoniam plurimos Epiſcopos, ex locis diuerſis & propè " infinitis, in vrbem Arelatenſium ad Kalendas Auguſti conuenire " mandauimus; Tibi etiam per litteras ſignificandum putauimus, vt " acceptâ rhedâ publicâ à Clariſſimo viro Latroniano Siciliæ condu- " ctore, duobus item aliis Epiſcopis ex ſede ſecundâ, quos tu ipſe tibi " maximè deligendos iudicaueris, tibi in ſocietatem adſcitis: quin et- " iam tribus famulis, qui vobis inter vias miniſtrent aſſumptis, ad eum " diem in loco præſcripto, aliis occurras: quò per tuam Grauitatem, & " conſentientem ſententiam reliquorum qui eò commeant, hoc diffi- " dium quod hactenus improbè ob turpes & ſceleſtas concertationes "

continua-

„ continuatum fuit, ſimulatque ea, quæ ab vtraque factione Epiſcopo-
„ rum (quos ſimiliter adeſſe mandauimus) audita fuerint, poſſint, licet
„ ſerò, ad debitam religionem, fidem & fraternam concordiam, ali-
„ quando reuocari. Deus omnipotens in multos annos te nobis ſeruet
„ incolumem. *Euſeb. l. 10. cap. 5.*

Litteras eiuſdem tenoris ad reliquos Metropolitanos Epiſcopos, quorum arbitrio duo alij eiuſdem prouinciæ deligerentur, Conſtantinum dediſſe, exiſtimandum eſt: quos omnes ad Concilij locum adduci voluit, datis Prouinciarum Præſidibus Tractoriis, pro ſumptibus itineris è publico. Exſtat enim aliarum exemplar litterarum, quas Imperator ad Ablauium dedit, vt Africanos Epiſcopos eodem adduci procuret, conceſſis etiam ſchiſmatis auctoribus, non aliter atque Catholicis, Tractoriis, vt tum appellabant: quæ diplomata erant, quibus euocati à Principe curſu publico vtebantur, adſcriptis ſtatibis, id eſt diuerſoriis & manſionibus vbi reciperentur. Litteras ad Ablauium, Lector reperiet inter eas quas Pithæus edidit, & Optato adhærent, vnà cum aliis, quibus ad ſe primùm miſſos ex Africâ Schiſmaticorum Legatos, Lucianum, Capitonem, Fidentium, Naſſutium &c. ſumptu ſuo Conſtantinus in Africam remiſit.

§. XIV.

Synodus Cæcilianum denuò abſoluit, Donatum denuò condemnat.

EX diuerſis igitur Prouinciis Arelatem conueniunt ducenti Epiſcopi, quemadmodum poſt Auguſtinum *l. 1. cont. Parm. cap. 5.* teſtatur impreſsè Iſidorus: vt adeò deprauatum videri poſſit Adonis Chronicon, quod ſexcentos perhibet adfuiſſe. Nec deſunt argumenta, quibus Concilio præſediſſe exiſtimari Silueſter Papa poſſit, qui defuncto Melchiadi ſucceſſerat. Quod nihilominùs alij ſic explicant, vt per Legatos abſens ipſe præſederit, vt ex Actis Concilij apparet.

In Synodo tam celebri, tamque numeroſâ, tota rurſus Africana cauſſa diligentiſſimè diſcutitur: Cæcilianus innocens declaratur, Donatus

Donatus non impudens tantùm, ſed multorum etiam magnorumque criminum reus peractus, totius Concilij ſententiâ damnatur. *Epiſt. 162.*

Abſoluto itaque Cæciliano, vt tam effræni calumniandi audaciæ obuiam iretur; ſeueriſſima illicò Patribus conſcripta lex eſt, hiſce verbis: De his qui falsò accuſant fratres ſuos, placuit eos vſque ad " exitum non communicare: ſed falſum teſtem, iuxta Scripturam, im- " punitum non licere eſſe. *Conc. Arelat. can.* 14.

Ad vindicandam porrò Eccleſiæ diſciplinam, alij nonnulli Canones confecti: qui quoniam ſchiſmatis origini ſunt affines, haud debent præteriri. De his, inquiunt, qui Scripturas ſanctas tradidiſſe di- " cuntur, vel vaſa Dominica, vel nomina fratrum ſuorum; placuit no- " bis, vt quicumque eorum ex Actis publicis fuerit detectus, non au- " tem ex ſuſpicione famæ, vel verbis ſolis, ab ordine Cleri amoueatur. " *Can.* 13. Iam, ſi iidem aliquos ordinaſſe fuerint deprehenſi: & " ſi in his quos ordinauerunt, ratio ſubſiſtit; non illis obſit ordinatio. " *ibid.* Et: Quoniam multi ſunt, qui contra Eccleſiæ regulam pugna- " re videntur, & per teſtes redemtos putant ſe ad accuſationem ad- " mitti debere; non admittantur, niſi Actis publicis docuerint omni " ſe ſuſpicione carere. *eod. can.* "

De Afris, qui propriâ ſuâ lege vtuntur vt rebaptizent; placuit vt " ſi ex hac hæreſi aliqui ad Eccleſiam venerint, interrogent eos no- " ſtræ fidei Sacerdos Symbolum: & ſi peruiderint in Patre & Filio & " Spiritu ſancto eos baptizatos, manus tantùm eis imponant, vt acci- " piant Spiritum ſanctum. Quod ſi interrogati, non reſponderint hanc " Trinitatem, baptizentur. *can.* 8. "

Et hæc quidem ad Donatiſtarum partim ſchiſma, partim hæreſin pertinent: poſtque tam euidentem veritatis manifeſtationem non pauci Epiſcopi, errorem atque delictum ſuum agnoſcentes, ad Cæciliani communionem tranſierunt. *Epiſt.* 68. *& Collat.* 3. *cap.* 19.

§. XV.

Donatus cum ſuis à Synodo ad Conſtantinum appellat.

VErumtamen Donatus Caſenſis, cum aliis nonnullis, in priore peruicaciâ & improbitate perſiſtens, à Concilij ſententiâ ad Imperatorem auſus eſt prouocare. *Epiſt. 46. 162. 165. 166. 167. 171. & l. 2. cont. Petil. c. 92.*

Ipſe verò Papa Silueſter euadere non potuit, quin communem cum Melchiade Traditionis & Thurificationis, apud horum poſteros, calumniam ſubiret. *l. de vn. bapt. c. 16.*

Quod interim Rheticius Auguſtodunenſis, Maternus Agrippinenſis, & Marinus Arelatenſis, qui Romæ Concilio interfuerant, huic iterum aſſederunt; non ſic intelligas velim, vt eamdem rurſus cauſſam iudicarint: ſed aut inſtructionis ſuggerendæ gratiâ, aut rerum aliarum, quæ tum Eccleſiæ totius bono ſancitæ ſunt. Ob hoc enim Cæciliani quoque nomen Actis ſynodalibus ſubſcriptum legitur.

Conſtantinus vbi Donatiſtas à Concilij ſententia ad ſe prouocaſſe cognouit; grauiſſimè exarſit, eoſque deteſtatus in hæc verba prorupit: O rabida furoris audacia! ſicut in cauſſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuere. *Epiſt. 162. Opt. l. 1.*

Non eo quidem inficias, hæc prout nunc apud Optatum leguntur, poſt iudicium Romanum dicta à Conſtantino videri. Sed quoniam Donatiſtæ non tam eo tempore appellarunt, quàm minorem iudicum numerum, iudiciique præcipitationem cauſſati ſunt; (vt ex litteris Conſtantini patet, quas ſuprà ad Chreſtum exhibuimus hoc fine, viderique idem poteſt in aliis ad Ablauium; in quibus placidè, & abſque exclamatione vlla cauſſas quas diximus recenſens, aliud iudicium Arelate decernit:) Optatus verò, præterquam quod à Donaſtis miſerè ſit interpolatus, multis ſiue expunctis, ſiue tranſpoſitis, (vt illuſtrator eius ſollertiſſimus Franc. Balduinus obſeruauit) haud meminerit iudicij Arelatenſis, neque Conſtantini poſtea; verisimilius

lius eſt exclamaſſe nunc Conſtantinum, quando mirâ peruicaciâ turbulentos Donatiſtas, hoc Arelatenſi iudicio minimè contentos vidit, vt colligitur *Epiſt.* 162. & apertè teſtatur Auguſtinus, qui iudicium Romanum, accuſaſſe Donatiſtas ait, & ab Arelatenſi appellaſſe. *l.* 2. *cont. Petil. c.* 92.

Quapropter huc referendæ ſunt Conſtantini litteræ, inter Pithæanas, ad Epiſcopos Catholicos, vt ad ſuas Prouincias finito concilio reuertantur: in quibus Schiſmaticorum proteruiam, iiſdem verbis quæ nunc retulimus ex Optato, caſtigat: & incipiunt: *Æterna & religioſa, &c.* Et aliæ datæ ad Catholicos in Africa, hoc modo: *Quod fides debuit, &c.*

§. XVI.

Conſtantinus ipſe cauſſam cognoſcit, & Cæcilianum abſoluit.

ET quamquam Conſtantinus importunam appellandi libidinem non tantùm reiicere, ſed pecuniariâ etiam multâ caſtigare potuiſſet; (vt Valentinianus poſtea latâ lege decreuit, in Chronopio Epiſcopo, qui ſeptuaginta Epiſcoporum iudicio damnatus appellauerat Præfectum Vrbi; *l.* 19. *Cod. Theod. quor. appell. non recipiend.*) nihilominus paſſus eſt ſibi perſuaderi, vt actum ageret, & ipſe cognoſceret: Veniam, vt inquit Auguſtinus, à ſanctis Antiſtitibus poſtea petiturus. *Epiſt.* 162. Anno 316.

Romam igitur partes accerſit: ibi ſe cauſſam auditurum. cuius rei teſtis eſt Epiſtola, quæ ſequitur.

Conſtantinus Auguſtus Epiſcopis.

ANTE paucos quidem dies, iuxta poſtulatum veſtrum, hoc mihi placuerat, vt ad Africam reuerteremini, vt illic omnis cauſſa, quæ vobis aduerſus Cæcilianum competere videtur, ab amicis meis quos elegiſſem, cognoſceretur, atque finem debitum reciperet. Verùm diu mihi cogitanti, & in animo meo non immeritò voluenti, id potiſſimum viſum eſt, vt quoniam ſcio quoſdam ex veſtris turbulentos

„ ſatis & obſtinato animo, rectum iudicium & integræ veritatis ratio-
„ nem minimè reſpicere, ac per hoc venire forſitan, vt ſi ibidem cogno-
„ ſcatur, non vt condecet & veritatis ratio expoſtulat, res finem acci-
„ piat: atque aliquid tale eueniat nimiâ veſtrâ obſtinatione, quod &
„ diuinitati cæleſti diſpliceat, & exiſtimationi meæ, quam ſemper illi-
„ batam cupio perſeuerare, plurimùm impediat; placuit mihi, ſicut
„ dixi, vt Cæcilianus iuxta priùs tractatum, huc potius veniat, quem
„ credo iuxta litteras meas mox adfuturum. Polliceor autem vobis,
„ quod ſi præſente ipſo, de vno tantùm crimine vel facinore per voſ-
„ metipſos aliquid probaueritis, id apud me ſit, ac ſi vniuerſa quæ ei
„ intenditis, probata eſſe videantur. Deus omnipotens perpetuam tri-
„ buat ſecuritatem. *ita Conſtantinus.*

Verumtamen cùm Cæcilianus iſtuc, quâ de cauſſâ incertum, non occurriſſet; interpellatus à Donatiſtis Conſtantinus, Mediolanum vt ſequantur, præcepit. Ibi tum eorum ſe nonnulli ſubtrahere cœperunt, indignati fortaſſe, quòd non eos imitatus, præcipiti ſententiâ abſentem damnaret. Quod vbi prouidus Imperator cognouit; reliquos ab Officialibus cuſtoditos, Mediolanum fecit peruenire.

Quò cùm & Cæcilianus veniſſet; Conſtantinus mirabili diligentiâ, cautelâ, & prouiſione, cognitâ cauſſâ, Cæcilianum innocentiſſimum, Donatiſtas improbiſſimos iudicauit. *Epiſt.* 162. Acta hæc fuere vt apparet, Sabino & Ruffino Coſſ. Eodem enim anno, quarto Idus Nouembris, Conſtantinus totius iudicij exitum ſententiamque ad Eumalium, Vicarium Præfectorum in Africam perſcribit, vt eius operâ in omnium illic notitiam perferatur: *l. poſt Coll. c.* 33. aſſerens inter partes remotis arbitris omnibus ſe cognouiſſe, & innocentem Cæcilianum, illos calumnioſiſſimos comperiſſe. *Coll.* 3. *cap.* 19. Commemorans etiam, in Arelatenſi Oppido pro Cæciliano factum Epiſcopale iudicium: cui iudicio licet iam plurimi ex diſſenſione conſenſiſſent; reliquis tamen adhuc reſilientibus & diſcordantibus, iniectâ nimirum appellatione, coactum ſe inter partes de re totâ iudicare. *ibid.* Subdens denique: In quo iudicio peruidi, inquit, Cæcilianum virum omni innocentiâ præditum, ac debita religionis ſuæ officia ſeruantem, eique ita vt oportuit ſeruientem: nec vllum in eo crimen reperiri potuiſſe ibidem apparuit, ſicut abſenti fuerat aduerſariorum ſuorum ſimulatione compoſitum. *l* 3. *cont. Creſc. c.* 71.

§. XVII.

§. XVII.

Cæci pertinaciâ & odio Donatiſtæ ad calumnias confugiunt.

ITa triplici iudicio purgatus eſt & abſolutus Cæcilianus: totidemque ſententiis damnati percuſſique Donatiſtæ, odio nihilominus malitiaque cœci, in priſtinâ improbitate & diſſenſione obſtinati permanſere; eamdemque in poſteros, veluti iure hereditario transfuderunt: adeò vt ſupinam hanc pertinaciam non vereatur Auguſtinus non tantùm cum diabolo comparare; ſed etiam ſuperiorem facere, dum ait: Puto quod ipſe diabolus, ſi auctoritate iudicis, quem vltrò elegerat, toties vinceretur, non eſſet tam impudens vt in eâ cauſsâ perſiſteret. *Epiſt.* 167.

Conſumtis igitur iam tribunalibus omnibus, cùm Donatiſtæ neminem haberent quem appellare poſſent; quod vnicum reſtabat, ad calumniarum præſidium conuerſi, Imperatorem quem ſibi iudicem antea popoſcerant, criminari cœperunt, prauis ſuggeſtionibus aures eius inflatas, *Coll.* 3. *c.*19. quin & gratiâ corruptum fuiſſe iactitantes. *l.* 1. *cont. Parm c.*6. *l.* 3. *cont. Creſc. c.*6.

De Oſio porrò Cordubenſi Epiſcopo, cui totum imputabant, peſſima, plurimaque indigna conferebant. Queſtus enim de eodem Parmenianus aliquando fuit, quòd Cæciliano auxilium præſtitiſſet, vt ad eius communionem, ſanctorum & illibatorum numerus (ita ſuos appellans) cogeretur: ſed huic impietati fidem ſeruorum Dei integram reſtitiſſe. *l.* 1. *cont. Parm. c.* 5. neque id ſanè mirum, aut ab Oſij moribus ingenioque videri debere alienum; vt qui deinde ob crimina flagitiaque ſua fuerit à propriis collegis in Hiſpaniâ damnatus: tametſi poſteriore iudicio ab Epiſcopis Galliæ, ſed Oſij fraudibus circumuentis, ſit abſolutus. *eod. l. c.* 4.

At verò in Collatione Carthaginenſi, dum Conſtantini iudicium fruſtrà facere conantur; aſſeruerunt eum audito poſtea Ingentio, quem ad ſe paullò antè tranſmitti iuſſerat, latam priùs ſententiam retractaſſe. *Collat.* 3. *cap.*23. *&* 24. *Epiſt.* 152. *l. poſt Collat. cap.* 31. 32.

 & 33.

& 33. Sed eam calumniam facillimum erat conuellere.

Nam quo pacto, miſſo ad ſe Ingentio, ſententiam reſorbuit Imperator, quam tantò pòſt latam eſſe conſtat, quàm de Ingentio mittendo ad Probianum Proconſulem ſcriberet: putà annis duobus, atque octo penè menſibus? *l. poſt Coll. c.* 33. Quamquam & cauſſam, cur præſentem Conſtantinus habere vellet Ingentium, ſatis ipſæ litteræ loquuntur. Vnde dubium non eſt, quin & Arelate auditus ſit Ingentius, & exhibita Felicis Aptungitani purgatio.

Atqui impudentiâ maiore ſcribere deinceps gloriarique non ſunt veriti, quod Cæcilianum Donatus Carthaginenſis (quem Eccleſiæ illius ornamentum, & Martyrialis gloriæ virum appellarunt, vt pòſt dicemus) apud Imperatoris cognitionem, reum fecerit conuiceritque, imò damnatum in exilium trudi procurarit. *l. poſt Coll. cap.* 16. *Epiſt.* 50. Ita nimirum calumniam calumniâ, ne perplueret, pars Donati pertexit.

CAPVT III.

FVRORIS DONATISTARVM INITIA.

§. I.

Donatiſtæ Catholicos Baſilicâ ſuâ exuunt.

INterea in Africam reuerſis iis, qui ſe Imperatoris iudicio ſubduxerant, Baſilicam quam in Conſtantina ciuitate Numidiæ, Conſtantinus erigendam curauerat, depulſis Catholicis occupauerunt. Catholici, Chriſtianâ patientiâ ſuperantes iniuriam, omnemque tumultuandi occaſionem exoſi; id ſolum ab Imperatore expetierunt, vt in loco fiſcali, aliam Baſilicam ædificari permitteret. Collaudatâ eorum modeſtiâ Conſtantinus, voti compotes effecit: vt patet his litteris.

Conſtan-

Conſtantinus Victor, Maximus ac triumphator ſemper Auguſtus: Zeuzio, Gallico, Victorino, Sperantio, Ianuario, Felici, Creſcentio, Pontio, Victori, Babbutio, Donato Epiſcopis.

Cùm ſummi Dei, qui huius mundi auctor & pater eſt, cuius beneficio vitam carpimus, cælum ſuſpicimus, humanâ etiam ſocietate gaudemus, hanc voluntatem eſſe conſtet, vt omne humanum genus in commune conſentiat, & quodam ſocietatis affectu quaſi mutuis affectibus glutinetur; non dubium eſt hæreſes & ſchiſmata à diabolo, qui caput eſt malitiæ, proceſſiſſe, &c. *Deinde poſt aliquammulta.* Acceptâ igitur Epiſtolâ ſapientiæ & grauitatis veſtræ, comperi hæreticos ſiue ſchiſmaticos, eam Baſilicam Eccleſiæ Catholicæ, quam in Conſtantinâ ciuitate iuſſeram fabricari, ſolitâ improbitate inuadendam putaſſe, & frequenter tam à nobis, quàm à iudicibus ex noſtra iuſſione commonitos, & reddere quod ſuum non erat noluiſſe: vos autem imitatores patientiæ Dei ſummi, eorum malitiæ placidâ mente, ea quæ veſtra ſunt relinquentes, & potiùs locum vobis inuicem alium fiſcalem ſcilicet, poſcere.

Quam petitionem more inſtituti mei libenter amplexus ſum, & ſtatim ad Rationalem competentes dedi, vt domum bonorum noſtrorum transgredi faciat, cum omni iure ſuo ad domum Eccleſiæ Catholicæ, quam promtâ liberalitate donaui, ac vobis tradi protenus iuſſi: in quo tamen loco ſumtu fiſcali Baſilicam erigi præcepi. Ad Conſularem quoque ſcribi mandaui Numidiæ, vt ipſe in eiuſdem Eccleſiæ fabricatione, in omnibus ſanctimoniam veſtram iuuaret. Lectores etiam Eccleſiæ Catholicæ, &c.

§. II.

§. II.

Schiſmaticos Conſtantinus pœnis coërcere ſtatuit.

CEterùm Imperator, tantâ Donatiſtarum improbitate tot euidentibus indiciis notâ, vbi nihilominus in diſſenſione animo obſtinato perdurare ſenſit; æquiſſimo zelo ſuccenſus, quos vincere longanimitate non poterat, ſeueritate aggredi ſtatuit. Legem itaque condit, quâ primùm Baſilicas eis omnes adimit: conuentus inire prohibet: Epiſcopos reſipiſcere nolentes in exilium eiicit: atque vniuerſim facultates conuictorum omnium, & vnitati pertinaciter reſiſtentium, fiſco vindicat. *Epiſt.* 48. 68. 166. *libro* 2. *cont. Petil. cap.* 92.

Neque his contentus, eos, qui Cæcilianum tam calumnioſè ac procaciter accuſarant, in primis autem Donatum Caſenſem, totius ſchiſmatis architectum, capitis damnat. Quod dum Parmenianus, Oſio Cordubenſi Epiſcopo ſuggerente factum fuiſſe auſus eſt aliquando criminari; hoc ab Auguſtino reſponſum accepit: Quin etiam audet conqueri (Parmenianus) quòd eos Conſtantinus ad campum, id eſt ad ſupplicium duci iuſſit, qui victi apud Eccleſiaſticos Iudices, nec apud ipſum quæ dicebant probare potuerunt, & adhuc in ſanctæ Eccleſiæ præciſione ſacrilego furore ferebantur: & hoc eum tamquam immaniter iuſſiſſe Hiſpano Oſio ſuggerente criminatur, ſuſpicionibus videlicet ſuis ſemper damnando inauditos. Quaſi verò non humaniùs ac probabiliùs alius crediderit, Oſio tamquam Epiſcopo ſuggerente potiùs factum, vt in leuiorem coërcitionem, quamuis immaniſſimi ſceleris, id eſt ſacrilegi ſchiſmatis, ſententiam flecteret Imperator. *l.* 1. *cont. Parm. c.* 7.

Ex quibus perinde conſtat, capitalem quidem ſententiam in Cæciliani accuſatores latam; ſed ne executioni mandaretur, Oſium interceſſiſſe: non quòd foret iniqua; ſed manſuetudini Eccleſiaſticæ, in tali cauſsâ perſoniſque, leuior aliqua cenſura conueniret. Quàm enim Legem illam non damnarit Auguſtinus, intelligi ex ſequentibus poteſt,

ſteſt, dum ait: Quid enim non iſti iuſtè patiuntur, cùm ex altiſſimo Dei præſidentis, & ad cauendum ignem æternum flagellis talibus admonentis iudicio patiuntur, & merito criminum, & ordine poteſtatum? Priùs enim probent ſe non eſſe hæreticos vel ſchiſmaticos: tum demum de indignis pœnis ſuis, liuidam emittant vocem, tum demum ſe audeant, cùm mali aliquid patiuntur, veritatis Martyres dicere. *l.1. cont. Parm. cap.* 8.

§. III.

Eius exemplum Imperatores poſteà ſecuti.

QVare hoc Conſtantini iudicium ac legem cùm filij eius, tum qui deinde ſecuti ſunt Imperatores Catholici, quoties contra Donatiſtas erat agendum, in oculis habendam, imitandamque duxerunt: *Epiſt.*48. vt non ob aliud de Conſtantino Donatus grauiſſimè queſtus ſit, totamque facti inuidiam in Cæcilianum protruſerit: poſterique ipſius omnem ſæculi principatum deſpexerint contemſerintque, magno faſtu occinentes: Quid Chriſtianis, cum Regibus ſæculi? Quid Eccleſiæ cum Imperatore? Quid Epiſcopis cum palatio? *l.2. cont. Petil. cap.* 92.

Atqui meminiſſe debuerant; priores ſe Cæcilianum ad Imperatorem detuliſſe, eiusque tribunal imploraſſe. Nunc ſi quod exitium innocenti fuerant machinati, id iuſtè Dei iudicio recidit in caput ipſorum; eâque foueâ ſorbentur, quam alteri ſecerant; quis obſecro querimoniam eorum audiat, quis doleat vicem? Eâdem nimirum ratione, qui Prophetam olim Danielem inimici damnauerant, criminari eundem poſſent, quòd leonum rabiem in ſe conciuiſſent, cui innoxium conabantur obiicere. *l. poſt Coll. cap.* 31.

Nam ſi Donatiſtis accuſantibus atque ſuperantibus, contra communionem Cæciliani Imperator tale aliquid decreuiſſet; prouiſores Eccleſiæ, defenſores pacis & vnitatis nominari vellent. Cùm verò in eos, qui vltrò accuſantes nihil probare potuerunt, nec oblato ſibi gremio pacis, quo correcti exciperentur, conſentire voluerunt; ab Imperatoribus talia decernuntur; indignum facinus clamitatur: neminem,

minem ad vnitatem eſſe cogendum: malum pro malo reddendum nemini eſſe contenditur. Quid hoc eſt aliud, quàm quod de Donatiſtis Donatiſta ipſe Tichonius ſcripſit: Quod volumus, ſanctum eſt? *Epiſt.* 48. *&* 167. Ad alios itaque motus, qui tum in Africâ excitati ſunt, tranſeamus.

§. IV.

Donatiſtæ Imperatoriis Edictis peiores, & in ſe crudeles redditi.

NAm cùm de Imperialis iudicij exitu intellectum in Africâ eſt, imò edicta legesque contra Donatiſtas non promulgari tantummodò, ſed in executionem mitti cœperunt; ibi tum inſanire ac furere, clamantes conſcientiis ſuis vim inferri: inuitos ſe ad Cæciliani & Traditorum communionem, quos probare nemo bonus poſſet, compelli: alienis peccatis violenter inuolui, hocque pacto innocentiam ſuam maculari ac pollui: in ſummâ, dum ad ſacrilegia per vim cogantur, nouam à Chriſtiano Principe, & inauditam hactenus perſecutionem inſtaurari. Eapropter Deum hominesque palàm obteſtari, vitam ſibi potiùs, quàm tantæ impietatis conſenſum, eripi paſſuros.

Nec ſtetit intra verba ferocitas, ſed, veluti indictâ perſecutione, ad Martyrium ſe quiſque præparare, alterumque hortari: Iudicibus carnificibusque ſe offerre: votis omnibus mortis ſupplicium adire. Attonitis omnibus quorſum euaderet repentina væſania, præſertim cùm nullus ad mortem Donatiſtis perſecutor inſtaret; nouum ecce & inauditum hactenus facinus aggrediuntur.

Quo loco ſciebant à Paganis agi frequentiſſimos Sacrificiorum conuentus, eò inermes agminatim conuolant: non vt idola euertant, ſed ab Idolorum cultoribus interficiantur. Nam ſi acceptâ legitimâ poteſtate, prius illud facere voluiſſet; ſi quid eis accidiſſet, poſſent qualemcumque nominis Martyrum habere vmbrā: ſed ad hoc ſolùm veniebant, vt integris Idolis ipſi perimerentur. Itaque dum tanto numero, veluti ſacra eorum turbaturi, accedere conſpiciuntur; facilè in-

fidelium

fidelium in ſe manus & arma vertére: adeoque propè nullo conſilij ſui dato ſigno irruentes, in oppoſitos ſe gladios & venabula ingerunt, & configuntur.

Dum autem ſæpiùs hæc agunt; ingens patrata cædes & laniena fuit: tam frequens & vſitata; vt non in ludum aut iocum, ſed in religionem iam quoque verteretur. Etenim ſinguli quique valentiſſimi iuuenes, Idolorum cultores, quis quot occideret, ipſis Idolis tamquam hoſtias quaſdam vouere conſueuerant. *Epiſt.*50. *& libr.*1. *cont. Gaud. cap.* 28.

Quidam etiam ſe trucidandos armatis viatoribus ingerebant: percuſſuros eos ſe, niſi ab eis perimerentur, terribiliter comminantes. Nonnumquam & à Iudicibus tranſeuntibus extorquebant violenter, vt à carnificibus vel ab officio ferirentur. Vnde & quidam illos ſic illuſiſſe perhibetur, vt eos tamquam percutiendos ligari & dimitti iuberet, atque ita eorum impetum incruentus & illæſus euaderet. *Epiſt.* 50. Nec defuere qui percuſſores pecuniâ conducerent, teſte Optato *libr.* 3.

Sed vbi qui ferire eos vellent, deeſſe cœperunt; ſtultiſſimâ Martyrialis gloriæ cupiditate dementati, rabidas in ſe manus conuertere auſi, triplex potiſſimùm mortis genus elegerunt, quo perirent: dum ſe alij per abrupta montium deiicere; alij in aquas puteoſque deſilire; alij denique flammis ſe dare ſunt aggreſſi. Hic enim mori volentibus quotidianus erat inter eos ludus: *l.*1.*cont.Gaud.c.* 37. à laqueo interim ſollicitè abſtinentes, quòd Traditor Iudas eo periiſſet; ipſi verò omnem cum Traditoribus ſocietatem, vſque ad ipſum ſupplicij genus, auerſarentur. *eod.l.& c.*

Quare tam inſignem cærimoniam poſteri eorum religiosè ſeruarunt. Hinc illud eſt Petiliani improperium: Laqueo Traditor periit: *l.*2.*cont.Pet.cap.*8. Laqueum talibus dereliquit. *l.*2.*cont.eund.c.*49. Quaſi nimirum qui Iudam ad laqueum impulit, non idem ſit & Chriſto præcipitium perſuadere conatus: non idem Geraſenorum porcos, in mare ſuffocandos egerit: non idem puerum lunaticum frequenter & in aquas, & in ignem miſerit. *Epiſt.*50. *& l.*1. *cont.Gaud.cap.*37.

Satanæ fraus hæc omnis conſiliumque fuit: cui cùm ſe ſacrilego ſchiſmate, & væſano Eccleſiæ Catholicæ odio obſtrinxiſſent; totos adhæc à Chriſti corpore atque vnitate præciſos, in eius poteſtatem contradidiſſent; quid mirum, ſi, quod facere ad extremum ſolet, in

 furorem

furorem eos, propriumque exitium fœdiſſimè egerit; ceteros verò proritarit ad imitandum, dum crudeliſſimos ſui homicidas, Martyrum honore coli procurauit?

§. V.

Conſtantinus in Africam cogitat.

INterea fanaticorum hominum eiuſcemodi ſolemnes intemperias vbi Conſtantinus accepit, in Africam proficiſci ipſe ſtatuit: vt qui Gentilium in Chriſtianos perſecutionem ſuſtulerat, non tantummodò nouam non videretur datâ occaſione adoriri, ſed ab inuicem diſſidentes conciliaret. Apparet id manifeſtè ſatis ex litteris, quas eodem adhuc anno ad Celſum Vicarium miſit, tametſi videantur principio mutilæ.

» Celſo Vicario Africæ. Perſeuerare † Menalium eum quem iam » dudum ſuſceperat inſania, ceteros qui à veritate Dei digreſſi, errori » ſe prauiſſimo dederunt, proxima etiam tuæ grauitatis ſcripta teſtata » ſunt: quibus inhærentem te iuſſioni noſtræ, de merito ſeditionis ip» ſorum, eoque tumultu quod apparabant, inhibitum eſſe memoraſti, » frater Cariſſime. Vnde quoniam ex eo patuit ipſos nefarias res cogi» taſſe; quòd enim cùm ſtatuiſſem inter ipſos & Cæcilianum, pleniſſi» mè ſuper allegationibus diuerſis requirere, præſentiâ meâ ſuſceptam » fugam, ſubtrahere laborauerunt; hoc ipſo turpiſſimo facto confeſſi, » ad ea redire properare, quæ & anteà fecerant, & nunc agere perſeue» rant. At cùm conſtet, minimè vnumquemque propria penitus delicta » lucrari, etiamſi paulliſper eorum fuerit coërcitio dilata; mandandum » Grauitati tuæ duxi, vt interim quidem eoſdem omittas, & diſſimu» landum ſuper ipſos eſſe cognoſcas: verùm lectâ hâc Epiſtolâ, tam » Cæciliano quàm iiſdem palam facias, quòd cùm fauente pietate diui» nâ Africam venero, pleniſſimè vniuerſis tam Cæciliano, quam iis qui » contra eum agere videntur, lecto dilucido iudicio demonſtraturus » ſum, quæ & qualis ſummæ diuinitati ſit adhibenda veneratio, & cu» iuſmodi cultu delectari videatur. Adhibito etiam diligenti examine, » ea quæ nunc aliqui exinde illecebris mentis ignorantiæque occultare

ſe

ſe putant; pleniſſimè ſum reperturus, atque in lucem facturus venire "
eaſdem perſonas, quæ res iſtiuſmodi concitant, faciuntque vt non "
cum ea quâ oportet veneratione ſummus Deus colatur, perdam at- "
que diſcutiam. "

Cumque ſatis clareat, neminem poſſe beatitudines Martyris eo "
genere côquirere, quod alienum à veritate religionis & incongruum "
eſſe videatur; eos quos contra fas & religionem ipſam recognouero, "
reoſque violentos competentis venerationis deprehendero, ſine vlla "
dubitatione inſaniæ obſtinationiſque temerariæ faciam merita exitia "
perſoluere. Scire itaque pro certoque habere debeant, ad pleniſſimam "
fidem, ſalute etiam teſte inuocatâ, quod tam ſuper plebe, quàm ſuper "
Clericis his qui primi ſunt, ſum diligentiſſimè quæſiturus, idque iudi- "
caturus quod veriſſimum & religioſiſſimum eſſe manifeſtum ſit: de- "
monſtraturus etiam iiſdem, qui & qualis diuinitati cultus adhibendus "
ſit. Nam nequaquam me aliter maximum reatum effugere poſſe cre- "
do, quàm vt hoc quod improbè fit, minimè exiſtimem diſſimulan- "
dum: cùm nil potius à me agi, pro inſtituto meo ipſiuſque Principis "
munere oporteat, quàm vt diſcuſſis erroribus, omnibuſque temerita- "
tibus amputatis, veram religionem vniuerſis, concordemque ſim- "
plicitatem, atque meritam omnipotenti Deo culturam præſentare "
perficiam. "

Hactenus Conſtantinus ad Celſum: ſed cuius in Africam iter, occurrentibus aliis rerum cauſſis, hacque fortaſſe quam adducturi ſumus, impeditum eſt.

§. VI.

Donati Caſenſis repetita audacia.

DOnatus ſiquidem, etſi res ſuas in arcto poſitas, atque tantumnon deſperatas vidit; attamen vno adhuc & extremo audaciæ impudentiæque impetu erigere conatus eſt. Libellum cùm ſuo, tum collegarum nomine conficit, Imperatori porrigendum. In eo à querimoniâ exorſus, grauem quam ab Imperatore perſecutionem ſuſtineant, vehementer exaggerat: *Epiſt.* 152. ſed quantumcumque magna Anno 317.

& intolerabilis foret; nunquam tamen ſe iſtuc adducendos, vt animo fracti, Antiſtiti ipſius nebuloni (Cæcilianum, quem nominare dedignabatur, ſignificans) communicent: tam fixam hanc ſibi ſententiam eſſe, vt extrema potius omnia ſint paſſuri, quàm eius ſe ſocietate pollui ſuſtineant. *Coll.3. cap.21. l.poſt Coll. cap.31.* Orare ſe, vt latam nuper Legem Imperator reſcindat, faciatque poteſtatem ad ſuos in Africam reuertendi. *Optat. l.1.*

Conſtantinus perlecto libello, admiratus hominis impudentiam; preces reiicit, neque reſponſo dignatur. Aderat ei tum fortè Philumenus quidam, Donati ſuffragator, quemque pecuniâ, vt credi par eſt, corruperat. Qui vbi conſtantiorem Imperatoris animum vidit, quàm vt in Donatum poſſet inflectere; ſuggerit, vt bono pacis Cæcilianus quoque detineatur: nè, cùm fuerit ad ſedem ſuam reuerſus, maior ibi diſſenſionum flamma ſuſcitetur. Conſilium in ſpeciem bonum atque vtile, ſed fraudulentum & pernicioſum: vt hoc pacto Cæcilianus videri poſſet non ſecùs atque alij relegatus: quemadmodum poſtea in Collatione Carthaginenſi Donatiſtæ obiiciendum putarunt. *Collat.3. c.20. l.poſt Coll. c.31.*

Conſtantinus doli ignarus, approbato Philumeni conſilio, Cæcilianum accerſit: expoſitâque Donati, & collegarum ipſius proteruiâ, ac deinde motibus qui tum erant in Africâ exorti; quodque hinc non ſibi dumtaxat, ſed toti Eccleſiæ queat procreari periculum; auctor eſt vt cedat tantiſper, ſeque in Italiâ, Brixiæ ſignanter (vbi hæc veriſimiliter agebantur) contineat, donec viderit quorſum animorum excitati fluctus euadant. Operam ſe daturum, vt exiſtimationis & dignitatis ipſius ratio iſtic habeatur: ſimul etiam litteras ea de re Carthaginem miſſurum, nè quis hoc factum, ſecus atque habeat, interpretetur: denique id curaturum, vt ſi fieri poſſit, omnis diſcordia ſopiatur.

Cæcilianus Imperatoris ſollicitudini ac prouidentiæ gratias agens, Brixiæ, vti iuſſus erat, obhæret.

§. VII.

§. VII.

Eunomium & Olympium Imperator legatos in Africam mittit.

INterea Conſtantinus de Donatiſtarum per Africam furore aliquantò certiùs per Proconſulem edoctus; vbi regionem eam, quam tot modis nuper afflictam recreare nonnihil ſtatuerat, tantâ rurſus calamitate, contra quàm ſperarat, videt inuolui; ægro animo eſſe, multaque ſecum agitare, quâ potiſſimùm ratione poſſit ſuccurrere. Adhibitoque in eam rem Epiſcoporum, vt aſſolet, conſilio, optimum cenſuit, ſi amoto Donato, ipſoque Cæciliano ad aliam translato ſedem, tertius Carthagine ſtatuatur Antiſtes. Fore, vt ſopitis hoc pacto diſcordiis, iterum pars illic vtraque coaleſcat, & ad vnitatem reuertatur.

Vt hoc autem in tranſitu dicam, exiſtimant hinc nonnulli Maiorino pridem defuncto Donatum Caſenſem Carthagine ſucceſſiſſe, tametſi neque Optatus neque Auguſtinus iſtud expreſſerint. *Albaſpin. obſeruat. 3. in Optat.* Sed id alij ſtatuant: neque enim neceſſe eſt. nos pergamus.

Imperator hiſce conſiliis fretus, duos magni nominis Hiſpanos Epiſcopos, Eunomium & Olympium, cum litteris in Africam ablegat, negotium vt optimè potuerint confecturos. Pontificis Romani conſenſum acceſſiſſe, planiſſimè credo.

Appulſi, in id gnauiter incubuerunt, vt Donatiſtas ad meliorem mentem, & Catholicam vnitatem reducerent, ſepoſitis omnium diſſidiorum veteribus cauſſis: polliciti alium in Cæciliani locum ſurrogare, ſi animoſitate valefactâ pacem amplecti in commune vellent.

Verùm Donatiſtæ tumultu ac ſeditione omnia complentes, nihil pacificè agitari ſunt paſſi. Fremebant Catholicæ Eccleſiæ nomen (quod poſſidere ipſi volebant) hærere apud plebem Cæciliani. Negabant deinde vllam, niſi reſtituto ſibi Donato ſuo, concordiæ ſpem ſupereſſe.

Epiſcopi vbi & fruſtrà ſe laborare, & nihilo vtiliùs Cæcilianum amoueri

amoueri vident; rebus omnibus ſuo ſtatu relictis, poſt multam contentionem pronuntiant: Eccleſiam eſſe Catholicam, quæ ſit toto terrarum orbe diffuſa: ei Cæcilianum communionis vinculo, cum ſuis eſſe ſociatum, atque ab illa viciſſim pro tali agnoſci & ſuſcipi: eam eſſe Romani & Arelatenſis Concilij ſententiam, ipſius Imperatoris iudicio denique firmatam: ideoque ſiue diſſolui, ſiue in dubium vocari, haud poſſe.

Igitur Eunomius & Olympius, poſtquàm Cæciliani Clero palàm communicaſſent, re infectâ vnde venerant redierunt. *Optat. l. 1. Euſeb. l. 2. de vit. Conſt. cap. 64.*

§. VIII.

Nundinarius Diaconus, Siluani Cirtenſis Epiſcopi, & Schiſmaticorum cauſſam prodit.

EOdem ferè tempore caſus quiſpiam incidit, quo res Donatiſtarum, arcanis quibuſdam criminibus mutuâ contentione patefactis, vehementer afflictæ ſunt. Siluano, quem Cirtenſem nuper Antiſtitem factum diximus, erat Diaconus Nundinarius nomine; quem ille (quo merito eius, incertum) dignitate ſpoliatum excommunicarat. Nundinarius non ferens contumeliam, vicinis Epiſcopis queritur, reſtitui poſtulat: quod niſi aſsequatur, minatur palàm facere complura, quæ altiſſimo ſilentio inuolui, Siluani interſit. *l. 3. cont. Creſc. cap. 28. l. de vnit. Eccl. cap. 18. Epiſt. 162. & 165. l. de geſt. cum Emer.*

Tentatur per litteras (quarum aliquæ integræ, aliarum fruſta exſtant in Actis) ab Epiſcopis reconciliatio: ſed cùm eam Nundinarius, terribiliter magis quàm ſuppliciter expoſceret; fruſtrà id fuit. *l. 3. cont. Creſc. cap. 28.* Quamobrem non ſe purgare contentus, porrecto Epiſcopis libello, Siluanum de Traditione, ſacrilegio, ſchiſmate & Simoniâ accuſat. Profert in publicum Carthaginenſis conciliabuli, Lucillianæ nundinationis, atque initæ contra Cæcilianum conſpirationis occultum myſterium: prodit etiam Cirtenſis Synodi arcanum, in qua confeſſum Traditionis crimen mutuâ fuerat Epiſcoporum indulgentiâ ſepultum: denique totum ferè Cirtenſis Eccleſiæ clerum, Tra-

tionis

ditionis infamiâ perfundit. Atque vt erat præ ceteris Siluano infenſior, ita publico illum iudicio traducere ſtatuit: cui perinde coram Zenophilo Conſulari Numidiæ ad Idus Decembris (Conſtantino Aug. VI. & Conſtantino iuniore Coſſ.) diem dicit.

Ad tribunal vbi ventum fuit, non teſtibus tantùm idoneis, ſed & Actis publicis, è Curatoris Cirtenſis archiuo productis, reum Traditionis Siluanum Nundinarius peragit. Recitat eorum partem haud exiguam Auguſtinus, *l.* 3. *cont. Creſc. c.* 29. ſed exſtant integra poſt Optatum, eruta opinor editaque primùm à Pithæo. Nos ea poſt Auguſtinum repetemus.

Reſpondit Nundinarius: Legantur Acta. Zenophilus Conſularis dixit: legantur. Et legit Nundinius exceptor: Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Coſſ. quartodecimo Kalendas Iunij, ex Actis Munatij Felicis, Flaminis perpetui, Curatoris Coloniæ Cirtenſis. Cùm ventum eſſet ad domum, in qua Chriſtiani conueniebant, Felix Flamen perpetuus Curator, Paullo Epiſcopo dixit: Proferte Scripturas legis, & ſi quid aliud hîc habetis, vt & præcepto & iuſſioni parere poſſitis. Paullus Epiſcopus dixit: Scripturas Lectores habent, ſed nos quod hîc habemus dámus. Felix Flamen perpetuus Curator dixit: Paullo: Oſtende Lectores, aut mitte ad illos. Paullus Epiſcopus dixit: Omnes cognoſcitis. Felix Flamen perpetuus Curator dixit: Non eos nouimus. Paullus Epiſcopus dixit: Nouit Officium publicum, id eſt Edeſius & Iunius Exceptores. Felix Flamen perpetuus Curator dixit: Manente ratione de Lectoribus, quos demonſtrabit Officium, vos quod hîc habetis, date. Sedente Paullo Epiſcopo, Montano & Victore, Deuſatelio & Memorio Presbyteris, adſtante Marte cum Helio Diacono, Marculio, Catullino, Siluano & Carioſo Subdiaconis: Ianuario, Meraclo, Fructuoſo, Miggene, Saturnino, Victore, Sanſurico & ceteris foſſoribus, contraſcribente Victore Aufidij in Breui, ſic: Calices duo aurei. Item calices ſex argentei: vrceola ſex argentea, &c.

Et alio loco. Poſteaquam peruentum eſt in Bibliothecam, inuenta ſunt armaria inania. Ibi protulit Siluanus, Capitulatam argenteam, & lucernas argenteas, quod diceret ſe poſt arcam inueniſſe eas. Victor Aufidij Siluano dixit; mortuus fueras, ſi non illas inueniſſes. Felix Flamen perpetuus Curator Reip. Siluano dixit: Inquire diligentiùs ne quid hîc remanſerit. Siluanus dixit: nihil remanſit, totum hoc eiecimus, &c.

Vbi de Traditionis crimine conſtitit; conſpirationis eum deinde aduerſus Cæcilianum initæ, & acceptæ ab Lucillâ pecuniæ reum fecit; Lucillam enim, vt de Cæciliano vindictam vltionemque ſumeret, Numidas Epiſcopos Carthaginem euocaſſe, & ſub magno auri pondere, putà quadringentis follibus, vt amoto Cæciliano Maiorinus ordinaretur, impetraſſe oſtendit: atque huius largitionis participem fuiſſe Siluanum. Demum etiam labe Simoniacâ infectum prodit, quòd Victorem quemdam Fullonem, acceptis ab eo viginti follibus, Presbyterum creaſſet, vt patet ex Actis quæ Auguſtinus „ fruſtatim citat, his verbis: Teſtis eſt Chriſtus & Angeli eius, quo- „ niam traditoribus communicaſtis: id eſt, Siluanus à Cirtâ Traditor „ eſt, & fur rerum pauperum: quod omnes vos Epiſcopi, Presbyteri, „ Diaconi & Seniores ſcitis, de quadringentis follibus Lucillæ clariſſi- „ mæ feminæ, pro quo vobis coniuraſtis vt fieret Maiorinus Epiſco- „ pus, & inde factum eſt Schiſma. Nam & Victor Fullo, veſtri præ- „ ſentia & populi dedit folles viginti, vt factus eſſet Preſbyter: Quod „ ſcit Chriſtus & Angeli eius. *l. 3. cont. Creſc. c. 29.*

Porrò autem conſcius horum omnium Nundinarius cùm eſſet; exoſum iam dudum ſe Epiſcopo ſuo fuiſſe; à quo perinde nuper, arreptâ è medio cauſsâ, innocens degradatus ſit atque excommunicatus; quâ de re tametſi cum vicinis Epiſcopis egiſſet, auxilium ab eis expoſcens; tentatis nihilominus omnibus, placari hominem non potuiſſe: Eâdem operâ exhibet porrecti Epiſcopis libelli exemplar, quo Cirtenſis Concilij Acta continebantur, quibus confeſſum Traditionis crimen inuicem ſibi ignouerant.

§. IX.

Zenophilus Conſularis Siluanum condemnat.

IGitur Zenophilus Conſularis cauſsâ cògnitâ, hiſque omnibus ponderatis, contra Siluanum pronuntians, dixit: *Et Actis & litteris quæ recitata ſunt, traditorem conſtat eſſe Siluanum.* Item alio loco: *Zenophilus Conſularis dixit: Quid adminiſtrabat tunc Siluanus in Clero? Victor reſpondit Sub Paullo Epiſcopo orta perſecutio eſt, & Siluanus Subdiaconus fuit. eod. l. & c.*

Cum

Cùm conſtaret adhæc, eumdem Siluanum Donatiſticæ factionis eſſe, eòque obnoxium Imperatoris Legibus nuper latis, quarum tenore dignitatibus ſuis atque Baſilicis Præſules priuati in exilium trudebantur; cum Siluano verò non iam Zenophilus tantùm, ſed Vrſatius etiam egiſſet (is fortè cuius meminit Petilianus *l. 2. cont. Petil. c. 92.*) vt ad vnitatem rediret: & is qui iam traditor erat, permanere etiam hæreticus vellet, vt falſum honorem in ipſa parte Donati haberet, qui habere in Catholica nullum poſſet, tam manifeſtis traditionis ſuæ geſtis publico iudicio reſeratis; actus in exilium eſt. *l. 3. cont. Creſc. c. 30.*

Atque ita Dei prouidentiâ factum, vt non modò tranſmarinis, ſed & Africanis, Proconſulari altero, altero Conſulari Numidiæ iudiciis, aduerſariorum operâ procuratis, Cæciliani innocentia magis illuſtraretur, magis detegeretur Donatiſtarum improbitas.

§. X.

Obſtinatos Donatiſtas Imperator demum arbitrio ſuomet permittit.

SEd priuſquàm hæc agerentur, reuerſis ex Africâ Eunomio & Olympio Epiſcopis, vbi intractabilem Donatiſtarum malitiam Imperator intellexit; vehementer iratus, grauius aliquid in eos decreturus videbatur. Sed quoniam in proprium exitium, tamquam mente captos aut à Satanâ poſſeſſos, præcipites ferri conſiderabat, vt iam tum pœnas iuſtiſſimas à ſemetipſis exigerent; aliud iniit conſilium. Cùm enim perpenderet, tantam væſaniam non niſi permittente Deo, hominum malè feriatorum animos occupaſſe; ad mitiorem ſententiam conuerſus ipſe, infelices ſibi relinquere ſtatuit, ſi fortè indulgentiâ ſanari poſſent: ſin autem; pergeret in eos Deus vindicare.

Itaque poſt quartum & ampliùs à iudicio Mediolanenſi annum, Donatiſtarum exilium relaxans, in ſua cuique redeundi poteſtatem facit. Verumtamen ne ſibi ob hanc indulgentiam, malo more homines peſſimi plauderent, quaſi iniquam contra ſe latam nuper ſen- Anno 321.

 tentiam

tentiam, melioribus iam conſiliis vſus reſcinderet Imperator; litteras eâ de re ad Verinum ſiue Valerium, Præfectorum in Africâ Vicarium, mittit: quibus Donatiſtas, tamquam peſſimos & Chriſtianæ pacis inimicos grauiter deteſtatus, eorum ſe ſcribit exilium ſoluiſſe: ideoque libero ſuo arbitrio & furori dimittendos, maximè, quia iam Deus cœperat in eos vindicare. *Coll. 3. cap. 22. & 24. l. poſt Coll. c. 31. Epiſt. 152.*

§. XI.

Notatio temporis rerum hactenus narratarum.

ATque hoc poſtremum eſſe videtur, quod in Donatiſtarum cauſſa Conſtantinus egit, poſt nonum fermè annum quàm fuerat per Anulinum ab iis interpellatus. Hoc enim contigit non multò poſt cæſum Maxentium, Conſtantino III. & Licinio iterum Coſſ. XVII. Kalendas Maias. Melchiades autem Romæ de Cæciliano iudicauit eodem anno, iiſdemque Coſſ. Nonis Octobris.

Anno deinde proximo, Voluſiano & Anniano Coſſ. cauſſa Felicis Carthagine audita eſt, XV. Kalendas Martias, poſt menſes ferme quatuor.

Arelatenſe Concilium coiit iiſdem Coſſ. Kalendis Auguſti, poſt menſem propè ſextum.

Imperator verò cùm Mediolani partes inter cognouiſſet, ſcripſit ad Eumalium de Cæciliani purgatione Sabino & Ruffino Coſſ. IV. Idus Nouembris, poſt biennium & menſes tres.

Poſtremò, de ſoluto Donatiſtarum exilio ad Verinum ſiue Valerium litteras dedit, Criſpo & Conſtantino iterum Coſſ. poſt annum quartum & menſem fere ſextum. *l. poſt. Coll. c. 33.*

Quod vniuerſum tempus in vnum collectum, annos propè nouem complectitur, quot Imperatorem Conſtantinum Donatiſtarum cauſſa tenuit occupatum. Hic autem temporum ordo per Conſules obſeruatus, cùm ad hiſtoriæ totius fidem & lucem, tum verò ad refellendas Donatiſtarum calumnias ac fraudes, quibus poſtea in Carthaginenſi

ginenſi Collatione Imperatoris iudicium eludere conati ſunt, plurimùm conducit.

§. XII.

Improbatur Conſtantini erga Donatiſtas indulgentia.

CEterùm hâc Conſtantini indulgentiâ licet deformiùs cogitari nihil queat; attamen Donatiſtæ exilij huius relaxati litteras ad Verinum datas, mirâ pòſt cæcitate in Collatione Carthaginenſi proferendas exiſtimarunt, dum liberum ſibi permittendum arbitrium eſſe, earumdem auctoritate atque exemplo aſſerere conabantur. Sed Cognitor aliud ſibi ab iſtius temporis Imperatore Honorio iniunctum reſpondit. *Coll.* 3.*c.* 22. *&* 24.

Meminiſſe verò huiuſce indulgentiæ videtur Euſebius, l. 1. de vita Conſtant. c. 38. dum ait: Quoſdam ſuâ ſponte acerbè incitatos, toleranter ac moderatè tulit, placido & manſueto ſermone hortatus, vt modeſtè ſe gerere, ac neutiquam ſeditionem concitare ſtuderent. Ex quibus alij eius adhortationes cum reuerentia amplexati diſceſſerunt: alios, quorum animi ad modeſtiam videbantur propè inſanabiles, Deo curandos permiſit, ac nihil omninò contra quemquam mente concepit acerbitatis. Inde, vt eſt veriſimile, ſeditioſi in Africa eò audaciæ fortè proruperunt & crudelitatis, vt facinora nefaria molirentur, Dæmone vt videbatur affluentiam præſentium bonorum Chriſtianis inuidente: viroſque ad abſurdos & importunos conatus inſtigante, quo Imperatoris animum contra eos commoueret.

Verùm inuido illi res parum ſucceſſit ex ſententia: quandoquidem Imperator ea quæ geſta erant, pro ridiculis putauit, inquiens ſe perditi dæmonis impulſionem facilè intellexiſſe. Nam facinora illa non modeſtorum & ſobriorum hominum eſſe; ſed eorum qui vel mente penitus excidiſſent, vel eſſent improbi & impij dæmonis tamquam œſtro perciti: quos miſerari oportere potiùs, quàm ſupplicio affici aſſeruit. Vt enim, inquit, ſummæ clementiæ eſt eorum vicem dolere; ſic hominibus cùm mente capti ſunt, pœnas infligere, extremæ dementiæ eſt & inſcitiæ.

Et

Et hæc quidem Euſebius, Conſtantini clementiam manſuetudinemque commendans: cuius perinde animum, quòd nihil reliquerit intentatum ad obſtinatos Donatiſtas emolliendos, quilibet oppidò laudarit; ſed non æquè hoc factum: vt quod nihilùm profuit, ſed obfuit plurimùm. Nam & in ſe, & in Catholicos Donatiſtæ ſæuire poſt hanc indulgentiam minimè deſierunt: furorque iſte, veluti lex facta eſt, inquit Auguſtinus, *l. 1. cont. Gaudent. c. 29.*

Quapropter incredibilibus malis Africam, quàm lata eſt, implentes, non antè quieuerunt, quàm irreparabili exitio totam denique hauſiſſent. Sed excuſandus interim Conſtantinus, ſchiſmatici tantum & hæretici furoris ignarus, quantum indulgentiam omnem & agendi libertatem ad eiuſmodi excitanda incendia valere, rerum poſtea probauit frequens euentus.

§. XIII.

Redeunt in Africam Donatus & Cæcilianus.

IGitur ſoluto exilio Donatus ocyſſimè aduolat cum ſuis in Africam, ceterique omnes priſtinis ſedibus ſe repentè donant. Id vbi Cæcilianus vidit, ad gregem & Cathedram ſuam & ipſe contendit. Hoc modo iterum renouellatæ ſunt partes, inquit Optatus *l. 1.* dum vetus contentio nouis partium ſtudiis inflammata recruduit.

Et Donatiſtæ quidem acceptâ nunc erroris licentiâ, longè violentiùs & acerbiùs agere aggreſſi, odia cum diſſenſionibus auxerunt, nouis quotidie calumniis Cæcilianum inceſſentes: tranſmarinas Eccleſias, Imperatorem, omnes denique Catholicæ communionis fœdè traducentes: in id vnum intenti, vt ſchiſma ſuum firmarent extenderentque, non errorum tantùm, ſed etiam populorum acceſſione. Maiora itaque indies incrementa adepti, per Africam, Numidiam & Mauritaniam, longè ſe lateque diffuderunt, ſoli iam Chriſti Eccleſia videri cupidi. Nam quod in omni penè ſchiſmate accidere ſolet, Donatiſtis euênit: vt impium nempe ſchiſma obſtinatâ deinceps

ceps hæreſi, quod ex eorum erroribus infrà patebit, ſtrenuè cumularent.

Quapropter huc referenda videntur, quæ ſuprà ex occaſione retulimus, vt quò exiſtimari poſſent ſiue communicare Romano Epiſcopo, ſiue Catholicis haud eſſe poſteriores, ordinatum à ſe Epiſcopum Romam mitterent: aut Epiſcopos è ſuo grege, qui quem libuiſſet, ibi pauculis Donatiſtis præfuturum, ordinarent. *hær. 69.*

CAPVT IV.

DONATISTÆ SE IVNGVNT ARIANIS.

§. I.

Hæreſis Arianæ origo.

VIx è Donatiſtarum turbis Imperator euaſerat, cùm ab Arianis, qui tum inſolenter graſſabantur, nouas & grauiores moueri ſenſit. Etenim ante decem ferè annos Arius, Presbyter Alexandrinus in Baucalide Eccleſiâ ſic appellatâ; eoque nomine litterarum ſacrarum interpres ad populum; videns Alexandrum ſibi in Epiſcopatu prælatum, cùm animum ſuum inuidiæ facibus accenſum, ſupprimere haud poſſet, vindictam meditatus eſt: & quia Alexandri mores non poterat, doctrinam arroſit.

Vti enim Alexander ſacrarum litterarum diſciplinæ obſecutus, Filium Patri honore parem, eamdemque habere cum eo ſubſtantiam docuit; ſic Arius palam veritatem oppugnans, eum creatum & factum affirmauit. Quin etiam adiecit, tempus aliquando fuiſſe, cùm non erat: teſte Theodoreto, *l.* 3. *Hiſt. c.* 2. *&* 3. ſiue, vt ipſemet Alexander epiſtolâ quadam prodidit, quam Socrates profert *l.* 1. *c.* 3. Deum non ſemper Patrem fuiſſe, ſed tempus aliquando extitiſſe, cùm

Deus

Deus non eſſet Pater. Non ab æterno Verbum Dei fuiſſe, ſed ex nihilo ortum eſſe. Nam Deum qui eſt, eum cùm non erat, ex eo quod non eſt procreaſſe: & propterea tempus fuiſſe aliquando cùm non eſſet. Creatum enim & factum eſſe Filium, neque eſſentiâ Patri ſimilem, neque naturâ verum Patris Verbum, neque veram eius Sapientiam eſſe; ſed per abuſionem Verbum, & Sapientiam dici. Ipſum factum eſſe proprio Dei Verbo, & Sapientiâ quæ in Deo eſt, per quam tum cetera omnia, tum illum ipſum fecit Deus: & ob eam cauſſam, poſſe naturâ ſuâ conuerti & mutari, ſicuti animantia omnia ratione vtentia, &c.

§. II.

Concilium Nicænum.

Anno 325.

TAm nobiles blaſphemiæ cùm magnis animis viribuſque traderentur & exciperentur; ipſeque tum Arius, innumeris iiſque non è vulgo defenſoribus ſtipatus, latè per Orientem ſuperbiam circumferret; Conſtantinus Imperator, ſolus iam rerum ſummâ potitus, ad religionem Chriſtianam inſtaurandam animum conferens indignum iudicauit, violentæ & cruentæ perſecutionis vice fraudulentam graſſari, atque externis Tyrannis diabolum latenter ſubrepſiſſe.

Ariani igitur incendij obruendi cauſsâ, Synodum apud Nicæam ex toto orbe contrahit: vbi trecentis & duodeuiginti Epiſcopis congregatis, Fides plena conſcribitur, hæreſis Ariana damnatur. Et quamquam Ariani nihil contra ſanam doctrinam retractare auſi, Epiſcopale decretum viſi fuerint complecti; manente nihilominus in eorum pectoribus veneno & odio in Catholicos viros, cùm ſe Eccleſiis miſcuiſſent, magnam deinde ſtragem, Reges & Imperatores ſuæ hæreſi addictos nacti, dederunt.

§. III.

§. III.

Nicææ non tantum Ariani, ſed & Donatiſtæ damnati.

EX Africanis interim, euocatus opinor ab Imperatore, ſolus interfuit Synodo Cæcilianus: in quâ tametſi maioris omninò momenti viſa ſit Ariana peſtis; nihilominus haud præteriti Donatiſtæ ſunt. Fateor inter Acta & Canones Concilij nihil hodie exſtare: ſed quoniam contra Carthaginenſem Synodum Cypriani (quâ repeti iubebatur Baptiſmus ab hæreticis collatus: quod iam dogma in hæreſes ſuas Donatiſtæ tranſtulerant, & obſtinatè tuebantur) ſæpenumerò Auguſtinus opponit, contra Prouinciale inquam, Concilium vt vocat plenarium totius Orbis, & vniuerſæ Eccleſiæ, & omnium Gentium: (quod quidem poſt Cypriani paſſionem, antequam ipſe Auguſtinus natus eſſet, conueniſſe ſcribit *l. 2. de Bapt. c. 9.*) non eſt de alio vllo, quàm de Nicæno accipiendum.

Igitur ſi Concilium Cypriani attenditur; huic eſt vniuerſæ Eccleſiæ Concilium poſterius præponendum. Nam & Concilia poſteriora, prioribus, apud poſteros præponuntur: & vniuerſum, partibus ſemper iure optimo antecellit. *eod. l. & c.* Taceo & Arianos, teſte Ambroſio, ſolitos fuiſſe rebaptizare: *l. de Baſil. trad.* vt in his adeò conſectarij eorum Donatiſtæ, meritò quoque damnati debeant haberi.

Atque hinc licet exclamare cum Vincentio Lirinenſi: O rerum mira conuerſio! Auctores eiuſdem opinionis Catholici, conſectatores verò iudicantur hæritici: abſoluuntur Magiſtri, condemnantur diſcipuli: conſcriprores librorum regni filij erunt, aſſertores verò gehenna ſuſcipiet. Nam quis illud ſanctorum omnium, & Epiſcoporum & Martyrum lumen beatiſſimum Cyprianum, cum ceteris collegis ſuis, in æternum dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? aut quis contrà tam ſacrilegus, qui Donatiſtas & ceteras peſtes, qui illius auctoritate Concilij rebaptizare ſe iactitant, in ſempiternum neget arſuros eſſe cum diabolo? *l. aduerſ. hæreſ.*

§. IV.

Quo tempore Arianis Donatiſtæ iuncti?

NOnnulli interim Donatiſtæ, ſiue per id tempus, ſiue paullò pòſt, Catholicorum odio ſeſe Arianis iunxerunt: teſtaturque de Donato Carthaginenſi Auguſtinus in ſcriptis ſuis de ſanctiſſimâ Trinitate, haud Catholicam habuiſſe ſententiam: ſed, quamuis eiuſdem ſubſtantiæ; minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio putaſſe Spiritum ſanctum. *hær.69.* Quod neque Hieronymus ignorauit, dum ait: Exſtant eius multa, ad ſuam hæreſim pertinentia, & de Spiritu ſancto Liber Ariano dogmati congruens. *l. de Script. Eccl.c.*

Iam quia è Philippenſi poſtea Conciliabulo (quod Ariani Epiſcopi Sardicâ, vbi plenarium Eccleſiæ Catholicæ Concilium agebatur, fugâ dilapſi, Sardicenſe falsò appellarunt; *Baron.anno* 347.) Litteras ſynodales aliquando acceperant, præſertim Donatus Carthaginenſis; probare nitebantur ſe cum Orientalibus communione fuiſſe coniunctos: quos videlicet Traditorum facinus deteſtatos, iactabant ſe ab eorum communione retraxiſſe, & Donatiſtis ſociaſſe. *l.3.cont. Creſc.c.* 34. *& Epiſt.* 163.

Sed cuius rei vanam gloriam retundit Auguſtinus, dicens Sardicenſe Concilium, quod Donatiſtæ iactitabant, Arianorum fuiſſe; contractum maximè contra Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum Catholicum, qui eorum errorem ex ipſa ciuitate ortum, præ ceteris acriter arguebat & refellebat. Non igitur mirum, ſi illi hæretici Donatum ſibi adſciſcere tentauerunt, quos per totum orbem Catholica damnabat Eccleſia. *l.3.cont. Creſc.cap.*34.

Nam cùm vero & legitimo Sardicenſi Concilio, Gratus Carthaginenſis Epiſcopus, cum aliis triginta ſex Africanis, præſens ſubſcripſiſſet; adeoque de captandis in Africâ Catholicis Ariani deſperarent; ad Donatiſtas, Catholicorum ſecum aduerſarios, conuerſi, quæcumque contra Sardicenſes Patres decreuerant, ſcripſerunt: non iam tantummodò in Deum blaſphemi; ſed tituli Sardicenſis Concilij, quod reuera Philippoli habuerant, mendaciſſimi fures. Similes

amant

amant labra labruſcas. Satis erat Donatiſtis & Arianis, ſi mutuum poſſent ſcabere, vbi prurigo & lubido fuiſſet.

Niſi fortè Concilij iſtius litteras Donatiſtæ, vt erant impudentes corruperint: cumque in eis Donati alicuius nomen non in Africâ Epiſcopi legerent, addidiſſe, Carthaginis: nam Epiſcopos in aliis earumdem litterarum exemplaribus haberi ſine nominibus ciuitatum, Auguſtinus teſtis eſt, *l. 3. cont. Creſcon. cap.* 34. Qui & ibidem interrogatos Donatiſtas; Si in eorum communione Orientales aliquando fuerint; quomodo poſtea ſunt ſeparati? reſpondere ſolitos auctore fortaſſe Creſconio, affirmat: Quia Catholicos in ſuam communionem recipere cœperunt, atque per id, damnatæ ſemel cauſſæ non ſeruauerint conſtantiam. *eod. l. &c. & l. 4. cap.* 44.

CAPVT V.

DONATISMI PROGRESSVS ET FACINORA.

§. I.

Donatus Magnus ſiue Carthaginenſis.

MAiorino Carthagine in Epiſcopatu Donatus (alius à Caſenſi) ſucceſſit: qui eloquentiâ ſuâ ſic confirmauit hanc hæreſim, vt multi exiſtiment, propter ipſum potiùs eos Donatiſtas vocari. Ita impreſsè Auguſtinus, *hær.* 69. etſi nullo temporis addito indicio, ſed quod erui quadamtenus poteſt ex Hieronymo in Chronico, qui ad Annum trecenteſimum trigeſimum primum: Donatus, inquit, agnoſcitur, à quo per Africam Donatiani. Vt præterpropter hoc tempus, in Maiorini locum oporteat eſſe aſſumtum, ſi cœperit agnoſci. Anno 331.

§. II.

Donati huius mores & ingenium.

SAtis ex iis Auguſtini & Hieronymi colligere licet, quantùm res ſuorum Donatus iſte promouerit. Nam præterquàm annis plurimis Cathedram inſedit; faſtu & audaciâ veluti nouus aliquis Hannibal, vniuerſos perculit. Atque hinc rariùs à populo appellatus Epiſcopus eſt, ſed dicebatur Donatus Carthaginis: *Optat. l. 3.* cuius & ſe Principem nominari gaudebat. Contemnebat Imperatores Romanos, tantoque ſupercilio Præfectos eorum ſpreuit, vt non dubitarit ad Gregorium aliquando ſcribere, viuo adhuc Conſtantino: *Gregori, macula Senatûs, dedecus Præfectorum*, & cetera talia. cui tamen Præfectus patientiâ Epiſcopali reſpondit. *Opt. ibid.*

Extulit cor ſuum, vt nullum hominem ſibi comparandum arbitraretur, ratus ſe cunctis altiorem, imò terrenum aliquem Deum, formidabilem omnibus & adorandum. Nam & homines iurare per ſe paſſus eſt: *Opt. ibid.* imò per canos ſuos, & compages: *Aug. l. 3 cont. Parm. cap. vlt. Tract. 10. in Io.* Cumque hactenus de Chriſti nomine appellari Chriſtiani conſueuiſſent; populum cum Deo diuidere auſus, conſectatores ſuos Donatiſtas appellauit: adeò vt ſi quando ad eum peregrè nonnulli veniſſent, non quæreret (quod humana ſemper exigit conſuetudo) de pluuiis, de pace, de prouentu anni; ſed aduenientes ſingulos compellaret his verbis: *Quid apud vos agitur de parte meâ?* Quaſi populum nimirùm iam cum Deo diuiſiſſet, vt intrepidè partem ſuam diceret. A temporibus etenim ipſius, vſque ad ea quibus Optatus ſcribebat, ſi quando de rebus Eccleſiaſticis, in iudiciis publicis aliqua celebrata eſt actio; interrogati ſinguli, ſic apud acta locuti ſunt, vt ſe dicerent de parte eſſe Donati, de Chriſto tacerent. *Optat. l. 3.*

Quò facit quod Auguſtinus inquit: Donatum Donatiſtæ pro Chriſto habent. Si audiunt aliquem Paganorum detrahentem Chriſto, forſitan magis patienter ferant, quàm ſi audiant detrahentem Donato. *fragm. ſerm. de Kal. Ian.* Intolerabili blaſphemiâ ei tribuebant, quod ſoli Chriſto Fides, maculæ peccati fuiſſe expertem. *l. 2. cont. Parm. c. 7.*

Ampliſſi-

Ampliſſimis quoq; vocibus concinebāt in eius laudem, cara quædam & ſonora carmina: Euge Euge, Dux bone & præclare. *Enarr. in Pſ.6).*

Porrò ipſe Donatus, callidus impoſtor, qui ſuos tantopere auerſabatur, vt non tantùm oblationes Eulogiarum reſpueret facere cum eis; ſed etiam participare dedignaretur: ſolus ipſe neſcio quid ſecretò domi peragens, & poſtea cęteris perfunctoriè communicans; *Optat.l. 3.* vt nihilominùs pretium ſibi apud illos faceret, fidemque compararet; locutum ſibi de cælo Deum finxit: quod perinde tamquam rem mirabilem Donatiſtæ ambitioſè iactabant. *Aug. Tract. 13. in Io.* ſicuti & Angelum apparuiſſe, qui eius ſectam commendaret. *Epiſt.165.*

Sed omnibus propè hæreticis, communis ambitio & arrogantia fuit: omnes enim tument, inquit Tertull. de præſcript. Quapropter Manichæos per nomen Manichæi, Auguſtinus *l.19.cont.Fauſt.c.22.* & Priſcillianiſtas, per nomē ſui Priſcilliani iuraſſe, narrat Sulpitius Seuerus: & Paulo Samoſateno, homini impuro Donatique ſimillimo, cantica recitari ſolita, quibus palàm laudibus efferebatur apud populum; Euſebius. *l.7.hiſtor. cap.24.*

Itaque Auguſtinus aliquando contra Petilianum agens: Omiſſis, inquit, iſtis morarum tendiculis, oſtendat Eccleſiam, vel in ſola Africâ perditis tot gentibus retinendam; vel ex Africâ, in omnibus gentibus reparandam atque adimplendam: & ſic oſtendat, vt non dicat, Verùm eſt, quia hoc ego dico, aut quia hoc dixit ille collega meus, aut illi collegæ mei, aut illi Epiſcopi vel Clerici vel Laici noſtri: aut, Ideò verùm eſt, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius: aut, quia homines ad memorias mortuorum noſtrorum orant, & exaudiuntur: aut, quia illa & illa ibi contingunt: aut quia ille frater noſter, aut illa ſoror noſtra, tale viſum vigilans vidit, vel tale viſum dormiens ſomniauit. Remoueantur iſta vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium ſpirituum. Aut enim non ſunt vera quæ dicuntur; aut, ſi hæreticorum aliqua mira facta ſunt, magis cauere debemus: quoniam cùm dixiſſet Dominus, quoſdam futuros eſſe fallaces, qui nonnulla ſigna faciendo etiam electos ſi fieri poſſet, fallerent; adiecit vehementer commendans & ait: *Ecce prædixi vobis.* Vnde & Apoſtolus admonens, Spiritus, inquit, manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus recedent quidam à fide, intendentes ſpiritibus ſeductoribus, & doctrinis dæmoniorum, &c. *l.de vnit. Eccleſ.cap.19.*

§. III.

Donatiſmi progreſſus.

CEterùm hic tantus Donati faſtus, & per multos annos quidlibet audendi ſecuritas, Donatiſtarum vires in immenſum prouexit: quando totius Eccleſiæ in Arianos intenta ſollicitudo, maioribus extinguendis incendiis per Orientem & Occidentem laborabat. Nemo enim fuerat hactenus Catholicorum, qui calamum in eos ſtrinxiſſet: ipſi verò iuxtà eum Donato, non audaciâ tantùm, ſed & libris editis Eccleſiam oppugnabant.

Sanè Gennadius in Catalogo, meminit paullò pòſt Vitellij cuiuſdam, qui Donatianorum ſchiſma defendens, ſcripſit, De eo quod odio ſint mundo Serui Dei; in quo Catholicos, Perſecutorum nomine traducit. & opus alterum contra Gentes: vbi eoſdem velut Traditores in perſecutione diuinarum ſcripturarum inceſſit. *Catal. cap.* 4. Donati quidem Epiſtolam quamdam refutauit Auguſtinus, *l.* 1 *Retract. cap.* 21. Sed nemo, quod ſciam, Vitellium. Quare nihil mirum, ſi tum oblatâ occaſione, tum indulgentiâ Imperatoris vſi, ſeceſſionem ſuam & hæreſim vehementer auxerunt.

§. IV.

Mortuo Conſtantino Liberi ſuccedunt.

Anno 337. HÆc dum aguntur, Conſtantinus Imperator expeditionem moliens aduerſus Parthos, qui ſe in Meſopotamiam effuderant, in ægritudinem incidit: Nicomediamque ad calidas aquas profectus, in itinere decedit, rure Nicomediæ proximo, quod Achyronam vocabant. Incidit mors eius in vndecimum Kal. Iunij, Feliciano & Titiano Coſſ. Imperij trigeſimo primo, ætatis ſexageſimo quinto.

Ampliſſimum Imperium filiis ex Fauſtâ Maximiani Herculij filiâ,

liâ, & Delmatio, ex fratre Anabaliano Nepoti, quem adoptauerat, quoſque antè Cæſares crearat, teſtamento reliquit tripartitò diſtributum. Conſtantinó natu maximo Galliam, Hiſpaniam, & Britanniam tradidit: Conſtantio & Delmatio Orientem: Conſtanti Italiam, Illyricum & Africam.

Regionibus quiſque ſuis, ante Patris obitum præfuêre. Eo defuncto Auguſti facti, eiuſque pietatem imitati, pro gratiarum actione & felici rerum ſucceſſu, regia Eccleſiis donaria atque ornamenta, & in pauperum ſolatium magnam pecuniæ vim contulêre. Et quidem Conſtantius, cùm alibi, tum Antiochiæ, multa & pretioſa donauit, quæ pòſt Iulianus Apoſtata, eique cognominis auunculus Orientis Præfectus, diripuerunt, indignum eſſe dicentes, talibus vaſis Mariæ filio miniſtrari: *Theod.l.3.cap.12.* ſed iuſta vindicta ſacrilegos ſecuta eſt. Cumque donariis eiuſdem plenas per id tempus Eccleſias fuiſſe, teſtatum alicubi reliquerit Athanaſius; *Apol.ad Conſtant.* non fuit minor Conſtantis per Italiam & Illyricum liberalitas, vt neque Africa exierit immunis.

Huc enim magno cum auri pondere, plurimâque veſte pretioſâ, duos quoſdam viros egregios deſtinauit, Paulum & Macarium, Donatiſtarum factione nobilitatos. *Optat. l.3.* Ita nimirùm iam tum implebatur, quod Prophetæ tantò antè prædixerant, Gentium Reges dona Eccleſiæ miſſuros. *Aug. Pſalm. cont. Donatiſt. in fin.*

§. V.

Munera Conſtantis per Paulum & Macarium allata, Donatus ſuperbè reiicit.

Carthaginenſem Eccleſiam eâ tempeſtate, Gratus Epiſcopus Catholicus, Rufi poſt Cæcilianum ſucceſſor, gubernabat: rebus Donatiſtarum præerat in eâdem vt dixi Eccleſiâ Donatus, Maiorini ſucceſſor. Paulus & Macarius in Africam aduenientes, cùm Grato Imperatoria munera donaſſent; vnitatis ſarciendæ cauſsâ, ad quam omnes adhortabantur, nec Donatum prætereundum putarunt. Obtulerunt ergo & illi, quæ Eccleſiæ pauperibuſque, pro ſalute Imperatoris elargiretur. Ipſe,

Ipſe, vt erat ſuperbus & elatus, admirabili furore conuitia Conſtanti, quanta potuit, dixit, his inter alia verbis: Quid Imperatori cum Eccleſia? *Optat. l.3.* Hi verò admirati hominis ferociam, placidè ſe excuſarunt. Ire enim ſe per ſingulas Prouincias: munera apportare: ea offerre Epiſcopis omnibus, ne quis ſe præteritum queri poſſit: eapropter acciperent qui vellent, mitterent qui nollent: nulli ſe vim facere, aut cogere ad accipiendum. Reſpondit Donatus, neque ſe ſuſcepturum ab Imperatore quidquam, neque permiſſurum, vt ſuorum quiſquam vel accipiat tantillum.

Ingrato itaque ac malſano hoc capite relicto, cùm ad alia loca, pro ſuo munere tranſirent; Donatus eos ſuis litteris anteuertens, ad omnes vbique communionis ſuæ Epiſcopos ſcribit, præcipitque, ne quis Legatos iſtos admittat, aut vel minimum ab eis accipiat vel quidquam in locis ſuis dari pauperibus patiatur.

Præmoniti Epiſcopi, rumorem ſpargunt, aduenire Romanorum quoſdam, qui Laureatas noui Imperatoris imagines (eæ in Prouincias mitti ſolebãt, ad quas Imperator ipſe præſens venire non poterat) adorare cogant: Altaribus imponant: in earum conſpectu ſacrificium offerri iubeant. *Optat l.3.* Neque his contenti, nuntios quaquaverſum dimittunt, qui Circumcelliones eorum inuitent, vt venturis Paulo & Macario vias ſiue claudant, ſiue infeſtas reddant: imò ſi poſſint, ſpolient, perimantque.

Huius rei auctor præcipuus erat alius quidam Donatus, Bagaitanus Donatiſtarum Epiſcopus: qui collectis multis furentium millibus, præparauerat competentem annonam, Baſilicâ quâdam velut horreo publico ad eam recondendam, profanum in modum abuſus.

Paulus & Macarius cùm non procul à ciuitate Bagaienſi abeſſent, de inſidiis edocti, militem à Silueſtro Africæ Comite, tutelæ cauſsâ poſtularunt. Præmiſſi ergò menſores, qui venturis militibus hoſpitia deſignarent, ad Bagaienſem ciuitatem vt venere; à Marculo & Donato, Circumcellionum illic ducibus, præoccupati, contumelioſè accepti pulſatique, vix celeri fugâ elabentes, ad ſuos reuertuntur. Hanc iniuriam miles non ferendam ratus, mox ſublatis ſignis, obſiſtentibus nequidquam & renitentibus Præfectis, concito curſu ad deſignatum locum properat: inque multitudinem Circumcellionum, quæ iſtuc conuenerat, inopinatò irruens; totam fundit, diſſipat ac proſternit. Obtriti multi, ſauciati plurimi, neque

pauci

pauci occiſi: atque inter ceteros Marculus & Donatus Bagaienſis, furentium ductores. *Optat. l.* 3.

§. *VI.*

Macariani agnominis origo, & vanitas.

FActum hoc magnam Catholicis apud Donatiſtas inuidiam peperit: qui non tantummodò per id tempus, ſed & poſtea, odiosè admodum clamitarunt, Catholicam Eccleſiam eſſe ſanguinariam: neque enim Eccleſia dici poteſt, quæ cruentis morſibus paſcitur, & Sanctorum ſanguine & carnibus opimatur: *Optat. l.* 2. imò iam non Eccleſiam Catholicam, ſed MACARIANAM vocabant *Aug. Epiſt.* 161. Hinc temporibus Auguſtini ſolebant adhuc Catholicos, Macarianos appellare: & quemadmodum Donatiſtæ à noſtris, Pars Donati; ita noſtri ab illis, Pars Macarij dicebantur, *Epiſt.* 164. *l.* 2. *cont. Petil. c.* 39. & 92.

Sic ſuaues illi, cùm crudelitatem ſuam pluſquàm belluinam explere non poſſent; latrabant contra legitimam & ordinatam poteſtatum ſeueritatem. Verumtamen non erat iuſta cauſſa, infamis appellationis. Nam Donatum, ipſi caput ſibi conſtituerant: eiuſque errores amplexi, ſacrilego ſchiſmate à toto Eccleſiæ corpore, & vniuerſi orbis communione, ſe præciderant. Ipſi à nobis exierant, minimè omnium nos ab eis. Macarius verò quod ab ipſis coactus, ſiue fecit, ſiue fieri permiſit; Catholicæ Eccleſiæ, quæ neque id iuſſit, neque approbauit, quin potiùs damnauit, imputari nullatenus poteſt. Et licet hic eiuſdem nobiſcum communionis fuerit, iuſtè tamen non potuit idcirco nomenclationem dare.

Atque hoc eſt, quod tum Optatus, tum Auguſtinus, cauſſam Macarij ſeu bonam ſeu malam, quia perſonalis erat, ab Eccleſiæ cauſſa ſeparandam, ſedulò inculcant. *Optat. l.* 3. *Aug. Epiſt.* 203. Quo interim ſenſu, de parte Macarij dici poſſint Catholici, declarat Auguſtinus, dum ait: Vos per Sacramentum quod in vobis eſt, ſicut Caiphas Domini perſecutor, neſcientes prophetatis. Quod enim græcè μακάριος, latinè Beatus eſt. Ita planè de parte Macarij ſumus.

Quid enim eſt Chriſto beatius, cuius ſumus? ad quem commemorantur & conuertuntur vniuerſi fines terræ, & in cuius conſpectu adorant vniuerſæ patriæ gentium? *l. 2. cont. Petil. c. 39.*

§. VII.

Donatiſtarum Protomartyres.

VErùm qui tunc aut cæſi fuere aut perempti, in primis Marculum & Donatum (quos Prophetas appellabat Petilianus, *l. 2. cont. Petil. c. 14.*) Martyrum loco habuerunt, & coluerunt: ad Altare nomina eorum inter Martyres recitantes, iurantesque per eadem, tamquam per vnicam religionem. *Optat. l. 3.*

Quin etiam mentiti ſunt, Marculum & Donatum, à Macario præcipitatos fuiſſe: ſed quod nullo colore probabile reddere potuerunt: cùm genus hoc mortis, Romanis legibus nimis fuerit inſolitum. *Aug. Tract. 11. in Io. l. 3. cont. Creſc. c. 49.* Veriſimilius eſt, vel cæſos cum aliis in fugâ fuiſſe, vel ſuapte ſponte in hoc mortis genus ſe dediſſe: Marculum quidem præcipitij de petrâ; Donatum miſſionis ſui in puteum: *Tract. 11. in Io.* Quod eis quàm familiare fuerit, dicturi iterum paullò pòſt ſumus.

Sanè tantâ apud Donatiſtas celebritate, vtriuſque horum Martyrium decantatum eſt; vt aliquando inter Catholicorum Martyrologia, per errorem irrepſerint: Donatus quidem in Romanum, Kalendis Martij; Marculus in Bedæ, 26. Nouembris: at nunc meritò expuncti.

Petilianus interim grauiter in Macarium, tamquam perſecutorem, inuectus, infeliciter periiſſe Deo vindicante commemorat: ſed vbi, quando, per quem, quo mortis genere extinctus ſit, quia dicere non potuit; rectè Auguſtinus figmentum ipſius eſſe coarguit. *l. 2. cont. Petil. cap. 92.*

§. VIII.

§. VIII.

Circumcelliones, qui? quales? eorum arma.

CIRCVMCELLIONES, quorum iam ſæpe meminimus, ab eis originem ducunt, qui latis in Africam Conſtantini aduerſus Donatiſtas legibus, in hæreſi & ſchiſmate obſtinati, quæ ſuprà retulimus deſignare cœperunt. Hi, quia Epiſcoporum ſuorum ſermonibus accenſi, & impatientiâ rabidi, in ſpontaneas mortes, numquam hactenus auditâ væſaniâ, irruebant; quas veluti inſtante perſecutione illatas, ex hæreſis ſuæ diſciplinâ, vt infrà dicemus, volebant eſſe pro Chriſtiano nomine ſuſcepta Martyria; Sancti, ab initio vocati ſunt, eorumque principes, Duces Sanctorum. *Optat. l. 3.*

Primi eius generis & nominis fuerunt, Maxido & Faſer: quos deinde exceperunt Marculus, & Donatus. Agebant turmatim in agris, in iis territantes, & ab iis vacantes; vt adeò agreſte hominum genus nuncupet Auguſtinus: *hær. 69.* in horrendis facinoribus inquietum, ab vtilibus operibus otioſum, crudeliſſimum in mortibus alienis, viliſſimum in ſuis: Victus ſui cauſsâ cellas circumiens ruſticanas, vnde & Circumcellionum nomen accepit: vniuerſo mundo penè famoſiſſimum Africani erroris opprobrium. *l. 1. cont. Gaud. c. 28.* Vocatos etiam Circelliones eâdem de cauſsâ, alibi commemorat: *in Pſ. 132.* Circuitores appellat Philaſter: *hær. 86.* ſed ipſi Donatiſtæ honeſtiori nomine, ab agone, Agoniſticos dixerunt: *Optat. lib. 3. Auguſt. in Pſ. 132.* opinor, quòd vitæ ſuæ prodigi, nullos quamquam crudeliſſimos agones, defendendæ ſectæ, & ambiendæ mortis gratiâ recuſarent: tanto repentè numero aucti, vt nominarentur Exercitus Donatiſtarum. *Aug. l. de geſt. cum Emer.*

Non alia eis ab initio arma, quàm fuſtes: *lib. 2. cont. Petil. cap. 96.* quos (vt ad eos fortè baculos alluderent, qui ſolebant ab Iſraëlitis Phaſe comedentibus, manibus teneri) vocabant Fuſtes Iſraëlis: ferro vel ideo religioſè abſtinentes, quòd Chriſtus defendi contra hoſtes ſuos nolens, præceperit Petro gladium recondere. *Pſ. cont. Donat. litt. M.* Niſi quis fortaſſe malit, vetuſtiſſimum morem Afrorum ſuo-

rum reuocare voluiſſe, qui cum Ægyptiis, ſolis fuſtibus armati, bellum geſſere, teſte Plinio *l.* 8. *c.* 56.

Verumtamen ſignificat non obſcurè Auguſtinus, crudelitatis conſilio fuſtibus potiſſimum vſos: dum percuſſos non occidere ſubitò, ſed grauiter conquaſſare intendunt, vt diutius cruciati tandem & languidi moriantur: quia dum miſericorditer agere volebant, occidebant vtique vno fuſtis ictu. *Pſ. cont. Donat. litt. M.* Quidquid ſit, ferro etiam poſtea armare ſe cœperunt. Cumque iſta fuſtium vetus eorum diſciplina eſſet; adeò mox profecerunt, vt non ſolùm fuſtes tornare, ſed etiam ferrum vibrare, & fundas circumagere didicerint: *lib.* 1. *cont. Parm. c.* 11. *l.* 2. *cont. Petil. c.* 88. *&* 96. terribilia denique omnis generis arma telaque fabricarint, quibus promptiùs duriuſque ſæuirent: quamuis ſæpenumerò fuſtibus tuſos, ferroque conciſos, ſemiuiuos abiicerent, ad immaniorem lanienam. *l.* 3. *cont. Creſc. c.* 42.

§. IX.

Circumcellionum audacia.

EIuſmodi Donatiſtarum emiſſarij, nihil non audebant. Etiam ante Macarij tempora, dum rerum Conſtantinus potiretur, & hunc ſacrilegum Sanctorum gregem Maxido & Faſer ducerent; Nulli licuit, vt inquit Optatus, ſecurum eſſe in poſſeſſionibus ſuis: debitorum chirographa amiſerant vires: nullus creditor illo tempore exigendi habuit libertatem. Terrebantur omnes litteris eorum, qui ſe Sanctorum duces eſſe iactabant: & ſi in obtemperando eorum iuſſionibus tardaretur; aduolabat ſubitò multitudo inſana, & præcedente terrore, creditores periculis vallabantur. Et qui pro præſtitis ſuis rogari meruerant, humiles impellebantur in preces. Feſtinabat vnuſquiſque debita etiam maxima perdere: & lucrum computabatur, euaſiſſe ab eorum iniuriis. Etiam itinera non poterant eſſe tutiſſima. Quot Domini de vehiculis ſuis excuſſi, ante mancipia ſua, dominorum locis ſedentia, ſeruiliter cucurrerunt? Illorum iudicio & imperio, intèr dominos & ſeruos conditio mutabatur. *Optat. lib.* 3.

Similia

Similia narrat Auguſtinus,dum ait: Quis nô Dominus ſeruum ſuum timere compulſus eſt, ſi ad Donatiſtarum patrocinium ſeruus confugiſſet? Quis quemlibet poterat exigere debitorem, auxilium eorum defenſionemque poſcentem? Peſſimorum ſeruorum, vt liberi abcederent, tabulæ frangebantur: extorta debitoribus chirographa reddebantur. Quicumque dura illorum verba contemſerant, durioribus verberibus, quod iubebant, facere cogebantur. Innocentium qui eos offenderant domus, aut deponebantur ad ſolum, aut ignibus cremabantur. Quidam Patresfamilias honeſto loco nati, & generoſo cultu educati, vix viui poſt eorum cædes ablati ſunt: vel vincti ad molam, & eam in gyrum ducere, tamquam iumenta contemtibilia, verbere adacti ſunt. *Epiſt.* 50.

§. X.

Circumcelliones fruſtrà compreſſi. Feminæ iis permixtæ.

DIxiſſes ſolâ ſpe, & libertate latrocinandi, allectos in ſchiſma. Nam cùm Donatiſtarum Epiſcopi, tanti ſuorum furoris inuidiam ſuſtinerent; Taurino tunc Comiti ſcripſiſſe dicuntur, huiuſmodi homines pœnis Eccleſiaſticis corrigi non poſſe. Rogare ſe idcirco, vt oportunis ipſe remediis ſuccurreret, & fanaticos cohiberet.

Nihil erat promtius, quàm ſi vi armatâ obuiàm iretur. Quod dum facit Taurinus, militemque per Nundinas, vbi Circumcellionum furor vagari conſueuerat, ire iubet; plurimos occidit, plurimoſque ſauciauit. Horum mox corpora, tamquam Chriſti Martyrum, in aras ſublata, nonnulli quidem veneratione cultuque proſecuti ſunt: quamuis Epiſcopus quidam Donatiſta, ne ſepeliri quidem in Eccleſiâ permiſit, quod nihilominùs Presbyter Clarius, facere in loco Subbulenſi iam cœperat. *Optat. l.* 3.

Neque enim omnibus etiam Donatiſtis, tanta moriendi cædendique væſania placebat: vbi contrà Circumcelliones, iras animoſque ſumere, vel ab ipſo ferro. Quippe cum deërant à quibus percuterentur; per varias mortes, ſed maximè præcipitiorum ex altorum mon-

tium cacuminibus, & aquarum & ignium, necare ſeipſos conſueuerant: *Optat. eod. l.* & in iſtum furorem, alios quos poterant vtriuſque ſexûs ſeducere. *Aug. hær. 69.* Vt iam non ludus tantùm, ſed lex eſſet, eiuſmodi crudelitas: *Epiſt. 50. l. 1. cont. Gaud. c. 29.* quam conferebant, vt dixi, paſſionibus Martyrum: vt eis propterea pœnarum ſuarum Natalitia celebrarentur, magno conuentu hominum furioſorum. *l. 3. cont. Parm. c. 6.* Et quidem vt antè diximus, præcipitio Marculus, Donatus aquis periit: alios teſtabatur Gaudentius fugiſſe ad compendia caminorum. *lib. 1. cap. 31. & 36. lib. 2. cont. Petil. cap. 71. & 89.*

Iam & cum feminis viros non habentibus, (quæ contra ordinem rerum diuinarum & humanarum, inter illos tamquam Bacchæ bacchantes vagabantur) iocabantur, bibebant diebus noctibuſque: tantaque feruebat ebrietas, vt inde inſaniam quotidianam non ſolùm alios inſectandi, ſed etiam ſeipſos præcipitandi conciperent. *l. 2. cont. Parm. c. 3. l. 2. cont. Petil. c.* 88.

Neque deërat feminis virorum audacia. Quædam enim eorum Sanctimoniales grauidæ, per ſaxa ſe miſerunt: & diſſilientibus vteris, homicidiorum ſcelere, & ſtuprorum ſcelera prodiderunt. *libro 1. cont. Gaud. cap. 36.*

§. XI.

Donatiſtarum facinora Donatiſmum penè ſubuertunt.

QVoniam omne contra eos auxilium à legibus & armis defecerat, nullæ poteſtates ciuiles, nullus officiarius reprimere valebat: vnica extinctorum vindicta erat, quòd propria de illis pœnas poſceret inſania. Nam cùm talia quæ diximus, plurimi in ipsâ ſuperſtitione hæreticâ conſtituti horrerent, & ſuæ innocentiæ ſufficere arbitrarentur, quod ſibi talia diſplicerent; dicebatur eis à Catholicis: Si innocentiam veſtram mala iſta non polluunt; quomodo dicitis orbem Chriſtianum vel falſis, vel certè ignotis Cæciliani peccatis eſſe pollutum? Quomodo vos nefario ſcelere ab Vnitate Catholica,

tamquam

tamquam ab areâ Dominicâ ſeparatis, quæ vſque ad tempus ventilationis, neceſſe eſt vt habeat & frumentum in horreo recondendum, & paleam ignibus conſumendam?

Atque ita quibuſdam ratio reddebatur, vt aliqui ad Vnitatem Catholicam, etiam inimicitias perditorum parati ſuſtinere, tranſirent. Sed plures, quamuis id vellent, eos tamen homines quibus tanta fuerat licentia ſæuiendi, inimicos facere non audebant. Nonnulli quippe illos, cùm ad Catholicos tranſiſſent, crudeliſſimos paſſi ſunt. *Epiſt.* 50.

Hinc quantum nonnullis diſplicebant, qui Conciliis etiam habitis hoc ſe prohibuiſſe & damnaſſe iactitabant, quâ fide neſcio; *l. 3. cont. Creſc. c.* 49. tantùm ab aliis animabantur: qui profectò non habuiſſent per quos regnarent, ſi collatis viribus, Circumcellionica factio plane fuiſſet extincta. *Pſ. cont. Donat. litt. L.*

§. XII.

Durant nihilominus. Aliquot eorum ſpecimina.

DVrauit idcirco non tantùm perditorum in ſe alioſque Catholicos dementiſſima crudelitas; ſed annorum etiam auctu non minimum incrementum ſumſit, vt ex innumeris Auguſtini locis patet, qui plura & atrociora eorum ſcelera vidit, quàm Optatus. Verba eius ſunt: Omnia quæ vel anteriorum litteris didici, vel ipſe cognoui ſæua facta veſtrorum, qui ab initio diuiſionis, vſque ad hoc tempus, Eccleſiam Catholicam perſecuti ſunt, ſi velim retexere; quæ lingua, quis ſtylus, quantum tempus otiumque ſufficiat? *libro 3. contra Creſcon. cap.* 44.

Mutilare alios, alios probè contuſos ſemineces relinquere, occidere ſæpiùs, quotidiana exercitatio erat. Horrendis ſiquidem armati cuiuſque generis telis terribiliter vagando, non Eccleſiaſticam ſolùm, ſed ipſam humanam quietem pacemque turbabant. Nocturnis aggreſſionibus Clericorum Catholicorum domos adeò expilabant, vt nudas atque inanes relinquerent, fructus aridos diſſipa-

diſſiparent, humidos effunderent. Neque ſufficiebat aliquando hos fuſtibus tuſos, ferroque conciſos, ſemiviuos abieciſſe: inſuper nouo & inaudito ſceleris genere, oculis eorum calcem aceto permixto infundentes & infertientes, quos euellere compendio poterant, excruciare amplius eligebant, quàm citiùs excæcare. Nam primò tantùm calce ad hoc facinus vtebantur; ſed poſteaquam illos, quibus hoc fecerant, citò ſalutem recuperaſſe didicerunt, acetum addiderunt. *l. 3. cont. Creſcon. cap.* 42. Denique quo loco regnabant, panem Catholicis coqui prohibebant. *l. 2. cont. Petil. c.* 83.

Vnicus illis finis, ad iterandum Baptiſmum Catholicos cogere; quem per eiuſcemodi terrores, non ſemel extorſerunt.

§. XIII.

Circumcelliones Conſtans Imperator compeſcit, & Donatiſtas proſcribit.

Anno 347. ET quamquam propè infinita ſint eiuſmodi facinora, Auguſtini poſtea æuo patrata, ſicuti & antè; attamen Conſtans Imperator, ſcelere audaciaque Donatiſtarum, quam modò in Paullum Macariumque exercuerant, grauiter commotus: & Grati, opinor, Carthaginenſis Epiſcopi, aliorumque Africanorum, qui poſt annos aliquot ad Concilium Sardicenſe profecti ſunt, relatione, ſuper eiuſcemodi exceſſibus certior factus; Patris ſui Legem, contra eos aliquando latam, ſed pòſt abolitam, recudi iuſſit: quâ Epiſcopos omnes & Clericos Donatiſticæ factionis, exilio multat, Baſilicas aufert, nè quidem conceſſis iis, quas ſeparati & in Schiſmate ſuo conſtituti, erexerant. *l. 1. cont. Parm. c.* 11. Atque hinc illa verba Primiani, apud Carthaginis Magiſtratum, poſtea expreſſa, Quod parentes eorum, Maiores Catholicorum variis exiliis vexauiſſent. *l. poſt. Coll. c.* 16.

Nam & hoc modo Donatus ipſe, Carthagine pulſus eſt: quem ob id poſteri, Eccleſiæ Carthaginenſis ornamẽtum, & Martyrialis gloriæ virum appellarunt: *eod. l. & c.* Atque ita Africa, annis circiter quatuordecim, ab eorum atrocitate immunis fuit, donec aſſumto ad Imperium Iuliano Apoſtatâ, idem è clauſtris & caueis hæreſes laxauit, qui dæmonia in orbem poſtliminiò reduxerat.

§. XIV.

§. XIV.

Leontius & Vrſatius.

SEd quoniam Legum meminimus, quibus hoc tempore compreſſi ſunt; de perſonis ſaltem id dicamus (tametſi non liquet quo iubente) fuiſſe Leontium & Vrſatium: à quibus præter Taurinum, Paulum, & Macarium, querebantur Donatiſtæ iniuriatos eſſe quàm pluplurimos: *Optat. l.* 3. quos perinde more ſuo peſſimè oderint, neque criminari vnquam deſtiterint.

Etenim hinc Petilianus, Cerberus olim forenſis, linguæ calamique ſui virus vehemẽter poſtmodum in eos exſerens, Dei omnes vindictâ pariter periiſſe; & Vrſatium quidem barbaricâ pugnâ proſtratum, ſæuis alitum vnguibus, canumq; morſibus diſcerptum prodidit. At verò quia nihilum vltrà probauit, deque ceteris tacuit; nugas Auguſtinus haud immeritò eſſe reſpondit. *l.* 2. *cont. Petil. cap.* 92.

CAPVT VI.

DONATISTÆ SVB IVLIANO APOSTATA.

§. I.

Iulianus ad Imperium euehitur.

PRoſcriptis interim fugatiſque Donatiſtis, Gratus Epiſcopus Sardicà redux cum ſuis, Synodum Carthagine egit, quæ prima Carthaginenſis appellatur: in qua propter recentem Donatiſtarum ſuperſtitionem, Canone ſecundo vetitum: *Inſaniâ præcipitatos, Martyrum nomine appellare.* Anno 348.

Ee Et

Anno 350. Et quamuis biennio pòſt à Magnentio tyranno Conſtans Imperator, propè Pyrenæos in caſtro cui Helenæ nomen, annos natus triginta, oppreſſus ſit; nihilóminùs induciæ tantiſper, donec Conſtantio Auguſto ex humanis ſublato, anno Imperij vigeſimo quarto, tertio Nonas Octobris, Tauro & Florentio Coſſ. patruelis eius Iulianus (quem à ſexennio circiter adoptarat, Cæſaremque crearat) Imperium non ſolùm ſine ſanguine adeptus eſt, ſed etiam ex voluntate Con-

Anno 361. ſtantij ante mortem, ſi qua fides Ammiano. Conſtantius alioquin Iuliano grauiter ſuccenſuerat, quòd poſt victoriam de Barbaris apud Argentoratum, capto eorum Rege, ſalutari Imperator ab exercitu toleraſſet.

Voti nunc compos Iulianus, impietatem quam puer à Libanio Sophiſta & Maximo Philoſopho, paganis ambobus, Nicomediæ hauſerat, intuſque in corde occultarat, aperire mox cœpit; proiectâque Chriſti religione, Idololatriam amplecti: clauſa Deorum templa reſerare: Idolorum ſacrificia inſtaurare: Chriſtianos callidè atque inſidioſè perſequi, dum litteras docere ac diſcere vetuit: palàm id ſe facturum minitans, vbi confecto bello Parthico rediiſſet.

§. II.

Legatio Donatiſtarum ad Iulianum.

HAnc occaſionem nacti Donatiſtæ, Epiſcopos & Clericos non paucos ad Iulianum mittunt, qui communi nomine Baſilicas, relaxatoque exilio, priſtinam libertatem reſtitui peterent. Inter hos nominatim recenſentur Rogatianus, Pontius, & Caſſianus. *Optat. l. 2. Aug. l. 2. cont. Petil. c. 83. 92. & 97.* Et quidem Pontius tantus olim vir fuit, vt iactantibus Donatiſtis, miraculum fecerit. *Tract. 13. in Io. & l. de vnit. Eccl. ca. 19.*

Eſt autem memorabile, quòd in libello ſuo ſupplice, homini Apoſtatæ adulatione ſacrilegâ blandientes, *Solam apud eum iuſtitiam, locum habere* dixerunt: *l. 2. cont. Petil. cap. 92.* nimirùm apoſtaſiam & idololatriam, iuſtitiam appellantes, & Chriſtianam ſanctitatem non eſſe iuſtitiam, quæ apud illum nullum haberet locum. *l. 1. cont. Parm. c. 12. Epiſt. 48. & 166.*

Eorum

Eorum petitioni Iulianus libenter annuit. non quia vel Donatiſtis, Chriſti religionem profeſſis, admodum faueret; ſed quia hoc modo putaret Chriſtianum nomen poſſe perire de terris, ſi vnitate Eccleſiæ, de qua lapſus fuerat, inuideret: & ſacrilegas diſſenſiones, liberas eſſe permitteret. *Optat.l.2. Aug.Epiſt.166.*

Eadem ſunt quæ recitat Ammianus Marcellinus, rerum Iuliani accuratus ſcriptor, his verbis: Vbi verò abolitis quæ verebatur, adeſſe ſibi liberum tempus faciendi quæ vellet, aduertit, pectoris patefecit arcana: & planè abſolutis decretis aperiri templa, ariſque hoſtias admoueri, & reparari Deorum ſtatuit cultum. Vtque diſpoſitorum roboraret effectum, diſſidentes Chriſtianorum Antiſtites, cum plebe diſſciſſa in palatium intromiſſos monebat, vt ciuilibus diſcordiis conſopitis, quiſque nullo vetante ſuæ religioni ſeruiret intrepidus. Quod agebat ideò obſtinatè, vt diſſenſiones augente licentiâ, non timeret vnanimantem poſtea plebem. *Ita Ammian.l.22.*

§. III.

Iulianus fauet Donatiſtis.

Edictum ergo condit, quo abolitis omnibus quæ contra Donatiſtas lata erant, redditáque omni libertate in integrum eos reſtituit: in quo & preces eorum, & ſupplicantium nomina inſeruit, recitatque illius aliquam partem Auguſtinus: Hoc quoque, inquit, ſupplicantibus Rogatiano, Pontio, Caſſiano, & ceteris Epiſcopis, ſed & Clericis, accedit ad cumulum, vt abolitis quæ aduerſas eos ſine reſcripto perperàm geſta ſunt, in antiquum ſtatum cuncta reuocentur. *l.2.cont.Petil.cap.97.*

Ita eodem tempore ſoluuntur de exilio Donatiſtæ, quo carceribus ſuis Diabolus relaxatur: eodem tempore Donatiſtis Baſilicæ reſtituuntur, quo templa dæmoniis: eodem tempore Schiſmati Donatiſtarum libertas permiſſa eſt, quo & Idololatriæ Paganorum. *Opt.l.2. Aug.Epiſt.166.& lib.2.cont.Petil.cap.83.*

§. IV.

Redeunt in Africam furibundi.

TAlibus litteris armati mox aduolant in Africam: conductâque perditorum hominum, ſiue Circumcellionum, non exiguâ manu, Eccleſias paſſim inuadunt: Epiſcopos & Sacerdotes exturbant: reſiſtentes crudeliter obtruncant, nec plebi etiam Catholicæ parcentes. De quorum numero quidam Felix Diabenſis, & Ianuarius Flumenpiſcenſis, totâ celeritate ad caſtrum Lemellenſe, qui Numidiæ locus eſt, properant: cuius Baſilicam cùm clauſam aduerſus violentiam ſuam reperiſſent; comitibus imperant culmina conſcendere, tecta nudare, tegulas deſuper iacere. Qui extemplò iuſſa complentes, non paucis Diaconis, qui altare defendebant, grauiſſimè ſauciatis, duos ex eis interimunt, Primum Ianuarij, & Donatum Nini filios. *Opt. libr. 2. Auguſt. cont. Petil. cap.* 83.

Neque verò hoc ſe incendium intra Numidiam continuit, ſed longè lateque diffuſum, ipſam quoque Proconſularem prouinciam corripuit: cuius inter ceteras Carporum eſt ciuitas, in qua crudeliſſimas cædes exercuere.

Sed omnem ſuperant immanitatem, quæ per totam Mauritaniam perpetrarunt, in primis ciuitate Thipaſenſi: ad quam Vrbanus Formenſis, & Felix Idicrenſis, Donatiſtarum in Numidiâ Epiſcopi, ſacularum in morem accurrẽtes, cùm illic Præfectos & Officiales furori ſuo accommodos, ac Iuliani fortaſſe impietati ſuffragãtes inueniſſent; Athenio præſide cum ſignis præſente & adiuuante, totam multitudinem Catholicam non de Baſilicis tantùm, ſed de ſedibus etiam ſuis exturbarunt. In quo tumultu & cæde, magna vis hominum oppreſſa & extincta eſt: viri permulti à furentibus diſcerpti: matronæ violenter tractæ: infantes necati: fœtus in vteris matrum extincti.

Et poſtquam in viua Dei templa furorem ſuum effudêre; ad Baſilicas & ſacroſancta illic myſteria, in odium Catholicorum profananda, conuertuntur. Sacratiſſimam Euchariſtiam canibus obiiciunt, ſed non abſque Dei præſente vindictâ. Canes enim in rabiem conuerſi, dominos ſuos tamquam ignotos, inimicos, & latrones, dentibus ſuis laniarunt.

laniarunt. Sacri etiam chriſmatis ampullam, per feneſtram eiecerunt: ſed non defuit Angelica manus, quæ vaſculum inuiſibili ſubuectione illæſum inter ſaxa deponeret. *Optat. l.2.*

Inde reuerſi tot patratis ſceleribus & ſacrilegiis, ne libido impudicitiaque deeſſet, ſacrarum Virginum Monaſteria ingreſſi ſunt, & plurimas ſtupro fœdarunt. Inter hos Felix ſupradictus puellam, cui nuper velum ipſe impoſuerat, quæque ob id patrem eum appellarat, ſacrilego inceſtu violare non eſt veritus. *Optat. l.2.*

Omitto, ne ſim prolixior, exorciſmos & ablutiones parietum Eccleſiarum Catholicarum: Altarium raſuras & confractiones: Calicum Chriſti ſanguinis portatorum, colliquationes & profanas venditiones: ſpoliationes Epiſcopalium & Sacerdotalium honorum: ablationes ſacrorum Codicum, pallarum, & velorum: Cæmiteriorum occupationes, vt non permitterent ſepeliri cadauera Catholicorum; & infinita alia, quæ recenſet Optatus, *l.2. & 6.* candidèque profitetur, omnia quæ ab eis geſta ſunt, ex toto narrari non poſſe. *l.6.*

§. V.

Publica contra eos querimonia.

ADuerſus intolerabiles hoſce furores, cùm publicus clamor crebeſceret; nec Donatiſtarum primores, Thebeſtæ in Concilio congregati, Catholicorum querelas audire vellent, certè diſſimularent; tandem aliquando ad publica iudicia pertrahuntur: vbi neque puduit eos, Iuliani pro ſe conſtitutionem geſtis allegare, ſuamque impietatem prodere. Quæ res compulit eorum temporum iudices, relationem ad Imperatorem mittere, quâ certior de Donatiſtarum furore & immanitate redderetur. *Opt.l.2. Aug. l.2.cont. Petil.cap.92.& 97. & l.1.cont. Parm.c.7.*

Sed nullum erat benignum reſponſum ab impio illo exſpectandum, imò verò nouum crudelius, de publica videlicet perſecutione ſuſcipienda: niſi eam Prouidentia diuina, ſublato tempeſtiuè Chriſtiani nominis hoſte, præuertiſſet. Etenim expeditione contra Parthos ſuſceptâ, cùm inermis, & tamquam victoriæ ſecurus, ex equo

 depu-

depugnaret; telo, incertum vnde miſſo, grauiter ſaucius, inter blaſphemas voces, ſanguinem manu exceptum contra cælum iaciens, paullò pòſt ſacrilegam animam reddidit, VI. Kal. Iulij, ætatis trigeſimo primo, Imperij primo, & ſeptimo menſe diebusque aliquot.

Huius Iuliani Edicti pro Donatiſtis meminit poſtea Honorius Imperator, vt infrà dicemus.

CAPVT VII.

PARMENIANVS ET TICHONIVS DONATISTÆ.

§. I.

Parmenianus Catholicos oppugnat. Eum Optatus Mileuitanus confutat.

Anno 368. DOnato Carthaginenſi mortuo, Parmenianus ſucceſſit, tertius Donatiſtarum Carthagine Epiſcopus. Quod conditionem eius attinet, particulare aliquid prodere voluiſſe videtur Optatus, dum eum peregrinum fuiſſe ait: & ideò quædam contra ſuos per ignorantiam ſcripſiſſe, aut falsò audiuiſſe narrari. *l.1.& 3.* Exiſtimo id dicere, quòd nouus homo fuerit, neque Schiſmatis myſteriis penitus imbutus, cuiuſmodi ſolent peregrini appellari. Huc enim aduocare, quæ de peregrina communione veteribus quibuſdam Conciliis continentur, & variis commentationibus obnoxia ſunt; ſuperuacaneum puto.

Certum eſt, Donati prædeceſſoris ſui veſtigiis inſiſtentem Parmenianum, nouis libellis hæreſim ſuam armaſſe: &, ne ventoſè ac nudè vt ceteri loqueretur, quidquid ſentire potuit, non ſolùm dixit; ſed etiam in ſcripturâ digeſſit. Vnicus illi ſcopus Eccleſiam Catholicam (quam apud ſe ſolos remanſiſſe Donatiſtæ volebant, in omnibus aliis defeciſſe) tractatibus ſuis pulſare. *Optat.l.1.*

Verum

Verùm ne diutiùs minùs aſtuti ac ſimplices, fucatis Parmeniani ac ſociorum eius ſermonibus ſeducerentur, Optatus Mileuitanus in Numidia Epiſcopus (cuius meminit Auguſtinus, *l.1.cont.Parm.c.3.& l.2. de Doct. Chriſt. cap.* 39.) obuiam iuit: teſtatus ſe illi reſcribere & reſpondere, vt ſit inter abſentes quædam veluti collatio. Ac multos quidem deſideraſſe, vt ad eruendam veritatem, partium conflictus haberetur; ſed Donatiſtas & acceſſum prohibuiſſe, & aditus intercluſiſſe, & conſeſſum vitaſſe, & colloquium denegaſſe. Itaque non niſi per litteras cum iis agi potuiſſe. *Optat. l.1.* Anno 370.

Porrò tempus quo Optatus ſcripſit, eſt Damaſi Pontificatus initium circiter: cuius ipſe meminit in Catalogo Romanorum Pontificum, quem edit idcirco, vt oſtendat Donatiſtarum Eccleſiam, Catholicam non eſſe: quia nimirùm haud communicet cum Romanâ, *eod.l.* Nam quod in eo Catalogo, Siricius poſt Damaſum ponitur, exiſtimat Baronius poſt Balduinum, à librario qui Optatum poſtea deſcripſit, adiectum: quia ſedes Siricij, non incidit in Valentiniani & Valentis Imperium, quo ſcripſiſſe Optatum teſtatur Hieronymus *l.de Script. Eccl. cap.* 110.

Scripſit autem primùm Libros ſex, vt patet ex ſingulorum argumento, quod libro primo proponit: ſed poſt addidit ſeptimum. Vt nihil ſit mirum, ſi Hieronymus ſuprà ſeptimum non ediſſerat. Sanè quemadmodum Optatus, vitâ & morte ſanctè obitis, id meruit, vt faſtis Eccleſiaſticis adſcriberetur die IV. Iunij; ita hoc opus ipſius non apud Catholicos ſolùm, ſed etiam Donatiſtas, habitum eſt in fide & æſtimio: vt qui poſtea probare ex eo conati ſint, Cæcilianum à Conſtantino fuiſſe damnatum, cuius rei tamen nullibi meminiſſe Optatum patet ex Auguſtino *Coll.3. cap.*20.

Atque hæc cauſſa fuit, cur Optatum, ſimul atque editus extitit, Donatiſtæ, vt erant impudentes, corruperint ac propè diſcerpſerint: collocantes quod prius erat, poſterius, & contrà: donec tandem plurium operâ, ac præſertim Franc. Balduini reſtitutus, emendatior correctiorque legeretur.

§. II.

Parmeniani plures errores.

CEterum à Donati faſtu & vanitate non omninò ſe fuiſſe alienum & degenerem filium, vt Parmenianus oſtenderet; proteſtatus eſt aliquando cum fiducia, Maledictionibus ſuis ad mortem ſe homines compuliſſe: *Optat.l.*3. &, vt eiuſdem præceſſoris ſui errores ſequeretur; Chriſti Carnem malè tractauit: dicens illam peccatricem; & Iordanis demerſam diluuio, ab vniuerſis ſordibus eſſe mundatam, &c.*Opt.l.*1.

§. III.

Tichonius Donatiſta αὐτοκατάκριτος, ſiue, ſeipſum condemnans.

POſt Optatum Tichonius Donatiſta, homo & acri ingenio præditus, & vberi eloquētiâ, totius Schiſmatis fundamenta vehementer concuſſit. Etenim omnium Sanctarum paginarum vocibus (vt loquitur Auguſtinus) circumtuſus, euigilauerat: videbatque Eccleſiam Dei iam toto orbe diffuſam, ſicut de illâ tanto antè per corda & ora Sanctorum præuiſum atque prædictum erat.

Hoc percepto, ſuſcepit aduerſus ſuos demonſtrare, nullius hominis quamuis ſceleratum & immane peccatum, præſcribere promiſſis Dei: nec id agere quorumlibet intra Eccleſiam conſtitutorum quamlibet impietatem, vt fides Dei de Eccleſiâ futurâ, & diffundendâ vſque ad terminos orbis terræ (quæ in promiſſis Patrum retenta, & tunc exhibita erat) euacuaretur.

Quod dum vehementer copioſeque diſſereret, & ora contradicentium multis ac manifeſtis ſanctarum Scripturarum teſtimoniis oppilaret; obſeruauit repentè Parmenianus, quod Tichonium prçterierat, conſe-

conſequens hinc eſſe, eos in Africâ Chriſtianos, à quibus ſe Donatiſtæ ſeparauerant, pertinere ad Eccleſiam toto orbe diffuſam, cui communione iungebantur: ſe verò ſolos extra eandem errare, à quâ ſponte exiiſſent. *Aug. l. 1. cont. Parm. cap. 1.*

Neque verò ſolius Scripturæ ſententiis hoc ſuum dogma Tichonius aſſerebat: ſed, cùm eſſet, teſte Gennadio, in Eccleſiaſticis negotiis ſtudioſè exercitatus; etiam ex ipſius Donatiſmi rudimentis, & habitis ſub initium Synodis. Deuterium enim Macrinenſem Epiſcopum, Traditorum plebem Eccleſiæ miſcuiſſe: ipſumque Donatum poſt hoc factum, iugiter Deuterio communicaſſe. *Epiſt.* 48. Quod tamen factum pugnabat ex diametro cum dogmate Donatiſtarum, qui rebaptizari volebant eos qui à Catholicis ad ſe tranſibant, priuſquàm ſibi miſcerentur.

Quapropter Tichonius pluribus inter Donatiſtas ſchiſmatibus, quæ paullò pòſt ſuſcitata ſunt, videtur aut occaſionem dediſſe, aut clauſtra laxaſſe: quando nimirum præſidentiam ipſius imitati alij, licet eſſent ratione inferiores, audaciâ nihilominùs pares eſſe voluerunt. Et quamuis Tichonius, vt diximus, contra Donatiſtas ipſe Donatiſta inuectiſſimè ſcripſerit; illic tamen inuentus eſt abſurdiſſimi cordis, vbi eos non omni ex parte relinquere voluit. *lib. 3. de Doct. Chriſt. cap. 30.*

Fecit & Tichonius librum, quem Regularum vocauit, quia in eo quaſdam ſeptem regulas executus eſt, quibus quaſi clauibus diuinarum Scripturarum aperirentur occulta. Recenſet illas atque examinat Auguſtinus loco citato, eiuſque libri principium ponit, quod ſic habet: *Neceſſarium duxi ante omnia quæ mihi videntur, libellum regularum ſcribere, & ſecretorũ Legis veluti claues & luminaria fabricare,* &c. qui totus etiamnum exſtare dicitur, tom. 15. Bibliothecæ Patrum: eiuſdemque meminerunt Caſſiodorus præfat. in Pſalmos, & Iſidorus de ſummo bono. Et quamquam fateatur eas regulas, ſicuti à Tichonio traduntur, non parum adiuuare ad penetranda, quæ tecta ſunt diuinorum eloquiorum; vt propterea id opus elaboratum atque vtile appellet: indicat tamen non omnia quæ ita ſcripta ſunt, vt non facilè intelligantur; poſſe his regulis inueniri, ſed aliis modis pluribus: quos numero reregularum ſuarum ſeptenario adeo non eſt complexus Tichonius, vt ipſemet multa exponat obſcura, in quibus ſuarum regularum adhibet nullam, ſicuti ibidem Auguſtinus oſtendit. *l. 3. de doct. Chriſt. c. 30.*

Quapropter dum Tichonius dixit de Regulis ſuis: *Sunt quædam Regulæ myſticæ, quæ vniuerſæ Legis receſſus obtinent, & veritatis theſauros aliquibus inuiſibiles faciunt. Quarum ſi ratio Regularum, ſine inuidiâ, vt communicamus accepta fuerit, clauſa quæq; patefient, & obſcura dilucidabuntur*, &c. Si dixiſſet, inquit Auguſtinus: Sunt quædam regulæ myſticæ, quæ nonnullos legis receſſus obtinent; aut certè, quæ legis magnos receſſus obtinent, non autem quod ait, *vniuerſæ legis receſſus*; neque dixiſſet, *clauſa quæq; patefient*, ſed, clauſa multa patefient; verum dixiſſet, neque in ſpem falſam Lectorem miſiſſet, &c. Quod ideo dicendum, inquit, putaui, vt liber ipſe & legatur à ſtudioſis, quia plurimum adiuuat ad Scripturas intelligendas; & non de illo ſperetur tantùm, quantùm non habet: cautè ſanè legendus eſt, non ſolùm propter quædam, in quibus vt homo errauit; ſed maximè propter illa, quæ ſicut Donatiſta hæreticus loquitur. *eod. l. & cap.*

Ceterùm Tichonius, dum in explicandâ ſuâ regulâ Tertiâ laborabat, in eam opinionem incidit, quam poſtea Semipelagiani partem ſuarum hæreſeon fecerunt. Diſputans enim de Fide & Operibus, Opera nobis dixit à Deo dari merito fidei: ipſam verò Fidem ſic eſſe à nobis, vt nobis non ſit à Deo. Nec attendit Apoſtolum dicentem: Pax fratribus, & charitas cum fide, à Deo Patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto. Sed non erat expertus hanc hæreſin, quæ noſtro tempore, inquit Auguſtinus, exorta; multum nos, vt gratiam Dei quæ per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſt, aduerſus eam defenderemus, exercuit; & ſecundum id quod ait Apoſtolus: *Oportet & hæreſes eſſe, vt probati, manifeſti fiant in vobis*; multò vigilantiores diligentioresque reddidit, vt aduerteremus in Scripturis ſanctis, quod iſtum Tichonium minùs attentum, minusq; ſine hoſte ſollicitũ fugit, etiam ipſam ſcilicet Fidem, donum illius eſſe, qui eius menſuram vnicuique partitur, &c. *l. 3. de doct. Chriſt. cap.* 33. Ex quo patet, quàm longè fuerit progreſſus in libris de Doctrina Chriſtiana, tum, cùm ad omnium Retractationem perueniſſet: quandoquidem eos cùm reperiſſet imperfectos, tunc ſe perfeciſſe dicat. *l. 2. Retract. cap. 4.* quod hic in tranſitu annotare volui: & ipſemet aperit ibidem.

Alia plura Tichonij enumerat Gennadius in Catalogo *cap.* 18. meminitque eiuſdem Primaſius, prologo in Apocalypſin: quam dum Tichonius exponere conatur, quædam reſpuenda ſubiunxit, quædam verò venenoſi dogmatis ſui fæculenta permiſcuit, inquit Caſſiodorus

l. diu.

l. diu. lect. cap. 9. Sed neque Auguſtinus omiſit meminiſſe operis Tichonij in Apocalypſin, *l. 3. de doct. Chriſt. cap.* 30. quod tametſi Nicolaus Zegerus eſſe putet, quod continetur Appendice Tomi IX. ſub titulo Expoſitionis in Apocalypſin; eatenus tamen haud videtur, quatenus non reperiuntur ibi, quæ ex Tichonij libro refert Auguſtinus *l. cit. de doct. Chriſt.*

§. IV.

Tichonium litteris Parmenianus monet.

VIſo Tichonij errore, Parmenianus ſectæ ſuæ ſatagens, malenſque cum ceteris Donatiſtis ſumere obſtinatiſſimum animum aduerſus apertiſſimam Tichonij veritatem, quàm eâ conceſsâ ſuperari ab Africanis Eccleſiis, quæ illius vnitatis, quam Tichonius aſſerebat, communione gauderent, vnde ſe ipſe ſeparaſſet: primò eum per epiſtolam velut corrigendum putauit. Reprehendit autem, quòd Eccleſiam prædicaret toto orbe diffuſam, admonetque ne id facere audeat. Deinde hortatur in fine epiſtolæ, vt in parte Donati permaneat, & perſecutiones perferat, dicens *non ſe debere voluntate coniungi eis, quibus perſecutione cogente, non iuncti ſunt*; adhibens etiam teſtimonium Scripturæ dicentis: *Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam, & diuerterunt in vias prauas*: more ſuo cuncta de diuinis libris aduerſus ſeipſos proponentes. Poſtea verò ex Concilio eorum Tichonium perhibet damnatum. *l. 1. cont. Parm. cap. 1. & l. 3. cap. 6.*

§. V.

Litteras Parmeniani Auguſtinus refellit.

HAnc Parmeniani Epiſtolam, quoniam in manus ipſius inciderat, Auguſtinus poſtea petentibus, imò iubentibus fratribus, confutandam ſumpſit: eâ potiſſimùm de cauſsâ, quòd quædam maximè

mè de Scripturis teſtimonia, non ſicut accipienda ſunt, Parmenianus accepiſſet. Præſtitit autem Tribus libris: in quibus quæſtio magna verſatur & ſoluitur, Vtrùm in vnitate & eorumdem communione Sacramentorum, mali contaminent bonos? &, quemadmodum non contaminent, diſputatur: propter Eccleſiam toto orbe diffuſam, cui calumniando ſchiſma Donatiſtæ fecerant. *l.1.cont.Parm.cap.1. & l.2. Ret. cap.17.*

Cùm verò Optatus, quod contra Parmenianum refellendum ſumſerat, Tractatus illius vocet, vt ſuprà vidimus: hoc autem Auguſtinus Epiſtolam; patet vtique vnius & alterius diuerſum argumentum fuiſſe.

CAPVT VIII.

DONATISTÆ INTER SE DIVISI.

§. I.

Donatiſtarum inter ſe ſchiſmata Donatiſmum labefactant.

SIcut Donatus Chriſtum diuidere conatus eſt; ſic Donatum à ſuis quotidianâ conciſione diuidi, præclarè ab Auguſtino dicitur. *l. de Agon. Chriſt. cap.29.* Etenim hoc temporè circiter, adeo inter ſe committi cœperunt; vt nouo ſchiſmate ſuum ſchiſma diſtraherent, alteraque pars alteram veluti diſcerperet. Ita nimirum in Donato complebatur, quod eſt apud Euangeliſtam, In qua menſurâ menſi fueritis, in eâ remetietur vobis; &, Qui gladio percuſſerit, gladio morietur. *l. de agon Chriſt. cap.29.*

Separauerat ſe à totius orbis communione, eòdemque cœtum ſuum Schiſmaticus induxerat; cùm ecce de ipſius præciſione, vt Auguſtinus

guſtinus ait, alij præciſi: *Epiſt.64.* (fruſtum de fruſto: *l.1.cont. Parm. cap.4.* pars de parte: *Epiſt.48.* ſchiſma de ſchiſmate) minutatim ſecti conſciſſique, cùm cohærere non poſſent, diſperire cœperunt, qui tumorem animoſitatis ſuæ, Catholicæ pacis ſanctiſſimo vinculo prætulerant.

Vt autem plurimas omninò partes Donatiſtarum fuiſſe, ſed non vulgo notas, ſignificat *Epiſt.48.* ita frequentiùs meminit ROGATISTARVM & MAXIMIANISTARVM. Rariùs enim VRBANISTAS nominat, qui erant in quadam Numidiæ particulâ: *lib.4.cont. Creſc.cap.60.* & à Claudio quodam CLAVDIANISTAS, quorum meminit *Conc.2 in pſalm.36.& l.4.cont. Creſc.cap.9.* licet inter ſe omnes pugnaciſſimi, tamquam Cadmei fratres, mutuis ſe vulneribus conficerent. Quilibet autem ſicut Eccleſiam & Baptiſmum ſibi vindicabat; ita alteri ibat ereptum: contendebatque, quantò pauciores erant, tantò ſinceriores ſe Donatiſtas eſſe. *l.1.de bapt.cap.6.*

Fatendum interim eſt, præter eas quas nunc diximus partes, grandiorem vnam, veluti ceterarum fontem remanſiſſe: quæ tametſi multitudinis ſuæ nullum aut exiguum ſenſit detrimentum; *hær.69.* attamen PRIMIANISTARVM nomine poſtea innotuit. Cùm igitur & Satanas in ſeipſum eſſet diuiſus, regni ſui mox ruituri indicium dedit.

§. II.

Schiſma primum Rogati.

PRimi Rogatiſtæ, cùm omnes adhuc vno ſimul Donatiſtarum conſortio tenerentur, *l.1.cont. Parm.cap.10.* ſeceſſionem fecerunt. Auctor eorum Rogatus Maurus: atque ob id per Mauritaniam Cæſarienſem ſparſi: numero tam exigui, vt breuiſſimum fruſtum, de fruſto maiori præciſum nuncupet Auguſtinus: *Epiſt.48.* Cauſſa ſeceſſionis incerta: quamque nullo loco, quod ſciam, Auguſtinus prodidit. Epiſcopus aut Presbyter Cartennenſis fuiſſe videtur: quandoquidem ibidem Vincentius ſederit, Rogati in eodẽ ſchiſmate ſucceſſor: cui tum decem circiter qui remanſerant, adhærebant. *eád.Epiſt.*

Rogatiſtæ autem quamquam Donatiſtis ceteris mitiores viderentur, quia cum Circumcellionum immaniſſimis gregibus non ſæuiebant, imò ne velle quidem ſæuire ſe dicebant; attamen Auguſtinus arbitrabatur non potuiſſe. Sæuire, inquit, vos nolle dicitis, ego non poſſe arbitror: ita enim numero eſtis exigui, vt mouere vos contra aduerſarias vobis multitudines non audeatis, etſi cupiatis. *Epiſt.*48.

Nam quod Rogati, horum coryphæi, indolem ingeniumque attinebat; peruicaciâ non ceſſiſſe ceteris, inde colligit: quòd contra Euangelicam ſententiam: *Si quis tibi voluerit tunicam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte illi & pallium*; de neſcio quibus rebus ſuorum, acerrimâ perſeuerantiâ, etiam forenſi diſputatione, conflixerit. *ibid.*

Deinde, Quod hæreticis omnibus in more poſitum eſt, reliquis videri meliores voluerunt: adeo vt dicerent, In ſe ſolis reperturum Filium hominis fidem, cùm venerit: neque enim in terrâ ſe, ſed in cælis eſſe deputandos: *eâd. Epiſt.* vt idcirco non fruſtra fortaſſe à poſteris Cælicolæ appellati ſint.

Nam ſi Donatiſtarum aliorum grex non audiebatur, quia nullum pro Eccleſiâ apud ſe Scripturæ ſacræ locum citabant; quantò minùs audiendi erant Rogatiſtæ, qui ne illud quidem pro ſe interpretari poterant, quod ſcriptum eſt: *Vbi paſcis, vbi cubas in meridie?* Si enim per meridiem, intelligatur in parte Donati Africa, quæ ſub cælo feruentiori plaga eſt; non eam occupabant Rogatiſtæ. Ipſa verò Mauritania Cæſarienſis (quæ erat adeo Occidentali, quam Meridianæ parti vicinior, vt ne quidem Africa appellari vellet) nullatenus poterat de meridie gloriari.

Quod ſi autem ſolâ ſuâ auctoritate, & abſque vllo ſacræ Scripturæ luculento teſtimonio, ſeparare ſe, tamquam aliis meliores, à toto Eccleſiæ corpore volebant; vnde obſecro ſciebant, nullos ante ſe alios exſtare, in tanta mundi Chriſtiani vaſtitate, qui ſe iuſtâ de cauſsâ (quamquam id fieri non poſſit) priùs à toto Eccleſiæ corpore ſeparaſſent? &c. *Epiſt.* 48.

§. III.

§. III.

Rogatiſtas reliqui Donatiſtæ perſequuntur.

RELiquum igitur Donatiſtarum corpus, cùm Rogati factionem ægerrimè ferrēt, in officio eos cōtinere, ſæculari auctoritate decreuerunt. Per id tempus Valentiniano & Valente Imperantibus, Firmus Maurus, Nubelis Mauritaniæ Regis filius, fratre Zammâ latenter interemto, cùm ob id Comitem Africæ, Romanum nomine, cui Zamma fueret acceptus, infeſtum haberet; metuens ne tamquam pernicioſus & contumax damnatus occideretur, vbi aduertit defenſionis ſibi aditum à Romano præcludi; ab Imperij ditione deſciuit, & Mauritaniæ regnum tyrannus occupauit. Hiſtoriam deſcribit *Ammianus Marcellinus l.29. Oroſ. l.7.c.33. & Paull. Diac. l.12.*

Hàc occaſione vſi Donatiſtæ, per barbarum Regem, Rogatum eiuſq; aſſeclas in Mauritaniâ Cæſarienſi ſæuiſſimè & acerbiſſimè perſecuti ſunt: *l.1. cont. Parm. cap.*10. *&* 11. (adeo vt vocarentur à Rogatiſtis Firmiani, ſicuti Catholicos appellare Macarianos ipſi conſueuerant: *Epiſt.*164.) nihil non agentes, vt eos ad gremium ſuum redire compellerent, aut ſæuitiam vindictâ ſaturarent. Durauit ea perſecutio tantiſper, donec Theodoſius ſenior, contra Firmum à Valentiniano in Africam cum exercitu miſſus, perduellem Imperij pluribus præliis fractum, ad vitam laqueo finiendam compulit: Rogato, qui Firmo ſuperſtes, in ſchiſmate permanente.

Per id tempus qui Rogatiſtarum Cæſarienſis Epiſcopus erat, cum Firmo tyranno ſuorum incolumitatem pactus, portas ei aperuit: atque in vaſtationem non Catholicos tantùm, ſed vniuerſam ciuitatem dedit. *Epiſt.* 164. Quanto autem tum incendio Cæſarea fœdata ſit, loquitur Ammianus, *lib. citato, & Oroſ l.7.cap.*33.

Quapropter hoc Donatiſtarum factum, non deſierunt eis Catholici obiicere, quoties ipſi criminari Catholicos ſolebant, & accuſare perſecutionis, cùm ad coërcendas eorum inſolentias, & Circumcellionum ſæuitiam, Imperatorum auctoritatem implorabant. Certè enim neque ipſi, quod nihilominùs iactabant, ſola portare Euangelia

conſue-

conſueuerant : *Conc. 2. in pſalm. 36.* Niſi fortè exiſtimarent partem Euangelij eſſe, aut Idololatriam Iuliani, aut Firmi tyrannidem, aut eius qui deinde pòſt ſecutus eſt, Gildonis : per quem perſequi Rogatum, minimè deſtiterunt. *l. 2. cont. Petil. cap. 83.*

§. IV.

Vincentius Rogati in ſchiſmate ſucceſſor.

ROgato mortuo, Vincentius in ſchiſmate ſucceſſit. Is olim adoleſcentem Auguſtinum Carthagine nouerat, dum adhuc Rogatus inter mortales ageret. Cumque videret, eò eſſe deuentum temporis lapſu, vt paſſim Imperatoriis legibus Donatiſtæ punirentur, ac debitis legitimiſque pœnis ad Vnitatem Catholicam adducerentur; expoſtulādum ſibi duxit ſuper hac re cum Auguſtino, per litteras: quem antea nouerat quietis auidum & appetentem, ſuppliciorum ac pœnarum inimicum.

Verumtamen Vincentio eleganter reſpondens Auguſtinus, docet aliquando eius ſe animi ſententiæque fuiſſe, vt arbitraretur cum hæreticis nullâ vi, ſed ſolo Dei verbo agendum: verùm aliorum opinionibus, & exemplis ſuperatum, mutaſſe ſententiam : iamque arbitrari, Leges Principum rectè implorari aduerſus hoſtes fidei; modò id fiat, non vindicandi, ſed corrigendi ſtudio.

Alia ſunt, quæ contra Vincentium egregiè pertractat. Idque in primis vaniſſimum eſſe oſtendit, quod Eccleſiam ſuam Vincentius Catholicam diceret: Catholicæ nomen non ex totius orbis communione, ſed ex obſeruatione præceptorum omnium diuinorum, atque omnium Sacramentorum, interpretatus. Quaſi nimirum, ſi fortè hinc ſit appellata Catholica, quòd totum veraciter teneat, (cuius nonnullæ particulæ, etiam in diuerſis inueniuntur hæreſibus) Catholici huius nominis teſtimonio nitantur, ad demonſtrandam Eccleſiam in omnibus gentibus; & non promiſſis Dei tam multis, tamque manifeſtis oraculis ipſius veritatis. *Epiſt. 48.*

Et quamquam hæc Auguſtini reſponſio, abundè ſufficiat ad euertendam confutandamque Vincentij rationem, quâ ſuo, tametſi exiguo

guo cœtui, Eccleſiæ Catholicæ nomen vindicabat, vti patet ex lib. de Vnit. Eccleſiæ, in quo reſponſionem ſuam contra Petilianum latiùs exſequitur: attamen Vincentius Lirinenſis eo libro quem conſcripſit aduerſus profanas hæreſeon nouitates, præter vniuerſitatem præceptorum Diuinorum, & Sacramentorum omnium, longè aliud requiri, vt Eccleſia Catholica ſit, oſtendit: putà, vt teneamus quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.

Hoc eſt enim, inquit, verè propriéque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè vniuerſaliter comprehendit: atque ita demùm ſit; ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem vniuerſitatem, hoc modo: ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarũ confitetur Eccleſia. Antiquitatem verò ita, ſi ab his ſenſibus nullatenus recedamus, quos ſanctos maiores ac Patres noſtros celebraſſe, manifeſtum eſt. Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipsâ vetuſtate, omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur. *ita Vinc. Lirinenſ.* Fuiſſe verò hæc apud nullos Donatiſtas, nimis quàm manifeſtum eſt.

§. V.

Vincentius Victor, itidem Rogatiſta.

EX eâdem Rogatiſtarum ſectâ fuit Vincentius Victor: tanto Vincentium iam dictum Rogati ſucceſſorem, affectu proſecutus; vt eius nomen ſuum voluerit eſſe cognomen. Hic licet ad vnitatem Catholicam, relicto ſchiſmate aliquando rediiſſet; non tamen adeò depoſuerat Vincentij priſtinam venerationem, quin eum ſibi, neſcio quâ viſione apparuiſſe iactaret, atque ita adiuuiſſe duos illos libros, quos contra Auguſtinum edidit, De Anima & eius origine, conficere; vt, quantum ad ea quæ ſcribenda forent, res ipſas rationeſque ipſe dictaret. Quibus perinde viribus imaginationis Vincentij Victoris inductus Auguſtinus; dubitat, veróne an fictè ad Catholicos ſit conuerſus. Videri poteſt *l. 3. de Anima & eius Orig. c. 2. & l. 1. c. 2. & 3.*

§. VI.

Imperatoriæ leges contra Donatiſtas.

Anno 373. VTi autem hæc poſtea euenerunt; ita ſub id tempus, quo debellatus eſt Firmus, Valentinianus Imperator Legem eam tuliſſe videtur, quæ ſic habet: Antiſtitem qui ſanctitatem Baptiſmi, illicitâ vſurpatione geminauerit, ſacerdotio indignum cenſemus. Dat. Treuer. Kal. Martij, Valentiniano & Valente I V. Augg. Coſſ. *l. 1. ne ſanct. bapt. iter. Cod. Theod.* Quæ lex cùm data ſit ad Iulianum Africæ Proconſulem, non alios equidem, quàm Donatiſtas inceſſit.

Anno 377. Idem quadriennio pòſt Gratianus fecit, ſanctione ad Flauianum Africæ Vicarium, quæ exſtat *l. 2. ne ſanct. bapt. iter. Cod. Theod.* Coſſ. Gratiano Auguſto I V. & Merobaude. X V I. Kalend. Nouemb. locaque Catholicorum, tempore Firmianæ tyrannidis à Donatiſtis occupata, reſtitui mandauit.

Anno 392. Gratianum imitatus Theodoſius Imperator, non tantùm in exſtirpandis Paganis, ſed & hæreticis, quem habebat zelum Catholicæ religionis, oſtendit. Cuius exſtat inter alia Reſcriptum illud celebre, Dat. XVII. Kalend. Iulij, Conſtantinopoli Arcadio Aug. II. & Ruffino Coſſ. cuius toties meminit Auguſtinus, & præſertim *Epiſt.* 50. dum ait: Quod eo modo fieri aliquatenus poſſe arbitramur, ſi Legem piiſſimæ memoriæ Theodoſij, quam generaliter in omnes hæreticos promulgauit, vt quiſquis eorum Epiſcopus vel Clericus vbilibet eſſet inuentus, decem libris auri multaretur; expreſſiùs in Donatiſtas ita confirmarent, &c. nec non *Epiſt.* 68. *& l.* 3. *cont. Creſc. c.* 47. Exſtatque *l.* 21. *de hæret. Cod. Theod.*

CAPVT

CAPVT IX.

PRIMIANVS ET MAXIMIANVS.

§. I.

Noui Donatiſtarum inter ſe Schiſmatis origo.

PArmeniano, de quo ſuprà, ſucceſſit Primianus, quartus Donatiſtarum Carthagine Epiſcopus: ſub quo ſchiſma pullulauit multò maximum, quod ab eius Diacono Maximiano, Maximianiſtarum nomen habuit. Cœpit Presbytero adhuc Auguſtino, pauculis annis priuſquam ad Epiſcopatum aſſumeretur, viuente iam tum Imperatore Theodoſio; plurimoſque ſecum Donatiſticæ factionis Epiſcopos traxit.

Primam autem illam Donati factionem vti ſub initium Lucilla conflauit, (de qua Hieronymus, dum & aliarum hæreſum feminas obſtetrices enumerat: Donatus per Africam, inquit, vt infelices quoſque fetentibus pollueret aquis (alludens ad Baptiſmum, quem iterabat) Lucillæ opibus adiutus eſt; *ad Cteſiph.*) ita & eam de qua hîc agimus, à feminâ neſcio quâ conflatam eſſe, teſtatur Auguſtinus, *Epiſt.* 162.

Iam verò Maximianus, perhibebatur Donati fuiſſe propinquus: *eâd. Epiſt.* vt mirari poſſimus, partem eius non eſſe veritum diſtrahere. Poſſimus etiam non mirari; ſi quod ſanguine maiores fecerunt, imitati poſteri ſequantur. Propterea quippe, veriores ſe Donatiſtas dicebant Maximinianiſtæ, quia maiorum ſuorum veſtigia reapſe ſecuti ſunt. *Conc.* 2. *in Pſalm.* 36. Neque enim ſtare diu certo loco ſententiâque hæreſis poteſt. Quantis per idem tempus Ariani, poſt Donatiſtas exorti, ſeceſſionibus partium & opinionibus ſciſſi fuerint, nemo ignorat. Adeò certum eſt quod ante diximus, Catholicæ Ec-

cleſiæ nomen, non tam doctrinæ, quàm temporis & conſensûs, vniuerſitatem complecti.

Maximianiſtarum Schiſmatis initium ſic habet. Maximinianus Diaconus Carthaginenſis in parte Donati, merito ſuperbiæ ſuæ, vti Primianus putabat, adeò grauiter offenderat; vt eum duxerit excommunicandum. Excommunicatus ipſe à Primiano perrexit ad Epiſcopos vicinos: quibus cùm integritatem ſuam expoſuiſſet; concitauit inuidiam Primiano, atque eum deinde apud illos accuſauit. *l. de Geſt. cum Emer.*

§. II.

Maximianus Primianum accuſat.

ACcuſationis multa erant & magna capita: vt patebit ex Epiſtolâ, quam congregata Epiſcoporum contra Primianum Synodus ſcripſit. Eæ tum Epiſtolæ Afris *Tractoriæ* vocabantur, quas Synodicas alij, ſiue Encyclicas, aut publicas appellauêre.

Conuenerunt igitur Cauernis Suſis (loco vt apparet adeò vicino Carthagini, vt Carthagine conueniſſe ſæpiculè Auguſtinus narret) quinquaginta tres Epiſcopi. Totidem enim Tractoriam ſignauerunt: adeoque mendum eſt, aut memoriæ lapſus, vbi tantummodò referuntur quadraginta tres. *libro* 4. *cont. Creſcon. cap.* 6. *&* 7.

Hi vbi audito Maximiano conſederunt, qui ſe innocentem, & Primianum iniquiſſimum eſſe conteſtabatur: *l.* 3. *cont. Creſc. c.* 40. ne quid temerè aut calidè facerent, partem alteram audire decreuerunt. Mittunt ad Primianum legatos, eumque euocant ad Synodum. Contemnit Primianus. Mittunt iterum ac tertiò: vt ſi ad eos ipſe venire nolit; ipſos ad ſe venire permitteret. Recuſat vtrumque: ac contumaciæ ſuperbiam iungens, eos qui miſſi fuerant, iniurioſâ repulſione faceſſere à ſe iubet.

Quare congregati Antiſtites, neceſſarium quidem iudicarunt, in perſonis ſuis Eccleſiaſticam auctoritatem & diſciplinam tueri. Attamen nondum audentes vltimum præcipitare iudicium; quodam præiudicio

iudicio, conſulere Primiano voluerunt: vt, ſi cauſſæ ſuæ fideret, ſequente celebriori Concilio, reſpondendi ſeſeque purgandi locum haberet. *l.4. cont. Creſcon. c.7.* Conceſſo igitur ad reſipiſcendum termino, has è Synodo litteras ediderunt.

§. III.

Primianus è Synodo Carthaginenſi damnatur.

SAnctiſſimis Fratribus atque Collegis, per vniuerſam Africam, " hoc eſt per Prouinciam Proconſularem, Numidiam, Mauritaniam, Byzacenam & Tripolin conſtitutis, ſed & Presbyteris, Diaconis, & vniuerſis plebibus, in veritate Euangelij nobiſcum militantibus, Victorinus, Fortunatus, & Victorianus, Migginus, Saturninus, Conſtantius, Candorius, Innocentius, Creſconius, Florentinus, Saluius, alius Saluius, Donatus, Geminius, Prætextatus, Maximianus, Theodorus, Anaſtaſius, Donatianus, Donatus, alter Donatus, Pomponius, Pancratius, Ianuarius, Secundinus, Paſchaſius, Creſconius, Rogatianus, alius Maximianus, Benenatus, Gaianus, Victorinus, Guntaſius, Quintaſius, Felicianus, Saluius, Migginus, Proculus, Latinus, & ceteri qui in Concilio apud Cauernas Suſis in Domino æternam ſalutem. "

Nemo eſt qui neſciat, Fratres dilectiſſimi, de Sacerdotibus Domini, non propriæ voluntatis, ſed diuinæ legis impulſu, tam in reos ſententiam dicere, quàm innocentibus inflictam, iure ab eis ac meritò debere ſubmouere. Non leui enim periculo ſubiacebit, quiſquis aut reo pepercerit, aut innocentem confutare pertentarit: maximè cùm ſcriptum ſit: *Innocentem & iuſtum non occides:* &: *purgatione non purgabis reum.* "

Hoc igitur edicto legis admoniti, neceſſe nos fuerat Primiani cauſſam, quem plebs ſancta Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopum fuerat in ouile Dei ſortita, ſeniorum litteris eiuſdem Eccleſiæ poſtulantibus, audire atque diſcutere ſub eo, vt explanatis omnibus aut innocentem, quod optabile fuerat purgaremus, aut nocentem certè oſten-

„ deremus ſuis meritis eſſe damnatum. Optatiſſimum enim nobis fuit, „ vt plebs ſancta Carthaginenſis Eccleſiæ, eo ſe lætetur Epiſcopo ſublimatam, qui in omnia ſanctus, & in nullo reprehenſibilis haberetur. „ Propterea vtique talem eſſe oportet Domini Sacerdotem, vt quod „ populus pro ſe apud Deum non valuerit, ipſe pro populo mereatur „ quod popoſcerit impetrare: quia ſcriptum eſt, ſi peccauerit populus, „ orabit pro eo Sacerdos: ſi autem Sacerdos peccauerit, quis ora- „ bit pro eo?

„ Scandala igitur Primiani, & ipſius nequitia ſingularis, ſic in ſe cæ- „ leſte iudicium prouocauit, vt horum criminum auctorem neceſſe „ eſſet penitus amputari: qui recens ordinatus, Presbyteros ſupra- „ dictæ plebis ad coniurationem impiæ conſpirationis impellens, hoc „ ab eis velut precario iure poſtulauit, vt ad damnandos quatuor Dia- „ conos, viros egregios, ac ſingularibus meritis approbatos, Maximia- „ num ſcilicet, Rogatianum, Donatum, itemque Salgamum, conſen- „ tirent, & incunctanter ei promitterent accommodare conſenſum.

„ Cuius illi malâ præſumptione ſtupefacti cùm rem ſilentio refelliſ- „ ſent, per ſe cogitatum ſcelus non dubitauit implere, vſqueadeò vt „ in Maximianum Diaconum, virum ſicut omnibus notum eſt inno- „ centem, ſine cauſſa, ſine accuſatore, ſine teſte, abſentem ac lecto cu- „ bantem, ſententiam putaret eſſe promendam: quia iam pridem Cle- „ ricos non diſſimili furore damnarat.

„ Nam cùm inceſtos, contra legem decretaque omnium Sacerdo- „ tum, communioni ſanctæ adiungeret: cumque obſiſtente maximâ „ parte plebis, etiam ſeniorum nobiliſſimorum litteris conueniretur, vt „ per ſe corrigeret quod admiſerat; ſuâ temeritate poſſeſſus, emendare „ contemſit. His itaque permoti ſeniores Eccleſiæ ſupradictæ, ad vni- „ uerſum chorum litteras legatoſque miſerunt, quibus non ſine lacry- „ mis deprecati ſunt, vt ad ſe feruentiùs veniremus: quo perpenſo li- „ bramine intentionibus exploratis, exiſtimatio Eccleſiæ purgaretur.

„ Ad hanc proinde, cùm ſecundùm memoratorum litteras venire- „ mus; notâ ſuâ ille ratione feruescens, aduentum noſtrum penitùs „ declinauit. Qui vſquequaque rebelli animo recalcitrans in malo „ permanſit, vt, conductâ multitudine perditorum, atque impetratis „ officialibus, Baſilicarum ianuas obſediſſent, qui ingrediendi nobis „ atque agendi ſollemnia interdicerent facultatem. Hæc ſi Epiſcopum „ conuenit facere, ſi Chriſtianis licet admittere, ſi hoc Euangelia pro-

teſtantur;

teſtantur; probet aut iudicet, quiſquis amator aut aſſertor eſt veritatis. Hoc enim nobis inflixit frater aliquando proprius, quod numquam faceret alienus.

Decreuimus omnes Sacerdotes Dei, præſente Spiritu ſancto, hunc eumdem Primianum (Primò quia ſuper viuos Epiſcopos, alios ſubrogauit: quòd inceſtos cum ſanctorum communione miſcuerit: quòd Presbyteros ad coniurationem in eâdem conſtringere pertentarit: quòd Fortunatum Presbyterum in cloacam fecerit mitti, cùm ægrotantibus baptiſmo ſuccurriſſet: quòd communionem Demetrio denegauit, vt cogeret filium abdicare: quòd idem Presbyter obiurgatus ſit, quòd Epiſcopos hoſpitio ſuſcepiſſet: quòd ſupradictus Primianus multitudinem miſerit, quæ Chriſtianorum domos euerteret: quòd obſeſſi ſunt Epiſcopi ſimul & Clerici, & poſtea ab eius ſatellitibus lapidati ſunt: quòd in Baſilica cæſi ſunt ſeniores, quòd indignè ferrent Claudianiſtas ad communionem admitti: quòd innocentes Clericos putauerit eſſe condemnandos: quòd ſe nobis audiendum noluerit exhibere, cum Baſilicarum fores ne ingrederemur, multitudine & officialibus intercluſerit: quod legatos à nobis ad ſe miſſos iniuriosè reiecerit: quod loca multa vi primò, dehinc auctoritate iudiciariâ vſurpauit: præter alia illicita eius admiſſa, quæ pro honeſtate ſtili noſtri ſiluimus) à Sacerdotali choro perpetuò eſſe damnatum: ne eo palpato, Dei Eccleſia aut contagione, aut aliquo crimine maculetur. Quod ipſum Paulus Apoſtolus exhortatur & admonet, Præcipimus autem vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt diſcedatis ab omni fratre, inordinatè ambulante: atque adeò non immemores puritatis Eccleſiæ, conducibile exiſtimauimus, omnes ſanctos conſacerdotes & omnes Clericos, & omnes populos qui ſe Chriſtianos meminerunt, hac noſtra Tractoria commonere, vt omnes eius communionem, vtpote damnati, diligenti cura horreant. Ipſe enim de ſuo interitu rationem reddet, qui hoc noſtrum decretum non audiendo tentauerit violare.

Placuit ſanè nobis & Spiritui ſancto, quod tempus tardis ad conuertendum reſeruetur ſub eo, vt quicumque conſacerdotum vel Clericorum ſuæ ſalutis immemores, à die damnationis ſupradicti Primiani, id eſt à die Kalendarum Iuliarum, vſque ad diem octauum Kalendarum Ianuariarum, minùs à Primiani damnati communione receſſerint, tali ſententiâ conſtringantur: Laïci quoque niſi ſe à ſupradicto

manca 39-40

populo deſereretur, neque aliorum plurium Epiſcoporum amitteret communionem. Quapropter Maximianiſtæ inceperunt repentè, veluti ſi hoc vnicum ſchiſmatis myſterium atque indicium eſſet, baptizatos rebaptizare: *l.1.cont.Petil.cap.12.* aliaque opinor omnia iterare.

§. V.

Damnatus Primianus cogit Bagaienſem Synodum.

Atqui perpetrato nouo hoc ſchiſmate, grauiſſimè licet indignatus Primianus, nullam tamen prouocationis vocem ad tertium iudicium iniecit: *l.4.contr. Creſc.cap.7.* Sed cùm Prouinciæ Proconſularis, Byzacenæ, & Tripolitanæ plures Epiſcopos, Maximiani ſchiſma ſequi vidiſſet; *l.de Vnit. Eccl. cap. 3.* optimum exiſtimauit à Numidis & Mauris auxilium petere. Anno 394.

Hi Concilium contrahunt in Ciuitate & Eccleſiâ Bagaitanâ, Epiſcoporum omnium aut propè omnium ſectæ ſuæ, ex omnibus Africæ prouinciis, trecentorum & decem. *l.3.contra Creſc.cap.43.* eorum videlicet, quos nondum Maximianus præoccupauerat. Factum id Coſſ. Arcadio III. & Honorio iterùm.

Apud hos, quos ſibi iudices Primianus priuatâ auctoritate adierat & conſtituerat, *Enarr.2.in pſalm.36.* (Maximiano per nullos Legatos, ad iudicium citato, quemadmodum à Maximiani parte pluries ipſe citatus fuerat: *l.4. cont. Creſc. cap.7.* multoque minùs audito) cùm ſe purgaſſet; inter iudices aſſumtus, ſedit: tantumque effecit, vt Concilium in abſentes diceret ſententiam: ipſeque antè damnatus, contra omnem iuris ordinem alios cum ceteris damnaret. *Enarr.2 in pſa.36.*

Sententiam, quæ in damnatos, Maximianum alioſque, magno animi verborumque faſtu lata eſt, nullibi quidem totam ſimul recitat Auguſtinus; ſed diuerſis locis diuerſas eius pro re nata partes: quas in vnum compingemus, vniuerſamque exhibebimus.

§. VI.

Sententia Concilij Bagaienſis, contra Maximianum & ſocios.

» CVm omnipotentis Dei, & Chriſti eius Saluatoris noſtri volun-
» tate, ex vniuerſis Prouinciis Africæ venientes, in Eccleſia ſancta
» Bagaienſi Concilium gereremus, Gamalius, Primianus, Pontius, Se-
» cundianus, Ianuarius, Saturninus, Felix, Pegaſius, Rufinus, Fortunius,
» Criſpinus, Florentius, Optatus, Donatus, Donatianus & ceteri nume-
» ro trecenti & decem; Placuit Spiritui ſancto, qui in nobis eſt, pacem
» firmare perpetuam, & ſchiſmata reſecare ſacrilega. *lib. 4. cont. Creſcon.*
» *cap.* 10.

» Licet enim viperei ſeminis noxios partus, venenati vteri alueus
» diu texerit: & concepti ſceleris vda coagula, in aſpidum membra tar-
» do ſe calore vaporauerint; tamen conceptum virus, euaneſcente vm-
» braculo, celari non potuit. nam etſi ſerò, publicum tamen facinus &
» parricidium ſuum, fœta ſcelerum vota pepererunt. Quod antè præ-
» dictum eſt: *Parturiit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Sed
» quoniam ſerenum iam fulget è nubilo nec eſt confuſa criminum ſilua,
» cùm ad pœnam deſignata ſunt nomina. Indulgentiæ enim antehac
» fuerat: dum clementiæ dimittimus lineam, inuenit cauſſa quos puniat.
» *Lib. de Geſt. cum Emer.*

» Optata quidem pacis & concordiæ eſt iuncta germanitas, ſicut
» ſcriptum eſt: *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt inuicem:* ſed veridicâ vndâ in
» aſperos ſcopulos nonnullorum naufraga proiecta ſunt membra, Æ-
» gyptiorum admodum exemplo, pereuntium funeribus plena ſunt lit-
» tora: quibus in ipſa morte maior eſt pœna; quòd poſt extortam aquis
» vltricibus animam, nec ipſam inueniant ſepulturam. *lib. 4. cont. Creſc.*
» *cap.* 16.

» Loquamur, Chariſſimi fratres; ſchiſmatis cauſſas: quia iam non
» poſſumus tacere perſonas. MAXIMIANVM fidei æmulum, verita-
» tis adulterum, Eccleſiæ Matris inimicum, Dathan, Chore & Abiron
» miniſtrum, de pacis gremio ſententiæ fulmen excuſſit: & quod adhuc
eum

eum dehiſcens terra non abſorbuit, ad maius iudicium ſuperis reſer- “
uauit. Raptus enim pœnam ſui compendio lucrauerat funeris, vſuras “
nunc grauioris colligit fœnoris, cùm mortuus intereſt viuis. *l. de Geſt.* “
cum Emer. “

Nec ſolum hunc ſceleris ſui mors iuſta condemnat. Trahit etiam “
ad conſortium plurimos catena ſacrilegij, de quibus ſcriptum eſt: *Ve-* “
nenum aſpidum ſub labiis eorum, quorum os maledictione & amaritudine ple- “
num eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem: contritio & infelici- “
tas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non eſt timor Dei ante oculos “
eorum. Nollemus quidem tamquam proprij corporis ſecare iuncturam; “
ſed quoniam tabeſcentis vulneris putredo peſtifera plus habet in ab- “
ſciſſione ſolaminis, quàm in remiſſione medicaminis; inuenta eſt cauſ- “
ſa ſalubrior, ne per cuncta membra peſtilens irrepat virus, vt com- “
pendioſo dolore natum decidat vulnus. *eod. l.* “

Famoſi ergo criminis reos, Victorianum Carcabianenſem, Mar- “
tianum Sullectinum, Beianum Baianenſem, Saluium Auſphenſem, “
Theodorum Vſulenſem, Donatum Sabratenſem, Miggenem Ele- “
phantarienſem, Prætextatum Aſſuritanum, Saluium Membreſita- “
num, Valerium Melzitanum, Felicianum Muſtitanum, & Martialem “
Pertuſenſem, qui funeſto opere, perditionis vas ſordidum collectâ fæ- “
culentiâ glutinarunt: *l. 3. cont. Creſ. cap.* 53. ſed & Clericos aliquando “
Eccleſiæ Carthaginis, qui dum facinori interſunt illicito, inceſtui “
præbuerunt lenocinium, Dei præſidentis arbitrio, vniuerſalis Con- “
cilij ore veridico, damnatos eſſe cognoſcite. Eos autem quos ſacrile- “
gi ſurculi non polluêre plantaria, hoc eſt, qui à Maximiani capite, “
proprias manus verecundo fidei pudore retraxerunt, ad matrem Ec- “
cleſiam redire permiſimus. *l. de Geſt. cum Emer.* “

Placuit tamen decreto Concilij, dilationem temporis dari, intra “
quod ſi quis corrigi voluiſſet, innocens haberetur. *l. 4. cont. Creſc. cap.* 34. “
Quantum enim de reorum morte purgamur; tantùm de innocentium “
reditu gratulamur. *eod. l. c.* 35. “

Ac ne anguſtum redeuntibus tempus, ſpem ſalutis arctatæ diei “
preſſura ſubducat; agnoſcentibus quibuſlibet longè manentibus, præ- “
cedentibus ſtatutis vniuerſis, vſque ad diem octauum Kalendarum “
Ianuarij proximè futurarum, agnitionis pandimus ianuam, vt inte- “
gri honoris ac fidei, regreſſi habeant fundamenta: quam ſi quiſquam “
ingredi nequiuerit pigrâ ſegnitie; ſciat ſibi ad omnes veniales aditus, “

„ ſuâ voluntate viam eſſe ſubductam. Manebit enim circa eos dicta ſententia,& poſt præſtitutum diem redeuntibus fixa pœnitentia. *l.4.cont. Creſc. cap.* 4.

„ Coſſ. Arcadio III. & Honorio iterum Auguſtis, octauo Kalendas Maij, poſt Conſulatum Theodoſij Auguſti III. *l.3.cont. Creſc.cap.*56.

§. VII.

Primianiſtarum contra Maximianiſtas hoſtilitas.

AVctor ſiue dictator huius ſententiæ Emeritus fuit, Epiſcopus Cæſarienſis: *l. de geſt cum Emer.* Quæ cùm in Concilio decernenda recitata eſt; ore lætiſſimo omnes acclamauerunt: partim gauiſi, quòd tam eſſet diſerta; partim quòd in ea ſchiſmaticis ſuis tam inſigniter inſultaſſent. *l 1.cont.Petil. cap.*10. *&* l.4. *cont.Creſc.cap.*41. Poſtquam verò conſenſu omnium publicata eſt;magnis illicò animis damnatos perſequi cœperunt.

Ante omnia miſſo aliquo Legato Epiſcopo Carthaginem, Primianum reſtituerunt in ſuam ſedem, vnde fuerat deiectus. *l.4.cont. Creſc. cap.*47. Ac deinde ad Baſilicam Maximiani conuerſi, quam non Baſilicam, ſed ſpeluncam vocabant; concitato grege ſuorum, euertendam curarunt. *l.3.cont.Creſc.cap.*59. *& l.4.cap.*46. Neque his contentus Primianus, Maximianum propriis ædibus, mandatâ procuratione vt in Exorciſterium Eccleſiaſticum conuerterentur, extruſit: *l.4.cont.Creſc. cap.* 47. Fruſtrà Maximiano geſta duorum Conciliorum pro ſe allegante. *Enarr.2. ſpal.*36.

Talibus initiis plures è Maximianiſtis territi, intra diem dilationis priſtinis ſe ſociis Eccleſiæque Donati reddiderunt,ideoque recepti ſunt ab iis, tamquam purgati atque innocentes: *l.4.cont. Creſc.cap.*30. alij animum obſtinarunt,neque,vt ad Primianum redirent,induci potuerunt. Itum idcircò ad Proconſules: qui licet à Chriſtianis Imperatoribus conſtituti, erant nihilominùs Pagani. *l.2. cont. Petil. cap.*58. Apud hos non tantùm inductum Concilium Bagaienſe, in quo fuerant

rant à trecentis & decem Epiſcopis damnati; *l.1.cont.Parm.cap.11.* verumetiam, cùm ſe Catholicos eſſe Primianiſtæ mentirentur, *Enarr. in pſal.57.* allegatę ſunt leges aduerſus hæreticos, quibus iubebantur Baſilicis ſui expelli: *lib.2.cont.Petil.cap.58* mox impetratæ iuſſiones: eiſdemque iuſſionibus exſequendis, officiorum & ciuitatum auxilia; vt illi qui fuerant damnati, locis & Baſilicis quas hactenus cum populis ſibi cohærentibus perpetuâ poſſeſſione retinuerant, proturbarentur. *l.4.cont.Creſc.cap.47.*

Hiſce moleſtiis quidam facilè ceſſerunt, neque multa paſſi ſunt: qui autem reſiſtere tentauerunt, grauiſſimè ſunt afflicti. *l.1.cont.Parm.c.11.* Nonnulli enim, populi ſibi fauentis præſidio, expugnari haud facilè poterant: alij cùm defendere ſe non poſſent, victi ſunt. In eorum locum qui victi ſunt & expulſi, alij ordinati ſunt. *l.de Geſt. cum Emer.*

§. VIII.

Saluium Membreſitanum Maximiani aſſeclam perſequuntur Primianiſtæ.

SAluius Membreſitanus vir ætate grauis, cui Primianus Reſtitutum ſurrogarat, cùm eiuſmodi perſecutionis exagitationibus perſuaderi non poſſet, vt ad Primiani à ſe damnati conſortium rediret: ſciret autem aduerſarios ſuos, legibus contra hæreticos promulgatis vti non poſſe apud Iudicem, niſi etiam ſeipſos pariter eis irretirent; maluit ſe committere examini, & perſecutoribus ſuis Proconſulari iudicio reſpondere. Anno 395.

Res acta eſt apud Seranum Proconſulem, & cauſſa vtrimque diſcuſſa: proſequente contra Saluium pro Reſtituto, Nummaſio aduocato, vt Primiani communioni Membreſitana Eccleſia traderetur. Allegabat Nummaſius, Saluium è Maximiani ordinatoribus vnum, Bagaienſis plenarij Concilij decreto eſſe damnatum: adeoque hæreticum cedere debere loca omnia, quæ tamquam Epiſcopus tenebat, Reſtituto: aut certè ad Primianum redire.

Nihil Saluio profuit, quodcumque contra induxit. Apud Seranum

Proconſulem plus aut gratia Primiani valuit, aut Bagaienſis vnius Concilij auctoritas; quàm duorum quæ Maximianiſtæ priùs egerant. Quam ob rem interlocutione quâdam, iuſſit Saluium aut ad Primiani communionem redire, iuxta Nummaſij poſtulationem; aut quodcumque tenebat, Reſtituto cedere; his vſus verbis: *Lis Epiſcoporum ſecundùm legem ab Epiſcopis audienda eſt. Epiſcopi iudicauerunt. Quare non aut ſub ſatiſfactione ad chorum reuerteris vetuſtatis: aut vt habes ſcriptum, terga perſecutoribus prodis?* Ita Seranus ad Saluium: præbens vtique conſilium de Euangelio, Si vos perſecuti fuerint, fugite. *l. 4. cont. Creſc. cap. 4. & 48. Epiſt.* 255.

Condemnatus Saluius, cùm penè ab omnibus Membreſitanis diligeretur; turbæ ſibi fauentis fiduciâ, pro defendendis ex quantacumque parte ſedibus ſuis, Proconſulis iudicato obſiſtere eſt auſus, neque extemplò parere. Quapropter aduerſarij ipſius, cùm Abitinenſibus (quæ ciuitas Membreſæ vicina eſt in Prouincia Proconſulari) latam contra Saluium ſententiam allegaſſent; ita demum egerunt, vt eam ipſi exequerentur.

Comprehenſus ab Abitinenſibus Saluius, non iam ſolùm de Eccleſiâ ſuâ pulſus eſt; ſed miſerabili pompâ ludibrio habitus. Capto enim ſeni mortuos canes alligauerunt in collo, & ſic cum illo ad turpes voces cantioneſque, quantùm libuit, ſaltauerunt. O ſingularem inſolentiam, cùm & ſenex Saluius eſſet, & haberetur Epiſcopus: imò inhumanum factum, quodque magis exſuperat id Tuſcorum Regum, qui viuis hominibus cadauera humana iungebant, quantò mortui canes, mortuis hominibus fœdiores ſunt. Adeò vt ſi Saluio de duobus ſuppliciis vnum fuiſſet eligendum; longè potiùs elegiſſet hærere cum cadaueribus humanis, quàm ſaltare cum caninis. *l. 4. cont. Creſc. cap.* 49. *& l. 3. cont. Parm. cap.* 6.

Priuari interea Eccleſiâ ſedibuſque ſuis, & pati hæc omnia potuit Saluius, neque tamen ad Primiani communionem redire. Ita enim egit cum ſuis: ita iuſtitiam extulit, pro qua talia perpeti meruit: ita ſe ſanctum perſuaſit, quia paſſus eſt: ita aduerſarios iniquiſſimos, quia fecerunt; vt alteram ei Baſilicam miſeri fabricarint. *l. 3. cont. Parm. c.* 6. In qua dum ſedet, nouis ab antagoniſta Reſtituto moleſtiis affectus eſt. Is quippè propter cellulas & agellos, veteres opinor, cum Saluium præſentem tolerare non poſſet; forenſi cum eo ſtrepitu controuerſiaque iterùm conflixit. *l. 4. cont. Creſc. cap.* 66. vt videas cardinales Donatiſtas,

natiſtas, quales Primianiſtæ appellari meruerunt, *l.1.de bapt.cap.6.* non tam perſecutionem pati, quàm facere aliis conſueuiſſe.

§. IX.

Item Prætextatum Aſſuritanum & Felicianum Muſtitanum.

QVæ Nummaſius aduocatus contra Saluium, apud Proconſulem induxerat, eadem Titianus apud eundem allegauit contra Prætextatum Aſſuritanum, & Felicianum Muſtitanum, duos adhuc Maximiani ordinatores: adeò vt eos Proconſul cedere pariter, latâ ſententiâ iuſſerit. *l.4.contr.Creſc. cap.4. Epiſt.* 255. Verùm & illi ciuium ſuorum fauore freti, cùm Baſilicas ſuas ſtrenuè defenderent, pelli minimè potuerunt. Quapropter noua apud Herodem Proconſulem, qui & Seranus appellabatur, à Titiano aduocato, nomine Peregrini Presbyteri & Seniorum Eccleſiæ Muſtitanæ, facta poſtulatio eſt: cuius partem ex geſtis Proconſularibus & municipalibus recitat Auguſtinus, his verbis.

" Poſt conſulatum Dominorum Arcadij III. & Honorij iterùm Auguſtorum, ſexto Nonas Martias, Carthagine in Secretario Prætorij Titianus dixit: Peregrinus Presbyter & Seniores Eccleſiæ Muſtitanæ regionis, tale deſiderium proſequuntur. Cùm Eccleſiæ Catholicæ ſanctitatem vir memoriæ venerabilis ab errore perfidiæ Donatus aſſereret; in eius nomen & cultum, mundi penè totius obſeruantia nutrita coaluit. Sed cùm eius religionis laudandum mirandumque propoſitum, Maximiani cuiuſdam venena pollueret; multorum cœtus Antiſtitum in vnum Deo conſpirante collectus, hominem vel potius peſtem, quæ ſupernæ diſplicuit Maieſtati, etiam puræ mentis propriâ coercitione damnauit.

" Eos quoque, quos alienæ præſumptionis error attraxerat, portu primò propoſito pœnitendi, ſi reuerti cuperent intra tempus ad religionis tramitem præſtitutum, pari vigoris admonitione compeſcuit. Sed

„ Sed ſuis inſtitutis iniquitas delectatur, & ſemetipſam non deſerit, cùm „ ſemel præcipitata corruerit. Idem namque Maximianus cœptam nu„ trit audaciam, & alios ſibimet conſociat ad furorem.

„ Inter quos etiam Felicianus quidam, qui primò recta ſectatus, „ deprauationis huius attaminatione fuſcatus, in Muſtitana poſitus ci„ uitate, Deo omnipotenti parietes conſecratos, & Eccleſiam veneran„ dam quaſi quadam obſidione credidit retinendam.

„ Hunc etiam Prætextatus, in Aſſuritanis partibus imitatur. Sed „ cùm æquitatis tuæ innoteſceret poteſtati conſortium Sacerdotum; „ iuſſiſti, vt geſta teſtantur, explosô omni contradictionis effectu, ſacra„ tiſſimis Sacerdotibus, à profanis mentibus Eccleſias vindicatas, opor„ tere reſtitui. *l 3 cont. Creſc. 56.*

Et ita quidem Titianus inſtabat, ſed caſſo effectu. Durauit enim conflictus iſte, perſiſtentibus in ſuis Baſilicis Prætextato & Feliciano, vſque ad Theodorum Proconſulem, hoc eſt vſque ad anni alterius diem vndecimum Kalendas Ianuarij. *libr. 3. cont. Creſc. cap. 56.* Atque ita à partibus Primiani aduerſus Maximianum, & eos qui cum illo Bagaienſi Concilio damnati fuerant, apud quatuor vel ampliùs Proconſules, in foro per aduocatos litigatum eſt: vbi tamen numquam, vel antè vel pòſt, voluerunt veritatis & vnitatis cauſſâ cum Catholicis pacificè conferre. *libr. 4. contr. Creſcon. cap. 3.*

Vt hoc verò non prætercam, Prætextato in Eccleſia Aſſuritana ſubſtitutus eſt Rogatus; cui poſtea ad Catholicam conuerſo, Donatiſtarum exercitus, id eſt, agmen Circumcellionum, linguam & manum præcidit. *l. de geſt. cum Emer.*

CAPVT

CAPVT X.

OPTATVS GILDONIANVS DONATISTA.

§. I.

Africa tyrannidem Gildo occupat.

MOrtuo Imperatore Theodoſio, decimoſeptimo Kalendas Februarij eiuſdem anni; Gildo Africæ Comes, tyrannidem ibidem occupauit. Erat is Firmi Mauritianæ tyranni, de quo antè, frater, quem Theodoſius Imperator (fortè quia Romanas partes ſub Theodoſio ſeniore contra Firmum ſecutus, ſtrenuè fideliterque ſe geſſerat) Comitem, & vtriuſque militiæ in Africa Magiſtrum creârat. Sic enim appellatur in Reſcripto, quod ad eum Theodoſius Imperator dedit, tertio ſuo Conſulatu, exſtatque *l. 9. ad l. Iul. de Adult. cod. Theod.* *Amm. Marc. l. 29.*

Erat tum Comes, titulus aulici officij (non dynaſtiæ, ſicuti hodie paſſim per Europam) à comitatu Principis dictus: vt propè tot eſſent Comites, quot erant in Aulâ ſiue Comitatu munia. Atque hinc Sacrarum largitionum Comes: Domeſticorum equitum Comes: Caſtrenſis & Sacri Palatij Comes: &c. imò & Comes portûs, Comes riparum, & aluei Tiberis, cloacarum, &c. Videndus Pancirolus ad Notitiam Imperij. Quapropter iuriſdictionem in populos nullam Comites habebant.

Verùm Gildonianæ perduellionis hiſtoriam, quia multiplicibus euentis memorabilis eſt, non grauabor Oroſij, qui tunc vixit, verbis dare.

Interea, inquit, Gildo Comes, qui in initio regni eorum (Arcadij & Honorij) Africæ præerat, ſimul vt defunctum Theodoſium com-

perit, ſiue vt quidam ferunt, quâdam permotus inuidiâ, Africam Orientalis Imperij partibus iungere molitus eſt: ſiue, vt alia tradit opinio, minimam in paruulis ſpem fore arbitratus (præſertim cùm abſque his, non facilè anteà quiſquam pupillus in Imperio relictus, ad maturitatem virilis ætatis euaſerit; iſtique propemodum ſoli inueniantur, quos ob egregiam Patris & ſuam fidem, & diuiſos & deſtitutos Chriſti tutela prouexerit) Africam excerptam à ſocietate Reipublicæ, ſibi vſurpare auſus eſt, gentili magis licentiâ contentus, quàm ambitu regiæ affectationis inflatus.

Huic Maſcezil frater fuit, qui nouarum rerum molitiones in fratre perhorreſcens, relictis apud Africanam militiam duobus filiis adoleſcentibus, in Italiam rediit. Gildo & abſentiam fratris, & præſentiam filiorum eius ſuſpectam habens, adoleſcentes dolo circumuentos interfecit. Ad hunc, iam vt hoſtem bello inſequendum, Maſcezil frater miſſus eſt: quem idoneum procurandæ Reipublicæ fore, propriæ orbitatis recens dolor pollicebatur.

Igitur Maſcezil, iam inde à Theodoſio ſciens, quantùm in rebus deſperatiſſimis oratio hominis per fidem Chriſti, à clementia Dei impetraret; Caprariam inſulam adiit: vnde ſecum ſanctos ſeruos Dei aliquot permotos precibus ſuis ſumſit: cum his, orationibus, ieiuniis, pſalmis dies & noctes continuans, ſine bello victoriam meruit, ac ſine cæde vindictam.

Ardalio fluminis nomen eſt, quod fluit inter Thebeſtam & Metrideram ciuitates: vbi cum parua manu, hoc eſt cum quinque millibus, vt aiunt, militum, contra ſeptuaginta millia hoſtium, caſtra metatus: cùm interiectâ morâ excedere loco, oppoſitaſque præiacentis vallis anguſtias tranſgredi vellet; intercurrente nocte beatum Ambroſium Epiſcopum Mediolani, paullò antè defunctum, per ſomnium ſibi videre viſus eſt, ſignificantem manu, & impacto ad humum ter baculo, dicentem: Hic, hic, hic. Quod ille prudenti coniecturâ intellexit, merito annuntiantis fidem victoriæ, verbo locum, numero diem ſignificari.

Anno 398. Subſiſtit: ac tertio demum die, poſt noctem orationibus hymniſque peruigilem, ab ipſis cæleſtium Sacramentorum myſteriis in hoſtem circumfuſum proceſſit. Et cùm ad eos qui primi occurrerant, pia pacis verba iactaret; ſigniferum quemdam inſolenter obſiſtentem, & iam iamque pugnam excitantem, gladio percuſſit in brachio: eumque

que manu debilem, ipſo vulnere coëgit pronum inclinare vexillum. Quo viſo reliquæ cohortes, deditionem iam fieri priorum exiſtimantes; certatim ſe ad Maſcezilem ſignis tradidére conuerſis. Barbari, quorum magnam multitudinem Gildo ad bellum deduxerat, defectu militum deſtituti, in diuerſa fugerunt. Gildo & ipſe fugam molitus, arreptâ naui in altum prouectus, ac deinde reuocatus in Africam, poſt aliquot dies ſtrangulatus interiit. *Oroſ. l. 7. c. 36.* Ex quo hiſtoriam eamdem, ſed contractius retulit Paull. Diac. L. 13. in princ. Bellum deſcripſit Claudianus Poëta.

Gildonis bona in Principis ærarium relata: quæ cùm ampla eſſent, atque in plures regiones diſperſa; proprius eis datus eſt Procurator, Gildonis appellatus, imò Comes Gildoniani patrimonij. *Notit. Imper. Occid. cap. 42.*

§. II.

Optatus Thamugadenſis, dictus Gildonianus.

GIldoni huic, homini & barbaro & pagano, inter alios Donatiſtas, Optatus Thamugadenſis Epiſcopus in Numidia, pridem inhæſerat: adeò preſsè ac gnauiter; vt & Optatus Gildonianus, & Satelles Gildonianus, ſiue De ſatellitio Gildonis ſit dictus, quod ei agnomen perpetuò manſit. *libro 2. cont. Petil. cap. 103. l. 2. cont. Parm. cap. 4. l. 3. cont. Creſcon. cap. 13. & l. 3. cont. Petil. cap. 40.* Tolerabile erat, ſi aut amicus aut cliens Gildonis fuiſſet appellatus; ſed ſatellitem, inde apparet infame fuiſſe, quod decennio poſt Gildonem extinctum, proſecutio vindictæ in eius ſatellites durarit; vt patet ex Imperatorum Reſcripto ad Donatum Africam regentem, quod ſic habet: Satellites Gildonis, cuſtodiis mancipentur, & proſcriptione damnentur. Dat. III. Idus Nouemb. Baſſo & Philippo Coſſ. *L. 19. de pœn. Cod. Theod.* quâ perinde pœnâ, antequam ferretur, Optatus extinctus eſt. *l. 3. cont. Creſc. c. 13.*

§. III.

Mores Optati ac facinora.

CEterùm Optatus, homo ferus & facinoroſus, non Catholicis tantummodò in Africa, ſed & Iudæis, Paganis & Chriſtianis omnibus grauis incubuit: *l. 2. cont. Petil. c.* 103. *&* 83. ſolitus non quia quemquam timebat, ſed vt ab omnibus timeretur, agmine militari comitatus incedere. *l. 2. cont. Petil. c.* 23. Quâ fretus audaciâ viduas oppreſſit, pupillos euertit, aliena patrimonia prodidit, aliena matrimonia ſeparauit: res vendendas innocentium procurauit, venditarum pretium cum Dominis plangentibus diuiſit: *l. 2. cont. Petil. c.* 23. *Tractat.* 5. *in Ioann. ante finem.* quem proinde Donatiſtæ etiam ipſi, furem, raptorem, proditorem, oppreſſorem, ſeparatorem, & dicere non verebantur & habere. *l. 2. cont. Petil. c.* 103.

Planè domini ſui ſtrenuus erat imitator, de quo Claudianus de bello Gildon.

Inſtat terribilis viuis; morientibus heres,
Virginibus raptor, thalamis obſcænus adulter.
Nulla quies oritur: prædâ ceſſante, libido;
Diuitibuſq́; dies; & nox metuenda maritis.
Quiſquis vel locuples, pulchrâ vel coniuge notus,
Crimine pulſatur falſo: ſi crimina deſunt,
Accitus conuiua perit: mors nulla refugit Artificem.

Nam cùm ſe eouſque ſcelerum eius licentia attolleret, vt medium modumque omnem excedere videretur; ſchiſmatiſque ſociis diſpliceret; tum quidam opportunè acutus & garrulus (Primianus opinor Carthaginenſis Epiſcopus) vrbanè & facetè Optati tyrannidē taxans, cultumque oppidò nimium, quo Gildoni Comiti tamquam Deo inhærebat, Haud equidem affirmabat eſſe mirum, talia audere illum atque explere: *Quandoquidem Comitem haberet Deum.* Quod falsè & eleganter dictum, ipſi Donatiſtæ iactare cum elogio ſolebant: non intelligentes exitu Goliæ ſuperbiſſimi, ſuo ſibi gladio caput auferri. *l. 1. cont. Pet. c.* 9. *l. 2. c.* 23. 33. 35. *&* 103.

Interim talis Optatus cùm eſſet, vt eum, decennalem Africæ gemitum,

mitum (adeò & homines ciuitateſque vexabat, tyrannicâ & pluſquam Circumcellionicâ dominatione) nuncupet Auguſtinus; *l.1.cont. Pet. c.* 24. attamen quia Donatiſta; tanto à ſuis in pretio habebatur, vt cum non tantummodò auſi fuerint vmquam damnare; *l.* 1. *cont. Petil. c.* 9. ſed ne monere quidem, inter tantos Africæ gemitus: imò pacis oſculum inter Sacramenta cum eo copulauerint; in eius manibus Euchariſtiam, vti tum modus ſumendi habebat, poſuerint: eique viciſſim danti, manus porrexerint: *l.2. cont. Pet. c.*23. collatum ab eo Baptiſmum ratum habuerint: imò ipſo Ioanne Baptiſtâ maiorem crediderint: *l. 2. cont. Pet. c.* 37. ac demùm, quod omnem modeſtiam ſuperat, extincti in carcere Optati, quia de Gildonis ſatellitio fuerat; *l. 2. cont. Pet. c.*92. natalitia quotannis tamquam Martyris, magnâ celebritate frequentauerint. *l.2. cont. Pet. c. 23. Epiſt.* 171.

Quidquid videlicet mali Optatus patrabat, negabant ad ſe pertinere: excutientes id à ſe, quemadmodum Circumcellionum ſcelera flagitiaque diſſimulabant: dicentes à nemine vmquam ad vindicandum fuiſſe prelatum: *l.3. cont. Creſc. c.*45. aut neſcio quo Donatiano vel Numidico priuilegio, de ſuo ſe ignorare Collega, quidquid tota Africa conclamabat. *l.4. cont. Creſc. c.* 25. Vſqueadeò enim iſtud agebant, vt de ipſo Optato dicerent: Quid fecit? Quis eum accuſauit? quis conuicit? Ego neſcio: non vidi: non audiui. *l.1. cont. Petil. c.*24.

§. IV.

Hiſce ſceleribus Donatiſmus euerſus.

Hiſce interim tot ac tantis Optati ſceleribus, quem ſic damnare noluerunt, vt tamen non auderent abſoluere; *l. 3. cont. Creſcon. c.* 13. viderint ipſi quomodo haud ſint rei: qui volebant totum mundum, quia ſe à Cæciliano non ſeparaſſet, cuius attamen numquam probata ſunt crimina, eſſe pollutum, & Eccleſiam defeciſſe. Viderint quomodo non fures euaſerint, qui cum fure Optato Sacramenta communicauerunt; præſertim iuxta ſuammet ipſorum regulam: *Quales fuerint cum quibus fuerit communicatum; tales dicunt fieri omnes, & vniuerſam maſſam. Enarr. 2. in Pſ.* 36.

Quod ſi non eos inquinauit Optatus, quia crimina ipſius dicunt ad ſe non pertinere; neque ſanè pertinet ad alios, minùs autem ad vniuerſum terrarum orbem, quidquid Cæcilianus tradendo, quidquid Macarius occidendo deliquit. Nam ſi eis diſplicent crimina Optati; etiam aliis diſplicent Cæciliani & Macarij: hominum ita pridem mortuorum, vt nemo cum eis vixerit, nouerit, viderit: Optatum autem illi habuerint in oculis, in cultu atque æſtimio. Quæ eſt autem tanta iniquitas aut peruerſitas, velle Catholicis imponere ſarcinas ignotorum, cùm Donatiſtæ portare nolint amicorum? Quantò rectiùs dicitur, portaturum vnumquemque onus ſuum, vltimumque ventilabrum, paleam à tritico ſeparaturum.

Iam ſi dicant, tam Optati, quàm etiam ſuorum Circumcellionum, inſolentias, cùm reprimere non poſſint, ſe pro pace tolerare: iudicio ſuo ſemet euidenter condemnant: cùm profectò vnitatem Eccleſiæ non rumperent, ſi, quod iactitant, pacem amarent. Porrò ſi Baptiſmus conferri non poteſt, niſi à iuſto, aut iniuſto latente; quomodo baptizauit Optatus, cuius tot erant crimina publica, vt ne latenter quidem fuerit iniuſtus? Nam cum talia de illo dicerentur & crederentur; nec ipſe erat bonus, nec famam habebat bonam. Vnde quicumque per eum baptizati ſunt; nec conſcientiâ eius, ſecundùm Petilianum: nec famâ eius ſecundùm Creſconium, ablui potuerunt.

Quæ omnia latè exſequitur Auguſtinus locis propè innumeris, ac potiſſimùm *ll. cont. Parmen. Petil. & Creſconium.*

§. V.

Ab Optato Gildoniano compulſi Maximinianiſtæ ad Primianum redire.

CVm igitur Primianiſtæ Schiſmaticos ſuos diu perſecuti, ad ſe compellere non poſſent: iamque triennio ferè contra Prætextatum & Felicianum, nullo fructu publicè in foro litigaſſent; occaſione Gildonianæ tyrannidis, Optati eius ſatellitis violentâ auctoritate vſi ſunt.

Ciues Muſtitani & Aſſuritani, vt diximus, pro Epiſcopis ſuis Feliciano

ciano & Prætextato, omnibus Primianiſtarum conatibus tam ſe validè opponebant, vt expugnari non poſſent. Quapropter grauiſſima eis exitia comminatus eſt Optatus, niſi relictâ ſuorum Antiſtitum defenſione, ad Primiani eos communionem redire cogerent. Ciues, militem Optati formidantes, paruerunt: adeoque tam liquidò conſtitit Epiſcopos coactos fuiſſe, vt & earum vrbium ciues id faterentur, & ipſi Epiſcopi negare non auderent.

Memorabile tamen eſt, Primaniſtas, qui tantâ Maximianiſtas acerbitate damnauerant, tantâ bile & pertinaciâ fuerant perſecuti; eò adduci ſe paſſos ab Optato, ſi non & ipſi coacti ſunt, vt contra ſententiæ ſuæ formulam damnatos, in honoribus ſuis ſuſceperint, ſibique ſocios atque Collegas adiunxerint; ac præſertim hos duos de quibus nunc egimus, Felicianum vnum, alterum Prætextatum. Imò non eos tantùm: ſed quotquot ab eis, toto illo quo Schiſmatici fuerant tempore, & ob id foris extra Eccleſiam conſtituti, baptizati erant: ſic vt nec nouâ fuerit ordinatione opus in Epiſcopis, neque vlla baptiſmi iteratione in laïcis. *l.* 3. *cont. Creſc. c.* 60. *& l.* 4. *c.* 25. *& l. de Geſt. cum Emer.*

Quamobrem cum Schiſmaticis ſuis ita Primianiſtæ inſultaſſent, vt in ſententia eorum condemnatoria, eos mortuos & inſepultos vocarent; optare potiùs debuerant, vt ſepelirentur: ne de multitudine iacentium in littore cadauerum inſepultorum, Gildonianus Optatus incedens cum agmine militari, tamquam rapidus fluctus vltrà proſiliens, Felicianum & Prætextatum introrſus poſtea reſorberet. *l.* 1. *cont. Petil. c.* 10. Hoc enim, vt vidimus, præſtitit Optatus: eâdemque operâ Donatiſtæ, omnium calumniarum ſuarum, tamquam malarum mercium nauem fregeruut. *l. de Geſt. cum Emer.* Sed non diffiteor, compoſitæ pacis, non niſi poſt Optati mortem, factam executionem eſſe: quando nimirum frequentiſſimâ numeroſitate eius natalitia celebrabantur, vt teſtatur Auguſtinus *Epiſt.* 255.

Quidquid interim iam ab Schiſmatis initio, ſiue pro eo palliando, ſiue pro firmando, Catholicis obiicere ſolebant; ex hac vna Maximianiſtarum cauſſa refellitur: tantâ ſimilitudine, vt mirâ prouidentiâ Deus videatur voluiſſe per Donatiſtas fieri, quod in Catholicis culpabant: ſicque facies eorum apertiſſimè ignominiâ implere, ne omninò diſſimularent, & quâ effugiant non inuenirent: imò potiùs diſcerent nomen Domini quærere: à quo, dum pro eo no-

men

men ſuum extollunt, erant pernicioſiſſimè auerſi. *Enarr. 2. in Pſalm. 36. & l. 1. cont. Petil. cap. 29.*

§. VI.

In Maximianiſtis, ſemetipſos Donatiſtæ peremerunt.

ATque in primis, ſicuti abſentem Cæcilianum, & coram ſe ſiſtere nolentem, maiores eorum damnarunt, atque è cathedra ſua deiecto, Maiorinum procurante Lucillâ ſurrogarunt; ita Maximianiſtæ, Donati è radice ſoboles, contracto concilio abſentem, & comparere detrectantem Primianum quoque damnarunt: eique in Cathedra ſubſtituerunt Maximianum, agente neſcio qua feminâ.

Porrò ſicuti damnatus Primianus adiit ad Numidas, quorum operâ contracto Bagaienſi Concilio declaratus innocens, hoſtes ſuos damnari fecit: ita Cæcilianus, non quidem adhuc ſuâ ſponte, ſed à parte Donati pertractus ad iudicium Epiſcoporum tranſmarinum, percuſſo ſententiâ Donato abſolutus eſt non ſemel, ſed iterum & iterum: tantoque à maiore iudicum numero; quantò frequentior eſt orbis terrarum, qui in Cæciliani communione permanſit, Concilio Bagaienſi è ſola Africa collecto.

Quare ſicuti ſe credidit Primianus innocentem, quia non exiens ad factioſos, alibi ſic oſtendit innocentiam ſuam, vt illi, qui eum damnauerant, damnationem mererentur; ita Cæcilianus qui noluit exire ad maiores Schiſmaticorum, ſic ſeruauit cauſſam ſuam orbi terrarum, vt ſi illum reddiderit innocentem Sedes Bagaitana; longè potius hunc, Sedes Apoſtolica.

Iam quod perſecutiones attinet, quas ſe ideo pati à Catholicis dicebant, quia toties victi, toties ſuperati, latis per Imperatores legibus, niſi ad vnitatem redirent, Baſilicis ſuis priuati, proſcriptionibus multabantur: cuius pœnæ tolerantiam, tametſi iuſtiſſimæ, perſecutionem ipſi appellabant, quam volebant eſſe certiſſimum Eccleſiæ iuſtitiæque ſignum; quod has, inquam, attinet, in Maximianiſtas acerbiſſimè mouerunt, dirutâ Carthagine Maximiani Baſilicâ, publicatis

caſis propriis ipſius ædibus, iudiciariis proſecutionibus, & totâ acrimoniâ poteſtatum contra Saluium Membreſitanum, Prætextatum Aſſuritanum, & Felicianum Muſtitanum, concitatâ.

Quapropter ſi iuſtiores ſunt, qui patiuntur perſecutionem, quàm illi qui faciunt; Maximianiſtæ profectò iuſtiores ſunt: quorum & Baſilica funditus euerſa eſt, & militari Optati comitatu grauiter agitati ſunt, & iuſſiones Proconſulis ad omnes eos de Baſilicis excludendos, à Primianiſtis impetratæ ſunt.

Quod ſi verò Imperatoribus eorum communionem deteſtantibus, ad perſequendos Maximianiſtas tanta ſunt auſi; quid obſecro feciſſent, ſi per Regum communionem, aliquid eis efficere licuiſſet? Si dicant, vt prauos corrigerent, ſe talia feciſſe; profectò mirari non debent, ſi Catholici Imperatotes, maiore poteſtate vrgendos corrigendoſque decernant; qui totum orbem Chriſtianum rebaptizare conantur: tam nullâ habitâ eius faciendi cauſsâ; vt etiam Schiſmaticos ſuos Maximianiſtas, intra gremium ſuum, vnde aliquot per annos aberrarant, abſq; vllâ Baptiſmi in eis, aut per eos collati repetitione ſuſceperint.

Nemo enim tum dixit, Non habes Baptiſmum, quia foris es baptizatus: & nihilominùs rebaptizabatur apud eos, qui veniebat de Epheſo, de Smyrna, de Teſſalonica, de ceteris Eccleſiis, quas ſuo labore Apoſtoli plantauerunt, & ad quas legimus miſſas Apoſtolorum epiſtolas, quas audimus in Eccleſia recitari.

Quare ſi non tantummodò Felicianum & Prætextatum, abſque vlla luſtratione, intra ſuum conſortium receperunt; ſed etiam pro pace Donati ratum habuerunt eorum Baptiſmum, non ſolùm per ægritudinum pericula, ſed etiam per ſollemnitates Paſchales, in Eccleſiis ſuis collatum; cur non cedunt omnibus gentibus, in admittendo Cæciliano, & collato ab eis Baptiſmo, qui communionem ipſius ſequebantur pro pace Chriſti? Neque enim exterarum gentium fideles (qui quid ante tot annos in Africa geſtum ſit, & tunc neſcierunt, & modò neſciunt) crimina contaminare potuerunt, quæ à Donati parte Afris obiecta ſunt, etiamſi eſſent vera; ſi Maximianiſtarum coniunctio Primianiſtas non maculat: qui tamen palàm ab his ſeparati atque diuiſi, Primianum damnauerunt: alium Epiſcopum contra Primianum ordinauerunt: extra Primianum baptizauerunt, poſt Primianum rebaptizauerunt: cumque ſuis foris à ſe baptizatis & intus à nullo rebaptizatis, ad Primianum redierunt.

Si pro vnitate partis Donati, in nefario ſchiſmate baptizatos nemo rebaptizat & rei tanti ſceleris, vt eos in Concilio ſuo; antiquis illis auctoribus ſchiſmatis, quos viuos terra abſorbuit compararent, aut ſeparati non puniuntur, aut damnati in integrum reſtituuntur; cur non pro vnitate Chriſti, quæ toto terrarum orbe diffuſa eſt, pro iſta, inquam, vnitate vera & plenaria, omnes gentes in nomine Trinitatis per Baptiſmum adunatæ admittuntur: cùm teneamus in ſacris Litteris commune promiſſum, Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ?

Quamquam igitur multis modis Donatiſtarum error ſuperetur, vtpotè nullâ ratione, ſed ſola impudentiâ veritati reſiſtendi fundatus; hoc tamen vnum Maximianiſtarum factum, ſufficit ad comprimendas eorum doloſas linguas. Itaque tricipitem beſtiam, eorum calumniam, hoc tamquam tridenti telo trucidate, inquit Auguſtinus. Traditionem obiiciunt: perſecutionem obiiciunt: falſum Baptiſma obiiciunt. De ſolis Maximianiſtis, ad omnia reſpondete. Nam licet ſtudiosè conentur maiorum ſuorum traditionem occultare; nequeunt tamen occultare, quod ſacrilegio ſchiſmatis inquinatos in ſuis honoribus receperint. Tametſi occultas eſſe arbitrentur violentiſſimas perſecutiones, quas quibuſlibet vbi potuerint, faciunt: Maximianiſtas, quos ipſi perſecuti ſunt, in ſuis honoribus receperunt; hoc occultare non poſſunt. Poſtremò Baptiſmi quæſtionem, quâ miſeros fallunt, occultam eſſe arbitrantur: ſed cùm dicant Baptiſmum non habere, quotquot præter communionem vnius Eccleſiæ baptizantur: Maximianiſtas autem, cum eis quos extra ſuam communionem in ſchiſmate baptizarunt, in honoribus ſuis receperint, quomodo cupiunt occultare?

An dicendo fortaſſe, pro pace? Ita ergò tota contra eos cauſſa concluditur. Quia ſi ad tolerandos in ſchiſmate malos, nomen pacis aſſumitur; cum horrendo ſcelere, & ſine vllâ defenſione, per orbem terrarum vera pax violatur. *l. 1. cont. Petil. cap. 27. & ſeqq.* Videri quoque poteſt, *l. de vnit. Eccl. cap. 18. l. 1. cont. Petil. c. 10. & ſeqq. l. 4. cont. Creſcon. toto. Coll. 3. cap. 16. Conc. 2. in pſ. 36.* quibus locis oſtendit factum Maximianiſtarum, totam Donatiſmi cauſſam euertere: vnde ſuperiora deſumſimus.

§. VII.

§. VII.

Catholicis ex facto Maximianiſtarum demonſtrantibus ſchiſma eſſe finitum, Donatiſtæ indignantur.

HOc Donatiſtarum circa Maximianiſtas factum, cùm longè lateque à Catholicis in ſermonibus & diſputationibus, ad ſanandos à ſchiſmate hominum animos, ſpargeretur; monſtrareturque eos pro pace Donati & damnatos in honorem ſuum integrum ſuſcepiſſe, & Baptiſmum, quem foris ab Eccleſiâ eorum dederant, non auſos fuiſſe reſcindere: orbi verò terrarum contra pacem Chriſti, obiicere contaminationem neſcio quorum peccatorum: imò & euacuare Baptiſmum in illis quoque Eccleſiis datum, vnde in Africam venit ipſum Euangelium; plurimi eorum confundebantur, & ad manifeſtam veritatem erubeſcentes; corrigebantur: & quidem ſolitò crebriùs multoque magis, vbicumque ab eorum ſæuitiâ reſpirabat aliquanta libertas.

Alij verò, hâc ſuorum defectione, & Catholicorum quos diximus ſermonibus adeo exarſerunt, & tantis odiorum ſtimulis ſunt incitati, vt contra eorum inſidias atque violentias, imò apertiſſima latrocinia, vix vllæ Catholicorum Eccleſiæ poſſent eſſe ſecuræ: vix vlla via tuta, quâ iter agerent, quicumque aduerſus eorum rabiem, pacem Catholicam prædicarent, eorumque dementiam perſpicuâ veritate conuincerent. Vſque adeo non ſolùm laicis, vel quibuſlibet Clericis; ſed ipſis quoque Epiſcopis Catholicis, proponebatur quodammodo dura conditio: Aut enim tacenda erat veritas, aut eorum immanitas perferenda, &c. *Epiſt.* 50.

Hoc igitur tempore circiter exiſtimo Circumcelliones, qui ſolis hactenus fuſtibus armari conſueuerant, omnis generis armis ac telis non ſolùm vti cœpiſſe; ſed etiam terribilia magis quàm vmquam iuſſiſſe fabricari: tum extinguendis fidelium oculis, acetum calci addidiſſe, quodnulla antehac tyrannorum crudelitas excogitauerat. Su-

peruacaneum puto ad fidem hiſce faciendam, Auguſtini verba proferre, cùm pleni ſint huiuſcemodi ſuppliciorum armorumque exemplis Libri contra Petilianum, Parmenianum, Creſconium alioſque, quos poſt initam inter Primianiſtas & Maximianiſtas pacem (ſed quæ neque vniuerſa, neque firma fuit) conſcripſit.

Non grauabor tamen adſcribere vnum alterumvè, ſed veriſſimum Donatiſtarum elogium, è quibus liquidiſſimè deprehendas, quales fuerint omni tempore. Iſti, ait Auguſtinus, ſimul habere volunt & ſacrilegorum vitam, & innocentium famam: & in ſceleratis factis nullam pœnam, & in pœnis iuſtis Martyrum gloriam. *l.2.de Bapt.cap.*10. Et alibi: Viuunt, inquit, vt latrones; moriuntur vt Circumcelliones, honorantur vt Martyres. *Epiſt.*68. Quod repetit: Cùm viuatis vt latrones, mori vos iactatis vt Martyres. *l.2.cont. Petil.cap.*83. viderique poteſt. *l.1.cont.Gaudent.cap.*36.

CAPVT XI.

DONATISTAS AVGVSTINVS EXAGITAT.

§. I.

Primò Sermonibus & litteris.

HÆc dum aguntur, erat ad Epiſcopatûs honorem aſſumtus Auguſtinus: & quia Presbyter adhuc non verbo tantùm pro ſuggeſtu, ſed ſcriptis etiam libris & litteris, cum Donatiſtis, & ſignanter Maximino Epiſcopo (qui Diaconum Orthodoxum Eccleſiæ Mutugennenſis rebaptizaſſe dicebatur) experiri iam, & prouocare ſiue ad diſputationis, ſiue litterarum commercium cœperat; *Epiſt.* 203. aſſiduè porrò atque inſtantiſſimè perrexit. Vtrumque memoriæ proditum à Poſſidio eſt.

Scribit enim, dum ſchiſma eorum atque hæreſin, in Eccleſiâ perorans,

orans, frequenter exagitaret; qui intererant Donatiſtas, ad ſuos Epiſcopos deferre ſolitos ex ore prædicantis excepta. Quæ cùm illi audiſſent, & fortè aliquid opponerent aut refellerent; eadem reſponſa referebantur ad Auguſtinum: qui properè, quàm nihil illi refellere valuerint aut voluerint, quàmque ſit verum & manifeſtum, quod Eccleſiæ Dei fides tenet ac docet, oſtendens; patienter ac leniter, ſiue vt ſcriptum eſt, *cum timore ac tremore* ſalutem omnium operabatur, eiuſcemodi ſtudiis diu noctuque intentus.

Iam & Epiſtolas priuatas, eodem Poſſidio teſte ad quoſcumque huius erroris Epiſcopos, & eminentes laicos, dedit, (vt videre eſt, *l.1. cont. Petil. cap.1.*) redditâ ratione admonens atque exhortans, vt vel ab illâ ſe prauitate corrigerent, vel certè ad diſputationes venirent. At verò illi, cauſſæ diffidentiâ, ne quidem vnquam reſcribere voluerunt: ſed irâ furoreque perciti, ſeductorem deceptoremque animarum Auguſtinum eſſe, priuatim ac publicè clamitabant: obque id tamquam lupum, pro gregis ſui conſeruatione mactandum: omnia peccata indubiè dimiſſum iri illis, qui efficere iſtud potuiſſent. *Poſſid. c. 9.*

Atque in primis quod Litteras attinet, laicos omnes Donatiſtas ſub perſonâ Eccleſiæ Catholicæ aliquando cohortatus eſt, propoſitâ totius Schiſmatis breuiter hiſtoriâ, vt ad Eccleſiam redirent. *Epiſt.* 171. Conſanguineum deinde ſuum SEVERINVM, à quo fuerat per litteras ſalutatus, hominem laicum, ſed prudentem, eiuſdem argumenti breuiculâ repetitione, eodem ſtuduit adducere. *Epiſt* 170.

EMERITVM quoque Cæſarienſem Epiſcopum, quem bono ingenio præditum doctriniſque liberalibus eruditum, ab Eccleſiâ Catholicâ diſcerptum dolebat atque ſecluſum; Donatiſmi imagine elegantiſſimè ob oculos poſitâ (imò intimis eius excuſſis viſceribus, ac præſertim, Neminem poſſe ignotis alterius criminibus maculari; imò neque cognitis, modò haud conſentiat) ſaltem eò conatur adducere, vt reſpondeat, cauſſamque aperiat, Cur ſchiſma ſit factum? hâc enim inuentâ, mox euidens futurum, Vbinam Eccleſia ſit, num apud Donatiſtas, num apud Catholicos? *Epiſt.* 164.

HONORATO, partis item Donati Epiſcopo, qui placere ſibi ſignificauerat, vt litteris in quibus nullus tumultus diſputationem turbare poſſit, quæ cum tota animi pace atque lenitate ſuſcipienda eſt, inter ſe agant; hanc quæſtionem proponit, obſecratque vt reſpondeat: Quomodo Eccleſia, quam Scriptura ſacra clamat vbique eſſe Catho-

 licam,

ricam, ſiue toto terrarum orbe diffuſam, talis eſſe deſierit, & ſubitò in ſolis Afris, neque ipſis omnibus, remanſerit? *Epiſt.*161.

Macrobium Epiſcopum iuuenem quidem, ſed bonæ indolis, dehortatus fuerat à rebaptizando Subdiacono, qui ſe ad eum receperat. *Epiſt.*265. Verùm fruſtrà, vt apparet. Cùm enim reſpondiſſet Macrobius Auguſtini litteras adferentibus, Non ſe aliud poſſe facere, quàm venientes ſuſcipere, & eis fidem, quam poſtulauerint, dare. Ipſi autem cùm regererent, Cur hic potiùs rebaptizari debuiſſet, quàm rebaptizati ſint quos Felicianus, aliique in Schiſmate Maximiani poſiti baptizauerant? replicaretque Macrobius, Nuper ſe ordinatum, factorum patris ſui (Primiani opinor) iudicem eſſe non poſſe, ſed in eo quod à Prioribus ſuis accepiſſet permanere; doluit vehementer Auguſtinus neceſſitatem Macrobij, prolixiſque litteris oſtendit, nihil aliud illum ad hanc reſponſionem coëgiſſe, quàm malæ cauſſæ fundamentum.

Quapropter ex ſolâ Maximiani cauſsâ oſtendit, Donatiſtas fateri debere, etiam extra ſuam communionem baptiſma validè conferri: tantâ fiduciâ, vt etiam periculo Epiſcopatûs ſui, paratus ſit quod loquitur probare. Igitur finita eſt, inquit, cauſſa frater Macrobi: Deus hoc egit, Deus hoc voluit: occultæ illius prouidentiæ fuit, vt in cauſsâ Maximiani, ſpeculum vobis correctionis proponeretur, vt omnis aduerſum nos, imò aduerſus Chriſti Eccleſiam toto orbe creſcentem, non dico veſtra, ne in te videar contumelioſus, ſed certè veſtrorum crimínoſa calumnia finiretur. *Epiſt.* 255.

Crispino, de quo ſæpenumerò nobis agendum euit, Donatiſtarum Calamenſi Epiſcopo, obque id ſibi vicino (quandoquidem commoda adeſſet occaſio, ambobus tum in Numidiâ exiſtentibus) per litteras vltrò citroque agendi, de Quæſtione quæ Catholicos & Donatiſtas ab inuicem dirimebat, poteſtatem facit: &, quoniam id ipſe nonnumquam Criſpinus fieri optaſſe dicebatur; premit, & vrget vt fiat: rogans vt ad paucula quæ proponit argumenta reſpondeat, Quomodo nimirum & quantum in Concilio ſuo Bagaienſi exaggerauerint ſacrilegium ſchiſmatis, & tamen ipſi ſe ſeparent à toto orbe terrarum? quomodò ſe pati perſecutionem à Catholicis dicant; cùm per iudiciarias poteſtates tantopere ſint perſecuti Maximianiſtas? quomodo denique totius orbis terrarum baptiſmum exſufflent; qui baptiſmum ſchiſmaticorũ ſuorum receperũt, quos ante damnauerant? *Epiſt.*172.

Scio

Scio quidem has litteras omnes, præſertim eas ad Emeritum, non hoc tempore præcisè eſſe conſcriptas, ſed cùm Honorij Imperatoris implorata eſt à Catholicis auctoritas, & impetratæ Leges: verùm quia propter alias poterat hoc loco commodè earum fieri mentio, noluimus prætcrire.

§. II.

Deinde Libris contra Petilianum.

Optato vti diximus extincto, Donatiſtæ vſi ſunt PETILIANO, Anno acerrimo ſuæ ſectæ patrono, niſi in Auguſtinum incidiſſet. Is ex 398. cauſſidico (quo in munere dum potentiam ſuam iactat, Paracleti ſibi nomen impoſuerat, atque ab hoc ſe cognominalem Spiritûs ſancti, non eſſe, ſed fuiſſe delirabat: *l.3.cont.Petil.cap.16.*) adhæc Catholicæ Eccleſiæ Cathecumeno, à Donatiſtis abreptus ad Donati partem, mortiferi in eâ honoris (Epiſcopatûs vt apparet) vinculo ligatus eſt. *l.2.cont. Petil. cap.* 104.

Cirta Iulia, Numidiæ ciuitas eſt, hodie *Algera*, nobiliſſima olim & potentiſſima, quondam (vt ait Mela) domus Regum Iubæ & Syphacis: poſtea Colonia Romanorum, quam Plinius ait vocatam eſſe, Siteranorum: caput etiam regni Maſæſulorum, vt ſcribit Liuius l.30. teſte Franc. Balduino. Huius ciuitatis Siluanus Epiſcopus fuit, ordinatus vt diximus, à Traditoribus: eidemque Petilianum mox præfecerunt Donatiſtæ, vt eum ideo Auguſtinus, & Siluani quibuſdam interpoſitis ſucceſſorem, & conſocium, imò concathedraneum appellet. *l.3.cont. Petil. cap.* 57.

Eadem & Conſtantina dicta, in honorem, vt aiunt, Conſtantini Imperatoris; atque hinc Siluanus Conſtantinenſis Epiſcopus dicitur. *Epiſt.*165. vti & Petilianus lib.2. *Retr.c.*34. Vt nemo exiſtimet aut duos fuiſſe Petilianos, cum Baronio Anno 398. aut vnum eundemque à Cirtenſi Cathedrâ ad Conſtantinienſem vel contrà, tranſiiſſe. Videri poteſt Henr. Grauius, *in Annot ad Tom.7.l.1.c.1.cont.Greſcon.*

Hâc dignitate mactus apud Donatiſtas Petilianus, nihil prius habuit, quàm iuxta ſuorum ſupercilium ſapere (qui cùm magni, excelſi, cæleſtes,

cæleſtes, diuini, imò non iam homines ſed Angeli ſibi viderentur; nolebant pro ſe plebem orare, pro quâ nimirum ipſi orabant: *libr. 3. cont. Petil. c. 105.*) adeoque ſe ſanctum, & omnis peccati expertem exiſtimare. Deinde cùm feruidum ingenium, & linguam pro more gentis ſatis diſertam, à foro ad Eccleſiam tranſtuliſſet; zelum erga eam ſuum, & ſollertiam oſtendere voluit, ne quam de ſe alij ſpem conceperant, fruſtraretur.

Epiſtolam igitur ad ſuos Presbyteros ſcripſit aduerſus Catholicam Eccleſiam: quæ cùm Auguſtino Conſtantinæ exiſtenti, Abſentio præſente, & Fortunato ibidem Epiſcopo Catholico, fuiſſet exhibita; ita miratus eſt, quòd eius Auctor primis ſuis verbis totam partis ſuæ communionem radicitus amputaſſet, vt nollet credere Petiliani eſſe litteras: quem ſolebat fama prædicare, quòd inter Donatiſtas doctrinâ atque facundiâ maximè præcelleret. Sed quia legente eo aderant, qui ſermonis eius cultum ornatumque noſſent; perſuadere Auguſtino cœperunt, omninò illud eſſe Petiliani eloquium. Qui perinde, cuiuſlibet eſſet, refellendum putauit, ne quiſquis ea ſcripſiſſet, aliquid ſibi apud imperitos aduerſus Catholicam ſcripſiſſe videretur. *libr. 1. cont. Petil. cap. 1.*

Sepoſitis ergò tantiſper Libris de Trinitate, deque Geneſi ad litteram, nuper à ſe inchoatis, vt primo Libro narrauimus; ſcripſit aduerſus Petilianum tria Volumina: quorum primo, primæ parti Epiſtolæ ipſius (quia non tota in manus eius venerat, ſed prior parua eius pars) quantâ potuit celeritate & veritate reſpondit. Poſtea quippè inuenit totam: eique tantâ diligentiâ reſpondit, quantâ vt ipſe teſtatur, Fauſto Manichæo: verba ſcilicet Petiliani, ſub ipſius nomine priùs ponens particulatim; & ſub ſuo, per ſingula reſponſionem ſuam: tamquam cùm agerent, à Notariis excepta ſint: *l. 2. Retract. cap. & l. 2. cont. Petil. cap. 1.*

Quod priùs interim ſcripſerat Auguſtinus antequam totam Petiliani Epiſtolam repererat; peruenit ad ipſum Petilianum: qui iratus reſpondere conatus eſt: in Auguſtinum potius dicens quidquid ei libuit, in cauſsâ verò omninò deficiens. Quod cùm poſſet collatis vtriuſque ipſorum ſcriptis, facillimè aduerti; tamen propter tardiores hoc ipſum Auguſtinus demonſtrare curauit: ſicque eſt additus eidem operi Liber tertius. *l. 2. Retract. cap. 25.*

§. III.

§. III.

Petilianus Vitilitigator.

CEterùm quia per loca ſingula, quando verba Petiliani inſerebantur, poſitum erat; *Petilianus dixit*: & quando verba Auguſtini; *Auguſtinus reſpondit*: calumniatus eſt ei Petilianus, tamquam fuiſſet mentitus, dicens, quod numquam cum illo cominùs diſputaſſet. Quaſi propterea non dixerit quod ſcripſit, quia hoc non in verbis eius audiuiſſet, ſed in litteris legiſſet: aut ipſe Auguſtinus ideo non reſpondiſſet, quia non eo præſente locutus eſt, ſed ſcriptis eius viciſſim ſcribendo reſpondit.

Quam cauillationem vbi Auguſtinus retulit, ſubiungit: Quid faciamus hominibus, qui tale cor habent; aut eos, quibus ſcripta ſua innoteſcere cupiunt, tale cor habere opinantur? *libro* 1. *cont. Gaud. cap.* 1. Atqui Petilianus, nondum omnes ſuas forenſes ſycophantias valeſecerat, in quibus paullò plus ſapiebat, quàm in Scripturâ ſacrâ, vt videre eſt *libro* 1. *cont. Petil. cap.* 16. *l.* 2. *cap.* 18. 61. *&* 62. *& l.* 3. *c.* 33.

Hos libros Auguſtinus ſcripſit, ſedente in Petri Cathedrâ Romæ, Anaſtaſio: in Iacobi Hieroſolymæ, Ioanne: *libro* 2. *cont. Petil. cap.* 51. cùm nulla adhuc eſſet in hæreticos, quantum recolit, lata Lex capitalis: *libro* 2. *cont. Petil. cap.* 20. ſed quæ paullò pòſt, ipſoque hoc anno prodiit, VI. Kalendas Maij, Honorio Aug. IV. & Eutychiano III. Coſſ. contra eos impreſsè, qui Catholicis Eccleſiis, Sacerdotibus & miniſtris, vel cultoribus ipſis, vel cultui ipſi, locoque, aliquid importauerit iniuriæ. *l.* 31. *de Epiſc. & Cler. Cod. Theod.*

§. IV.

Criſpinum, Calamenſem Donatiſtarum Epiſcopum, Auguſtinus ad diſputationem prouocat.

EST Calama, Numidiæ ciuitas, inter Conſtantinam ſiue Cirtam, & Hipponem ſita, ſed Hipponi vicinior: *l.* 2. *cont. Petil. cap.* 99. Auguſtino eatenus ſubiecta, quòd ad ipſius viſitationem Eccleſia in eâ Catholica, cui Poſſidius præerat, ſpectaret. *Poſsid. c.* 12.

In hâc Donatiſtarum Epiſcopum CRISPINVS agebat, habitus inter eos vti ſenex, ita doctiſſimus: *l.* 3. *cont. Creſcon. c.* 46. diuitias verò non tam cum Petiliano formidans, vt eas etiam amaret: adeoque aduerſus Petilianum multo copioſiùs earum laudes recitare poſſet, quàm eas ille deprimere. *l.* 2. *cont. Petil. c.* 99.

Is igitur Criſpinus, iuxta Hipponenſem ciuitatem, *l.* 2. *cont. Petil. cap.* 99. in fundo Catholicorum Imperatorum (quorum legibus, ſi earum fuiſſet vſus, ne quidem permittebantur eſſe Donatiſtæ in ciuitatibus: *eod. l. c.* 38.) loco, vt apparet, Mapalia dicto, *Epiſt.* 173. emerat poſſeſſionem Emphyteuticam: cuius titulo, coactos vno terroris impetu octoginta fermè colonos ſuos, miſerabili gemitu muſſitantes, non dubitauit, paullò ante hoc tempus, rebaptizando ſubmergere: *l.* 2. *cont. Petil. c.* 83. verè dictus Auguſtino, emiſſe fundum, vbi mergeret homines in profundum. *eod. l. c.* 99. Ideoque cum eo ſuper hac re grauiter expoſtulat, & interrogantis Chriſti proſopopœiâ terret, hoc modo:

Criſpine, carum fuit pretium tuum ad emendum timorem Mapalienſium, & vilis mors mea, ad emendum amorem omnium gentium? Plus valuit rebaptizandis colonis tuis, quod numeratum eſt de ſacculo tuo; quàm baptizandis populis meis, quod manauit de latere meo? *&c.* Poſtremò prouocat eum ad diſputationem, certâ lege, vt & antea, propoſitâ: adiuratque per Chriſtum, vt ad iſta reſpondeat. *Epiſt.* 173. Fecit? inquies. Vt congerrones ipſius ſolebant: ne γρῦ quidem. Sed plura de Criſpino pòſt: qui egregiè imitatus eſt Petilianum ſymmyſtam ſuum, de quo Auguſtinus ita teſtatur: Pars Donati quan-

ti quando præualebat Conſtantinæ ; laïcum noſtrum Catechumenum, natum de parentibus Catholicis, Petilianus tenuit, vim fecit nolenti, ſcrutatus eſt fugientem, inuénit latentem, extraxit pauentem, baptizauit trementem, ordinauit nolentem; *Conc. ad Cæſarienſ.*

§. V.

Libri Auguſtini contra Parmenianum ; & De Baptiſmo : horumque occaſio.

PRæterpropter hoc tempus, cùm Parmeniani litteras, de quibus ſuprà, refelleret, quia promiſerat de quæſtione Baptiſmi latiùs aliquid Domino adiuuante tractare, vbi de omnibus teſtimoniis ſanctarum Scripturarum, quæ obiecerat Parmenianus reſpondiſſet ; *l. 2. cont. Parm. c. 14. & l. 1. de bapt. c. 1.* conſcripſit contra eoſdem Donatiſtas, auctoritate beatiſſimi Cypriani Epiſcopi & Martyris ſe defendere molientes, ſeptem Libros de Baptiſmo : in quibus docuit, nihil ſic valere ad refellendos Donatiſtas, & ad eorum prorſus ora claudenda, ne aduerſus Eccleſiam Catholicam ſuum ſchiſma defendant; quomodo litteras factumque Cypriani. *l. 2. Retr. c. 18.*

Ea res ſic habet. Antequam plenarij Concilij Nicæni ſententiâ, quid in Baptiſmo ab hæreticis collato ſequendum eſſet, totius Eccleſiæ conſenſio confirmaſſet; viſum eſt Cypriano, cum fermè octoginta coëpiſcopis ſuis Africanarum Eccleſiarum, omnem hominem qui extra Eccleſiæ Catholicæ communionem baptizatus fuiſſet, oportere ad Eccleſiam venientem, denuò baptizari.

Quod non rectè fieri, tanto viro nimirum Dominus non aperuit : vt eius pia & humilitas, & charitas in cuſtodiendâ ſalubriter Eccleſiæ pace pateſceret : & non ſolùm illius temporis Chriſtianis, ſed etiam poſteris, ad medicinalem vt ita dicam notitiam ſignaretur. Cùm enim tanti meriti, tantæ eccleſiæ, tanti pectoris, tanti oris, tantæ virtutis Epiſcopus, aliud de Baptiſmo arbitraretur, quàm erat inquiſita diligentiùs veritas firmatura : multique eius Collegæ, quamuis liquidè nondùm manifeſtatum, id tamen tenerent, quod & præterita Eccleſiæ conſuetudo & poſtea totus Ca-

tholicus orbis amplexus eſt; non ſe ille tamen à ceteris diuerſa ſentientibus, ſeparatâ communione diſiunxit: & hoc etiam ceteris perſuadere non deſtitit, vt ſufferrent inuicem in dilectione, ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritûs in vinculo pacis.

Ita enim corporis manente compage, ſi quid in quibuſdam membris infirmabatur; ex eorum ſanitate conualeſceret potiùs, quàm præciſione mortificatum, diligentiam nullius curationis admitteret. Et ſi ille ſe ſeparaſſet; quàm multi ſequerentur? Quantum ſibi nomen inter homines faceret? quàm latiùs Cyprianiſtæ, quàm Donatiſtæ vocarentur? Sed non erat filius perditionis, de qualibus dictum eſt: *Deiecisti eos dum extollerentur*: ſed erat filius pacis Eccleſiæ, qui tantâ cordis illuminatione præditus, propterea non vidit aliquid, vt per eum aliud ſupereminentius videretur. Et adhuc, inquit Apoſtolus, ſupereminentiorem viam vobis demonſtro. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam; factus ſum velut æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens.

Minùs ergò ille penetrauit, vt cerneret ſecretum abditum Sacramenti. Sed ſi ſciret omnia Sacramenta, charitatem autem non haberet; nihil eſſet. Cùm autem minùs ille perſpiciens, hanc tamen humiliter, fideliter, fortiter cuſtodiuit; ad Martyrij coronam meruit peruenire: vt ſi qua in eius lucidam mentem, ex humanâ conditione nebula irrepſerat, glorioſâ ſerenitate fulgentis ſanguinis fugaretur, &c. *libro* 1. *de Bapt. cap.* 1.

§. VI.

S. Cyprianus ab Auguſtino purgatus.

ET licet hæc ita habeant, ac Cyprianus aliter ſenſerit de Baptiſmo, quàm forma & conſuetudo habeat Eccleſiæ, vt in ipſius Cypriani & Concilij litteris inuenitur; non incongruè tamen, inquit Auguſtinus, de tali viro exiſtimandum eſt, quòd correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrono carere noluerunt.

Quamquam non deſint, qui hoc Cyprianum prorſus non ſenſiſſe conten-

contendant : ſed ſub eius nomine à præſumtoribus atque mendacibus fuiſſe confictum. Neque enim ſic potuit integritas, atque notitia litterarum vnius, quamlibet illuſtris Epiſcopi, cuſtodiri, quemadmodum Scriptura canonica, tot linguarum litteris, & ordine & ſucceſſione celebrationis Eccleſiaſticæ cuſtoditur : contra quam non defuerunt, qui ſub nominibus Apoſtolorum multa confingerent, *&c.* Pergit deinde Auguſtinus : Nos tamen duas ob res, non negamus illud ſenſiſſe Cyprianum : quòd & ſtylus eius habet quamdam propriam faciem, quâ poſſit agnoſci; & quod ibi magis contra vos noſtra cauſſa monſtratur inuictior, &c. *Epiſt.* 48. *ad Vincentium Rogatiſtam.*

Quapropter ſicuti Cyprianus (vt apparet ex eius Epiſtola ad Iubaian. ſcriptâ) non damnabat eos, qui ab hæreſi antè ad Eccleſiam non rebaptizati venerant, tametſi ipſe aliter ſentiret; (*eo quòd potens ſit*, inquit, *Dominus miſericordiâ ſuâ indulgentiam dare; & eos qui ad Eccleſiam ſimpliciter admiſſi, in Eccleſia dormierunt, ab Eccleſiæ ſuæ muneribus non ſeparare*;) propter Vnitatis verò cuſtodiam ignoſcebat iis, quos alioquin in Baptiſmo non iterando errare putabat : ſic Cypriano reuera erranti in Baptiſmo iterando, planè tum ignoſcebatur, eſtque ignoſcendum propter eamdem vnitatis, in qua nihilominus manſit, charitatem.

Verumtamen veluti olim Nouatiani ſecùs fecerant, dum, quia Eccleſiam vt pollutam accuſabant, baptizatos in eâ rebaptizabant : ita hos imitati Donatiſtæ, nullibi niſi apud ſe, dicebant legitimum conferri Baptiſmum, vti latiùs in ſequentibus oſtendemus.

§. VII.

Liber, contra quod attulit Centurius.

CVm per id tempus, aduerſus partem Donati multa crebris diſputationibus ageret; attulit ad Eccleſiam quidam laïcus tunc eorum, nonnulla contra ipſum dictata vel ſcripta, in paucis veluti teſtimoniis, quæ ſuæ cauſſæ ſuffragari putabant. Quibus breuiſſimè reſpondit : ac libello (qui interiit) titulum fecit : Contra quod attulit Centurius à Donatiſtis. *l.* 2. *Retract. c.* 19.

VITÆ DIVI AVRELII AVGVSTINI LIBER TERTIVS.

*Q*Vandoquidem hucuſque continuatâ ſerie res Donatiſtarum in medium adduximus, vt contemporaneum eis Auguſtinum habeamus perpetuum eorum Antagoniſtam; dum huius vitam geſtáque proſequimur, aliorum quæ pro temporum ratione occurrerint, deinceps proſequemur.

CAPVT I.

AVGVSTINI DIDACTICA QVÆDAM.

§. I.

Libri duo Ad inquiſitiones Ianuarij.

MEmorato libro, quem intercidiſſe diximus, ſucceſſerunt duo, ad Inquiſitiones Ianuarij: quorum vterque ſicut Epiſtolæ formam,

mam, & primus præſertim; ita locum inter eas & numerum habent, *Epiſt.* 118. *&* 119. Scripti ſunt in mediis aceruis, vt ait, (coniicique facile poteſt ex iis quæ diximus dicturique ſumus) occupationum ipſius: & multa de Sacramentis continent diſputata, ſiue quæ vniuerſaliter, ſiue quæ particulariter, id eſt, non peræquè in omnibus locis, obſeruat Eccleſia: nec tamen commemorari omnia potuerunt. *l.* 2. *Retr. cap.* 20. *& Epiſt.* 119. *c.* 1. *&* 21.

Duobus interim hiſce libris magna pars eorum iugulatur, quæ de Euchariſtiæ Sacramento eiuſque ſuſceptione, aliiſque eodem pertinentibus Eccleſiæ moribus & ritibus, à Nouatoribus in controuerſiam vocari conſuerunt.

§. II.

Liber De Opere Monachorum.

ECcleſiam Carthaginenſem eâ tempeſtate Aurelius Epiſcopus gubernabat. Cumque propagatus huc eſſet, quem Auguſtinus Africæ intulerat, Monachorum cœtus: quorum alij otioſam vitam, alij laboribus exercitam ducere volebant: hancque ab rem capillitium alij ſcinderent, alij nutrirent: atque hæ diſceptationes vtrimque, partibus ſibi partes conciliantibus, feruėſcerent; rogante Aurelio, de Opere Monachorum (animorum Carthagine, non alibi, motus excitatos compoſiturus) librum conſcripſit: quo quidem manuum laborem iſti hominum generi commendat; haud tamen adeò vniuerſim, vt excipiat nobiles & delicatos è ſæculo, tum in religione infirmos, & aliis occupationibus, vt eſt verbi Dei præconium, intentos, &c. *l. de op. Monach. c.* 16. 21. & 25.

Etenim Paullum & Barnabam ſolos, ſuperaſſe ceteros Apoſtolos, qui de Euangelio viuebant, oſtendit *c.* 7. adeoque maximam eorum partem, fidelium laboribus ac liberalitate vſam: quod quamquam non fecerit, potuiſſe nihilominùs à ſe fieri Paullus gloriatur. *eod. l. c.* 4. *&* 11. De qua re videndus etiam *l. de Paſtorib. c.* 2.

Ex quo patet nullum hoc in libro præſidium reperire, qui Monaſticem hodie exoſi, non verentur eorum otium, deſidiam appella-

re: vt

re: vt iam nihil dicam de iis, qui exiſtimant nomine Monachorum, Clericos omnes Africæ deſignari, de quibus nuperum Carthaginenſe Concilium, cui interfuit Auguſtinus, iubet, *vt, quantumlibet verbo ſint eruditi, artificio victum quærant.* Ac rurſum: *Victum & veſtimentum ſibi artificio vel agricultura, abſque officij ſui dumtaxat detrimento præparent.* Denique: *Omnes Clerici, qui ad operandum validi ſunt, & artificiola & litteras diſcant. Ita Conc. Carth. V. can.* 51. 52. & 53. nimirum ad exſtirpandos Euchaitas & Maſſalianos hæreticos, quorum in Africa tum ſurculi pullulabant. *Baron. Anno* 398.

§. III.

Liber De bono Coniugali.

AVguſtini ætate, dum adhuc eſſet iuuenis, puta Anno Chriſti 382. erat excitata à Iouiniano (Monacho quondam eius Monaſterij, cuius meminit his verbis: Erat Monaſterium Mediolani, plenum bonis fratribus, extra vrbis mœnia, ſub Ambroſio nutritore, *l.* 8. *Conf. c.* 6.) hæreſis Iouianiſtarum. Quæ ſacrarum Virginum meritum adæquando pudicitiæ coniugali, tantùm valuit in Vrbe Româ; vt nonnullas etiam ſanctimoniales, de quarum pudicitiâ ſuſpicio nulla præceſſerat, deieciſſe in nuptias diceretur: hoc maximè argumento cum eas vrgeret, dicens: Tu ergo melior quàm Sara, melior quàm Suſanna, quàm Anna? Et ceteras commemorando teſtimonio ſacræ Scripturæ commendatiſſimas feminas, quibus ſe illæ meliores, vel etiam pares cogitare non poſſent. Hoc modo etiam virorum ſanctorum ſanctum cælibatum, commemoratione Patrum coniugatorum, & prædicatione frangebat.

Huic monſtro ſancta Eccleſia, quæ ibi eſt, fideliſſimè ac fortiſſimè obſtiterat: ſed remanſerant iſtæ diſputationes Iouiniani in quorumdam ſermunculis ac ſuſurris, quos palàm ſuadere nullus audebat. Vnde cùm venenum occultè reperet, occurrendum fuit: maximè cùm iactaretur, Iouiniano reſponderi non poſſe cum laude, ſed cum vituperio nuptiarum. Propter hoc librum edidit, cuius inſcriptio eſt, de Bono Coniugali. *l.* 2. *Retract. c.* 22. *l.* 3. *de pec. mer. & remiſſ. c.* 7.

§. IV.

§. IV.

Liber de ſancta Virginitate.

QVod poſteaquam feciſſet, exſpectabatur vt ſcriberet de ſancta Virginitate. Nec diſtulit. Atque hoc Dei munus & quàm magnum, & quantâ humilitate cuſtodiendum eſſet, vno ſicut potuit volumine oſtendit. *l. 2. Retract. cap. 23.*

Ait ibi inter cetera: Cedat huic omnis fecunditas carnis, omnis pudicitia coniugalis. illa non eſt in poteſtate, illa non eſt in æternitate. Fecunditatem carnalem non habet liberum arbitrium: pudicitiam coniugalem non habet cælum. Profectò habebunt magnum aliquid præter ceteros in illa communi immortalitate; qui habent aliquid iam non carnis in carne.

Vnde mirabiliter deſipiunt, qui putant huius continentiæ bonum non eſſe neceſſarium propter regnum cælorum, ſed propter præſens ſæculum: quòd ſcilicet coniugia terrenis curis pluribus atque arctioribus diſtenduntur, quâ moleſtiâ virgines & continentes carent: quaſi ob hoc tantùm melius ſit non coniugari, vt huius temporis relaxentur anguſtiæ, non quòd in futurum ſæculum aliquid proſit. *l. de ſanct. Virg. cap. 13.*

CAPVT II.

AVGVSTINVS PAGANISMVM OPPVGNAT.

§. I.

Chriſtianorum de tempore nouiſsimo vana coniectura. Item de Aduentu Antichriſti.

QVemadmodum conſummationis ſæculi tẽpus, Chriſtiani tunc nihilum profuturo ſtudio indagabant; ita horum ęmuli Pagani,

cùm procurrentem tãto impetu Chriſti religionem, nullis conatibus, ac Romæ præſertim, vbi Cathedram Primas Apoſtolorum Petrus fundauerat, ſiſtere poſſent; futilium oraculorum fide, exitum ipſius exitiumque adſtruere voluerunt.

Et quidem fuerant inter Chriſtianos nonnulli, qui cùm nollent plures quàm decem Chriſtianorum perſecutiones eatenus fuiſſe (quarum primam computabant, quæ à Nerone facta eſt: ſecundam quæ à Domitiano: tertiam à Traiano: quartam ab Antonino: quintam à Seuero: ſextam à Maximino: ſeptimam à Decio: octauã à Valeriano: nonam ab Aureliano: decimam à Diocletiano & Maximiano: adeo vt plagas Ægyptiorum, quoniam decem fuerunt antequam inde exire inciperet populus Dei, putarent ad hunc intellectum eſſe referendas) perſecutionem nouiſſimam Antichriſti, ſimilem fore dicerent vndecimæ plagæ: quâ dum Ægyptij hoſtiliter perſequuntur Hebræos, in mari rubro, populo Dei per ſiccum tranſeunte, perierint. *l.18. de Ciuit. Dei cap. 52.*

Huius ſanè opinionis Oroſius fuit, *l.7.cap.27.* vt obſeruauit Proſper, *l.de Promiſſ.& prædict.p.3.cap.34.* licet eam exquiſitè inuentam haud probet Auguſtinus: arbitratus neque plagis Ægypti, propheticè ſignificatas eſſe iam dictas perſecutiones; neque ad eum numerum, quem vtique exceſſerunt, præcisè definiendas. *l 18.de Ciuit.Dei cap.52.*

Fuerant & alij, qui præteritâ opinione ſubnixi, ſiue non nixi, quærere cœperunt, Quandonam futura eſſet nouiſſima perſecutio Antichriſti, quam præſentiâ ſuâ ipſe extinguet Ieſus? vel, quod eòdem euadit, Quot anni huic ſæculo remanerent, ab Aſcenſione Domini vſque ad eius vltimum aduentum?

Hos enim alij quadringentis, alij quingentis, alij mille compleri poſſe dixerunt: multis quidem verbis adſtruentes opinionem ſuam, ſed quæ præter coniecturas humanas, nihil certum præferant de Scripturæ Canonicæ auctoritate. Omnium enim de hac re calculantium digitos reſoluit, & quieſcere iubet ille, qui diſcipulis deſuper quærentibus reſpondit: Non eſt veſtrum ſcire tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. *l.18.de Ciuit. Dei cap.53.*

Nam ſi Apoſtolis dictum eſt, *Non eſt veſtrum ſcire*; quantò magis quilibet homo, qualis ego ſum, debet agnoſcere, ne plùs ſapiat, quàm oportet ſapere. *Epiſt.80.*

§. II.

§. II.

Paganorum vanitas, de tempore duraturæ Chriſti religionis.

VT verò hæc Euangelica ſententia eſt,non quidem ore Chriſti in Euangelio, ſed in Actis Apoſtolorum probata; ita mirum non eſt, non eâ fuiſſe repreſſos Paganos (quam vtique ignorabant)ne commentari aut comminiſci potiùs præſumerent, neſcio quæ dæmonum reſponſa,quos tamquam Deos colebant: quibus definiri, non quanto tempore mundus; ſed quanto tempore manſura eſſet Chriſtiana religio, affirmabant.

Cùm enim viderent, nec tot tantisq; perſecutionibus eam potuiſſe conſumi, ſed his potiùs mira incrementa ſumpſiſſe; excogitauerunt neſcioquos verſus Græcos, tamquam conſulenti cuidam diuino oraculo effuſos: vbi Chriſtum quidem ab huius tamquam ſacrilegij crimine faciunt innocentem,Petrum autem maleficia feciſſe ſubiungunt, vt coleretur Chriſti nomen per trecentos ſexaginta quinque annos; deinde completo memorato numero annorum, ſine morâ ſumeret finem. *l.18. de Ciuit. Dei cap.53.*

§. III.

Pagani proprium exitium prænuntiarunt.

SIquidem hoc ipſum vaticinium Paganiſmo exitiale fuit: quando- Anno
quidem impletis totidem annis à deſcenſu Spiritus ſancti in diſci- 399.
pulos (quo nominis Chriſtiani cultus,prædicantibus Apoſtolis, Spiritus ſancti virtute, non, vt putauit aut finxit impia vanitas, Magicis artibus Petri exorſus eſt)vſque ad Conſulatum Honorij & Eutychiani; anno ſequente, Conſule Manlio Theodoro in Ciuitate nouiſſimâ & eminentiſſimâ Carthagine, (quid per alias terrarum partes forſitan factum ſit non fuit neceſſe perquirere) Gaudentius & Iouius Comites

Imperatoris Honorij, quartodecimo Kalēdas Aprilis, falſorum Deorum templa euerterint, & ſimulachra fregerint. *eod. l. cap.* 54. Idem contigit in Scrapio Alexandriæ, & Marnæ templo Gazæ: quæ ambo in Eccleſias ſurrexerunt.

Conſtat autem nūquam poſtillà fuiſſe reſtaurata, & immane quantùm creuiſſe cultum nominis Chriſti: præſertim poſteaquam multi eorum Chriſtiani facti ſunt, qui tamquam verâ illâ diuinatione reuocabantur à Fide, eamque completo eodem annorum numero, inanem irridendamque viderunt.

§. IV.

Inſerta narratio de templo Cæleſtis Carthagine, planè memorabilis.

MEmorabile verò eſt, quod de clauſo pridem, ſed hoc anno mundato templo Cæleſtis apud Carthaginem, refert Proſper, qui interfuit; noſque in gratiam Aurelij, eâ vt diximus tempeſtate Carthaginenſis Epiſcopi, viri & ſummâ virtute præditi, & maximâ amicitiâ Auguſtino coniuncti; totidem verbis recitabimus.

„ Apud Africam, inquit, Carthagini, Cæleſtis ineſſe ferebant tem„ plum, nimis amplum, omnium Deorum ſuorum ædibus vallatum: cu„ ius platea lithoſtrata, pauimento ac pretioſis columnis & mœnibus „ decorata, procul in duobus ferè millibus paſſuum protendebatur. „ Cùm diutiùs clauſum, incuriâ, ſpinoſa virgulta circumſeptum obrue„ rent, velletque populus Chriſtianus vſui veræ religionis vindicare; „ dracones aſpideſque illic eſſe ob cuſtodiam templi, Gentilis populus „ clamitabat.

„ Quò magis Chriſtiani feruore ſuccenſi, eâ facilitate omnia amoue„ runt illæſi, quâ templum ſuo vero Cæleſti regi & Domino conſecra„ runt. Nam cùm ſancta Paſchæ ſollemnis ageretur feſtiuitas; collecta „ illic, & omni vndique curioſitate etiam adueniens multitudo Sacer„ dotum multorum, Pater & dignæ memoriæ nominandus Antiſtes „ Aurelius, cæleſtis iam patriæ ciuis, Cathedram illic loco Cæleſtis & „ habuit & ſedit.

Ipſe

Ipſe tunc aderam cum ſociis & amicis, atque (vt ſe adoleſcentium " ætas impatiens circumquaq; vertebat) dum curioſi ſingula quæq; pro " magnitudine inſpicimus; mirum quoddam & incredibile noſtro ſe in- " geſſit aſpectui, titulus æneis grandioribusque litteris in frontiſpicio " templi conſcriptus: AVRELIVS PONTIFEX DEDICAVIT. Hunc legen- " tes populi, mirabantur præſago tunc ſpiritu acta, quæ præſcius Dei " ordo certo iſto fine concluſerat. *Proſp. l. 3. de promiſſ. & prædict p. 3. ca.* 38. Quale fuerit idolum Cæleſtis, conſule Baron. hoc Anno.

§. V.

Floralia Calamæ celebrata. Impetus factus in Chriſtianos & eorum Eccleſias.

EVerſis Gentilium templis, exceptis iis quæ ad vrbium ornatum, ſed vetitis ibidem ſacrificiis, ſub id tempus ſupereſſe Honorius iuſſerat; Calamæ, vbi Poſſidius Epiſcopum agebat, effuſi Gentiles, impudiciſſima omnium ſacra, in opprobriũ promulgatarum legum, agitare auſi ſunt. Referente Auguſtino, facinus eſt tale: Contra recentiſſimas leges, Kalendis Iunij, Feſto Paganorum, ſacrilega ſollemnitas agitata eſt (Floralia, vt patet eâdem Epiſtolâ: de quibus vide *l. 1. de conſ. Euang c. 33.* originem *l. 6. de Ciuit. Dei c. 7.*) nemine prohibente: tam inſolenti auſu; vt quod nec Iuliani temporibus factum erat, petulantiſſima turba ſaltantium, in eodem prorſus vico ante fores tranſiret Eccleſiæ.

Quam rem illicitiſſimam atque indigniſſimam, Clericis prohibere tentantibus, Eccleſia lapidata eſt. Deinde poſt dies fermè octo, cùm leges notiſſimas Epiſcopus replicaſſet, & dum eá quæ iuſſa ſunt, velut implere diſponunt: iterum Eccleſia lapidata eſt. Poſtridie Clericis, ad imponendum perditis metum, apud Acta dicere volentibus, publica iura negata ſunt. Eodéque ipſo die, vt vel diuinitùs terrerentur, grãdo lapidantibus reddita eſt: quâ tranſactâ, cõtinuò tertiam lapidationem, & poſtremò ignes Eccleſiaſticis tectis, atque hominibus intulerunt.

Vnum ſeruorum Dei, qui aberrans occurrere potuit, occiderunt: ceteris partim vbi poterant latitantibus, partim quò potuerant fugientibus: cùm interea contruſus, atque coarctatus quodam loco ſe occul-

occultaret Epiſcopus, vbi ſe ad mortem quærentium voces audiebat; ſibique increpantium, quod eo non inuento, gratis tantùm perpetraſſent ſcelus. Geſta ſunt hæc ab hora ferè decima vſque ad noctis partem non minimam, &c. *Epiſt.* 202.

§. VI.

Auguſtinus Calamam proficiſcitur.

HÆc vt facta ſunt, neque vllius, cuius ibi poteſtas paullò plus poterat, auctoritate prohibita; Auguſtinus, cui erat Eccleſiæ Calamenſis inſpectio commiſſa, vt antè diximus, eò aduenit, vt præſentiâ ſuâ vel conſolaretur afflictos Chriſtianos, vel ſedaret incenſos Paganos. Atque cum his quidem quid illic egerit, narrat ipſe his verbis:

Deinde ipſos Paganos, mali tanti caput & cauſam, petentes vt ab eis videremur, admiſimus: vt hac occaſione admoneremus eos quid facere deberent, ſi ſaperent; non tantùm pro remouendâ præſenti ſollicitudine, verùm etiam pro inquirendâ ſalute perpetuâ. Multa à nobis audierunt; multum etiam ipſi rogauerunt: ſed abſit vt tales ſimus, quos ab eis rogari delectet, à quibus noſter Dominus non rogatur. *Eâdem Epiſt.*

§. VII.

Nectarius Calamenſis, Auguſtino pro ciuibus ſuis ſupplicat per litteras: quibus Auguſtinus reſpondet.

POſtquam Calamâ Auguſtinus diſceſſerat, cùm ob admiſſum facinus Calamenſes Cæſaris iram formidarent; Nectarius, aut Dynaſtiâ loci, vt apparet, aut ætatis iam prouectæ auctoritate fretus, ad Auguſtinum litteras dedit, quibus eum rogat, vt intercedat ne (ſi exigeretur totius auſi vindicta) innocẽtes cum nocentibus plecterentur. Epiſtola, paucis reciſis, ita habet: *Quanta ſi charitas patriæ, quoniam noſti prætereo. Gaudeo primùm, quòd apud inſtructum diſciplinis omnibus virum mihi*

mihi hic eſt ſermo inſtitutus. In Calamenſi Coloniâ multa ſunt quæ meritò diligamus,&c. Hæc ergo non leui populi ſui errato prolapſa eſt: quod quidem ſi iutu publici rigore metiamur, debet plecti ſeueriori cenſurâ. Sed Epiſcopum fas non eſt, niſi ſalutem hominibus impertire,& pro ſtatu meliore cauſis adeſſe, & apud omnipotentem Deum veniam aliorum mereri delictis. Quamobrem quantâ poſſum ſupplicatione depoſco, vt ſi defendenda res eſt, innoxius defendatur, ab innocentibus moleſtia ſeparetur. De damnis facilis poteſt haberi taxatio, tantùm ſupplicia deprecamur. Exſtat Epiſtola inter Auguſtini, numero 201.

Reſpondit Auguſtinus inter alia,quibus optimè Nectarium inſtruxerat,his verbis: Nobis cordi eſt neque Chriſtianam omittere mãſuetudinem,neque perniciosum ceteris imitationis exemplum, in illa ciuitate relinquere. Quomodo id agamus aderit Deus, ſi eis non ita grauiter indignetur. Alioquin & manſuetudo quam ſeruare cupimus, & diſciplina,quâ vti moderatè nitimur,impediri poteſt, ſi Deo aliud in occulto placet, ſiue iudicanti hoc tantum malum, flagello acriore plectendum: ſiue etiam vehementiùs iraſcenti, ſi non correctis, nec ad ſe conuerſis,ad tempus eſſe voluerit impunitum. *Epiſt.*202.

In ſumma, quia in ciuitate illa non erat innocentes à nocentibus, ſed minùs nocentes à nocentioribus diſcernere: erant enim ſcelerati omnes, quibus etſi non facientibus neque immittentibus, tamen volentibus,fuerant iſta commiſſa: cenſebat Auguſtinus aliquâ diſciplinâ coërcendos,ne maneret impunitum furoris tam immanis exemplum. In quo,Non præterita,inquit,vindicãdo,iram noſtram paſcere ſtudemus,ſed miſericorditer in futurum conſulendo ſatagimus.*Eâdem Epiſt.* quam ſic denique,vltimis Nectarij verbis reſpõdens,concludit:Damna quæ illata ſunt, vel tolerantur à Chriſtianis, vel reſarciuntur per Chriſtianos. Animarum verò lucra, quibus acquirendis cum periculo etiam ſanguinis inhiamus, & in loco illo quæſtuoſiùs prouenire, & aliis locis illo exemplo non impediri, deſideramus.

§. VIII.

Poßidius Calamenſis Epiſc. ad Imp. proficiſcitur. Nectarius iterum ſcribit Auguſtino.

POſſidius ergo Calamenſis Epiſcopus Catholicus, exponẽdæ indignitatis rei gratiâ, implorandiq; contra Paganorum furorem ſiue auxilij

auxilij,ſiue vindictæ,ad Imperatorem Honorium Rauennam nauigat. Quod vbi Nectarius accepit, veritus exactum iri mandato Honorij iuſtiſſimas ab reis pœnas;ad Auguſtinum alterâ vice litteras dedit, quibus & iam memoratis Auguſtini reſpondet, & Calamenſium ſuorum negotium agit,ita exorſus: *Sumptis litteris Eximietatis tuæ, quibus idolorum cultum & templorum cærimonias deſtruxiſti, audire mihi viſus ſum Philoſophi vocem*, &c. His itidem Auguſtinus reſpondit: hominemque Gentilem terreſtris patriæ amore deuinctum, & cæcutientium Philoſophorum auctoritate ſubnixum partim corripiens, partim inſtruens; nunc blandis,nunc aculeatis ſententiis percelluit. *Epiſt.*254.

§. IX.

Paganorum in Coloniâ Suffectanâ inſania, ab Auguſtino increpatur.

SVffectani deinde in Prouinciâ Byzacenâ, ſollennia quoque inſanientes, poſtpoſito legum & iudiciorum timore, ſexaginta Chriſtianos occiderãt. *Martyrol. Rom.* 10. *Aug.* Totidem numero cæſos refert Auguſtinus Epiſtolâ 267. atque immanitatis famoſiſſimum ſcelus & inopinatam crudelitatem appellat, increpatque: effuſi deinde ſanguinis cauſſam exquirit his verbis.

" Si Herculem veſtrum dixeritis,inquit,porrò,reddemus. Adsũt me-
" talla,ſaxa nõ deſunt,accedunt marmorũ genera,ſuppeditat artificum
" copia. Ceterùm Deus veſter,cum diligentiâ ſculpitur,tornatur, & or-
" natur. Addimus & rubricã quæ pingit ruborem,quo poſſint vota ve-
" ſtra ſacra ſonare. Nam ſi veſtrum Herculem dixeritis; collatis ſingulis
" nummis, ab artifice veſtro vobis emimus Deum: reddite igitur ani-
" mas, quas manus veſtra contorſit. Et ſicuti à nobis veſter Hercules
" redhibetur; ſic etiam à vobis tantorum animæ reddantur.

Quo increpandi genere, vt ſcilicet reſtituto ſibi Hercule, trucidatos à ſe homines vitæ Suffectani repræſentent; cùm poſſibile iſtud non eſſet, ſatis arguit Paganorum temerariam immanitatem: quâ vnius idoli facilè reparabile damnum, tot hominum cædibus compenſare voluerunt.

Verùm

Verum vt ſciamus, non hîc tantummodò, ſed alibi etiam, Herculem in cultu fuiſſe; adeundus eſt Sermo ſextus inter nouiſſimos Quadraginta, qui Pariſiis prodierunt: vbi ſuggeſtum à Chriſtianis Proconſuli Carthagine fuit, vt Herculi illudere liceret.

§. X.

An licitum, Paganis idola tollere?

FAs non eſſe Chriſtianis, pro libitu, ſua Paganis idola tollere, clarè docuit Auguſtinus, priuſquam hæc fortaſſis agerentur, dum ait: Hoc dicimus Charitati veſtræ, ne faciatis iſta: quando in poteſtate veſtrâ non eſt vt faciatis. Illud prauorum hominum eſt, furioſorum Circumcellionum: & vbi poteſtatem non habent ſæuire, & velle mori properant ſine cauſsâ.

Audiſtis quæ vobis legimus, omnes, qui nuper in Mapalibus adfuiſtis: *Cùm data vobis fuerit terra in poteſtatem.* Priùs ait, *in poteſtatem*: & ſic dixit, quæ facienda ſunt. *Aras eorum*, inquit, *deſtruetis, lucos eorum comminuetis, & omnes titulos eorum confringetis.* Cùm acceperitis poteſtatem, hoc facite. Vbi nobis non eſt data poteſtas, non facimus: vbi data eſt, non prætermittimus. Multi Pagani habent iſtas abominationes in fundis ſuis: numquid accedimus & confringimus? Priùs enim agimus, vt idola in eorum cordibus confringamus. Quando Chriſtiani & ipſi facti fuerint; aut inuitant nos ad tam bonum opus, aut præueniunt nos: Modò orandum eſt pro illis, non iraſcendum illis. *ſerm. 6. de verb. Dom. c.* 11. vide & *c.* 12. *Deut. 7. & 12.*

Iam, cùm templa, idola, luci & ſi quid eiuſmodi, datâ poteſtate (quod nunc equidem euenerat) euertuntur, quamuis manifeſtum eſt cùm id agimus non ea nos honorare, ſed potiùs deteſtari; ideo tamen in vſus noſtros priuatos dumtaxat & proprios non debemus inde aliquid vſurpare: vt appareat, nos pietate iſta deſtruere, non auaritiâ. Cùm verò in vſus communes, non proprios ac priuatos, vel in honorem Dei veri conuertuntur; hoc de illis fit, quod de ipſis hominibus, cùm ex ſacrilegis & impiis in veram religionem mutantur. *Epiſt.* 154.

§. XI.

Auguſtinus ſtudet Madaurenſes à Paganiſmo conuertere.

HAc circiter tempeſtate ciues Madaurenſes (quos fratres ſuos & parentes appellat, ſed Paganiſmo adhuc immerſos) cùm Auguſtino negotia ſua curanda impoſuiſſent, quæ quidem Florentinum concernebánt ; luculentis admodum rationibus ab Idololatriâ ad Chriſti fidem ſuſcipiendam (quod iam Orbis terrarum maximis incrementis fecerat) conatus eſt adducere.

Videtis certè (inquit inter alia) ſimulachrorum templa partim ſine reparatione collapſa, partim diruta, partim clauſa, partim in vſus alios commutata. Ipſaque ſimulachra vel confringi, vel incendi, vel includi, vel deſtrui: atque ipſas huius ſæculi poteſtates, quæ aliquando pro ſimulachris populum Chriſtianum perſequebantur, victas & domitas, non à repugnantibus, ſed à morientibus Chriſtianis: & contra eadem ſimulachra, pro quibus Chriſtianos occidebant, impetus ſuos, legeſque vertiſſe: & Imperij nobiliſſimi eminentiſſimum culmen, ad ſepulchrum Piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare. Hæc omnia Scripturæ diuinæ, quæ in omnium manus iam venerunt, ante longiſſima tempora, futura eſſe teſtatæ ſunt, &c. *Epiſt.* 42.

Occaſionem hiſce, aliiſque ſermonibus Madaurenſes alloquendi dederat, quòd in litterarum ſuarum limine Madaurenſes ſcripſiſſent: ***Patri Auguſtino in Domino ſalutem***: & denique ſubieciſſent : ***Optamus te, Domine in Deo & Chriſto eius, per multos annos ſemper in Clero tuo gaudere.*** Ex quibus arbitrabatur, quandoquidem à toto Madaurenſium Ordine ſiue Magiſtratu Epiſtola veniſſet; aut ad ipſum Dominum & ad ipſam æternam ſalutem iam eſſe conuerſos ; aut per ipſius miniſterium deſiderare conuerti.

Nam ſi non ita eſt, inquit, quæſo vos, quid læſi, quid offendi beneuolentiam veſtram, vt me titulo Epiſtolæ veſtræ irridendum potiùs, quàm honorandum eſſe putaretis? *ead. Epiſt.* Sed erit mox iterum de Paganis dicendi occaſio.

CAPVT

CAPVT III.

AVGVSTINI ET EPISCOPORVM AFRICANORVM ERGA DONATISTAS STVDIVM.

§. I.

Scribit de Vnitate Eccleſiæ.

NOndum Petilianus, duobus libris confutatus, reſponderat, cùm Auguſtinus fratribus, ad ſuæ diſpenſationis curam pertinentibus, Epiſtolam direxit: in quâ quia de Vnitate Eccleſiæ, quam ſibi Donatiſtæ vindicabant, diſſeruit, eodem titulo nuncupauit. Iſtud colligitur eiuſdem Epiſtolæ initio, vbi Petilianum ad reſpondendum prouocat, his verbis: Defendat verba epiſtolæ ſuæ, & ſi poteſt oſtendat reſponſionibus meis non ea fuiſſe refutata atque conuicta. Aut ſi hoc non vult; faciat & huic epiſtolæ meæ, quod ego illi ipſius, cui iam reſpondi. Illam quippe ſcripſit ad ſuos, ſicut ego hanc ad vos: cui ſi velit, etiam ipſe reſpondeat. *l. de Vnit. Eccl. cap. 1.* Anno 400.

Quia autem cum Donatiſtis quæſtio Catholicis erat non de Capite, ſed de Corpore, id eſt, non de ipſo Saluatore Ieſu Chriſto, ſed de eius Eccleſiâ; Id ipſum caput, inquit, de quo conſentimus, oſtendat nobis corpus ſuum, de quo diſſentimus: vt per eius verba iam diſſentire deſinamus. Ille eſt autem Vnigenitus filius, & Verbum Dei. Et ideo nec Prophetæ ſancti vera loqui potuiſſent, niſi ab ipsâ Veritate, quod eſt Verbum Dei, manifeſtaretur eis quod dicerent, & iuberetur vt dicerent. Proinde prioribus temporibus, per Prophetas ſonuit Verbum Dei, deinde per ſeipſum, cùm Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis: deinde per Apoſtolos, quos miſit ad prædicandum, vt eſſet ſalus vſque ad fines terræ. In his igitur omnibus, quærenda eſt Eccleſia. *l. de Vnit. Eccl. c.4.*

Quamobrem docet in hac Epiſtolâ, veram Chriſti Eccleſiam, Ca-

tholicam eſſe debere: quo vocabulo eam maiores nominarunt, vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt: ſecundùm totum enim *καθόλον* Græcè dicitur. *eod. l. c.* 2 Docet, inquam, primùm ex Lege: *ibid. c. 6.* ex Prophetis: *c.* 7. ex Pſalmis: *c.* 8. ex Euangelio, *c.* 10. ex Actis Apoſtolorum: *c.* 11. denique refellit argumenta, imò deliramenta Donatiſtarum, quibus paucitatem ſuam commendare, & ſuperbè ſtabilire conabantur, dicentes: Orbem terrarum apoſtataſſe, ſolamque remanſiſſe Donati communionem. *eod. l. c.* 13. *& ſeqq.* Idem argumentum alibi pro re natâ pertractat, *l.* 2. *cont. Petil. c.* 38. *l.* 2. *cont. Gaud. c.* 2. *& ſeqq. Epiſt.* 48. 50. 161. 171. &c. Etenim in omni, ait, loco, dixit Paullus bonum odorem eſſe omnes fideles; & contradicitur: & dicitur, Africa ſola bene olet, totus mũdus putet. *Enarr. in Pſ.* 21.

§. II.

Epiſtola Auguſtini ad Generoſum.

PRæterpropter hoc tempus contigiſſe videtur, vt Cirtenſis ſiue Conſtantinienſis Eccleſiæ Presbyter quidam litteras ad Generoſum daret: quibus vt ad Donatiſtas eum alliceret, ſcribebat, Angelum ſibi iuſſiſſe, ordinem Chriſtianitatis ciuitatis iſtius inſinuare.

Reſpondit ſuo, aliorumque nomine Auguſtinus, ad quem Presbyteri Donatiſtæ litteras Generoſus tranſmiſerat: Quod licet ſcribenti Presbytero Angelus adſtitiſſet (quem ſibi ille propter Generoſum adſtitiſſe, quantum erat arbitrari, aſtutâ vanitate confinxerat) & hæc ipſa dixiſſet, quæ Presbyter mandato illius, Generoſo ſe inſinuare dixerat; oportuiſſe illum Apoſtolicæ ſententiæ memorem fieri, quâ ait: *Licet nos, aut Angelus de cælo, vobis Euangelizauerit, præter id quod Euangelizauimus vobis, Anathema ſit.*

Nam cùm Euangelizatum ſit per vocem ipſius Domini Ieſu Chriſti, quod omnibus gentibus annuntiabitur Euangelium eius, & tunc erit finis: has promiſſiones tenenti ſi Angelus de cælo diceret, Dimitte Chriſtianitatem orbis terræ, & tene partes Donati, cuius ordo tibi exponitur in Epiſtola Epiſcopi tuæ ciuitatis; Anathema eſſe deberet: quia te à toto præcidere, & in partem contrudere conaretur,

& alienare à promiſſis Dei. Si enim ordo ſucceſſionis conſiderandus eſt, certiùs ab ipſo Petro numeratur: vti ipſe ibi enumerat Auguſtinus, vſque ad Anaſtaſium qui tum præſidebat, in quo nullus Donatiſta Epiſcopus inuenitur. *Epiſt.* 165.

§. *III.*

Honorij contra Donatiſtas Edictum.

QVia verò Catholicorum Imperatorum, pro Vnitate Eccleſiæ, curam & zelum taxans Petilianus, ſatis in eos impudenter inuectus fuerat, dum ait: *Quid autem vobis eſt cum Regibus ſaculi, quos numquam Chriſtianitas niſi inuidos ſenſit*, &c. *l.* 2. *cont. Petil. c.*92. re cognitâ Honorius, referente fortaſſis Epiſcopo Calamenſe Poſſidio, paullò antè vt diximus, ad Comitatum profecto; huius Anni menſe Februario præcipite, ad retundendam Donatiſtarum perfidiam, ita edixit:

"Reſcriptum, quod Donatiſtæ à Iuliano, tunc Principe, impetraſſe dicuntur; propoſito programmate celeberrimis in locis volumus anteferri, & geſta, quibus eſt eiuſmodi allegatio inſerta, ſubnecti: quò omnibus innoteſcat, & Catholicæ confidentiæ ſtabilita conſtantia, & Donatiſtarum deſperatio fucata perfidiæ. Dat. V. Kalend. Martij, Rauennæ, Stilicone & Aureliano Coſſ. *l.* 37. *de hæret. Cod. Theod.*"

Ita demum in Donatiſtarum dedecus, populique ludibrium abiit, quod ab vno Apoſtatâ pro ſe impetrauerant.

§. *IV.*

Carthaginenſe Concilium ad tollendum Donatiſtarum ſchiſma: cuius magna pars Auguſtinus.

ANno ſequente, cùm Epiſcoporum Prouinciæ Carthaginenſis deſiderio Anaſtaſius Papa ſatisfaceret, vtique mittendo quod Anno 401.

 poſtula-

poſtulauerant, ſupplemento Clericorum; tum in primis hortatus eſt atque mandauit, vt extinguendo ſchiſmati, & Vnitati ſarciendæ cum Donatiſtis, gnauiter incumberent.

Quàm verò Patres, ac præſertim Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus, non inſuper habuerint Anaſtaſij voluntatem, vel inde liquidò patet; quòd ad Idus Septembris eiuſdem anni, generale totius Africæ Concilium Carthagine indixerit: quod tum perinde habitum eſt, Vincentio & Flauito vv. cl. Coſſ. in Secretario Baſilicæ Reſtitutæ: ſerioque deliberatum, quo potiſſimum pacto res tanta tamque difficilis ageretur. Verum quidem erat, ſectos inter ſe Donatiſtas, neque vnâ tantum ab inuicem ſeceſſione diuiſos, nihil ſtabile aut diuturnum polliceri: attamen magna eorum, maiorque numero obſtinatio, nullam aut exiguam ſpem præbebat. Præſertim, cùm perſecutionum importunitate ſuperati Maximinianiſtæ, in priſtinum vnde exierant gremium, magnâ ex parte ſe dediſſent.

Synodo Auguſtinus intererat. Qui tametſi omnem hactenus diligentiam & facundiam, reducendis iis hominibus impendiſſet; ac ſæpenumerò monſtraſſet, Codicum ſacrorum traditione (cuius occaſione Eccleſiæ vnitatem Donatiſtæ ruperant) longè maius eſſe ſacrilegium ſchiſmatis; (dum ait: Si traditio Codicum ſcelerata eſt, quam Deus in Rege qui Hieremiæ librum incendit, morte publicâ vindicauit; quantò ſceleratius eſt ſacrilegium Schiſmatis, cuius auctores, quibus Maximianiſtas comparaſtis, aperta terra viuos abſorbuit? *Epiſt.* 171. Et alibi frequenter) tantæ nihilominùs operæ pretium haud retulerat.

Eo interim tum auctore, viſum eſt congregatis Patribus rem ſolâ lenitate tentandam: verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum. Atque in hunc finem cenſuerunt, petenda à Præfectis & Iudicibus vbique Acta publica cardinalium Donatiſtarum contra Maximianiſtas: è quibus conuincerentur eadem patraſſe, quæ in Catholicis damnabant, vt antea oſtendimus. Supplicandum deinde Anaſtaſio, vt, quoniam ad conuerſionem plurimùm momenti continuata dignitas, reſque temporales habent; exemplo Melchiadis permitteret, vt qui redire ad Eccleſiam perſuaſi vellent, nullâ honoris imminutione recipi poſſent: quod tum erat illicitum, atque in Eccleſiâ vetitum, vt videre eſt *Epiſt.* 50. Conſulendus Cyprianus *Epiſt.* 68. & 72.

§. V.

§. V.

Decretum Concilij de Legatis mittendis ad Donatiſtas.

ATque his impetratis decreuerunt Patres Legatos ad Donatiſtas mitti oportere: oſtenſuros, quàm nihil habeant, quo Schiſma ſuum fundent: imò quod habuerant hactenus, in Maximianiſtis clarè perdidiſſe: receptos à ſe quos antè damnauerant, nullo rerum aut honoris, aut etiam collati ſuſceptique Baptiſmi detrimento. Atque hæc non dici tantùm, ſed euidenter demonſtrari: neque oculis cæcutientium offundi, ſed probari Actis publicis, quorum partes ipſi faciant. Itaque non Catholicos, ſed eos ipſos, controuerſiam, quæ ſopiri ratione non poterat, terminaſſe: animum dumtaxat aduertere velint, idque facere pro pace Chriſti, quod fecerunt pro pace Donati.

Nam ſi Maximianiſtarum communione, non ſe pollui Donatiſtæ arbitrati ſunt; fruſtrà obiici, Cæciliani, ſiue veris ſiue fictis criminibus orbem terrarum eſſe pollutum, &c.

§. VI.

Afrorum Patrum petitioni ſuffragatur Anaſtaſius Papa.

CEterùm Patres Africanos, apud Anaſtaſium Papam, deſiderij ſui compotes effectos; quandoquidem ipſius Anaſtaſij litteræ perierint, conſtare ex Auguſtino poteſt, vbi ait: Et de Epiſcopis quidem vel Clericis recipiendis, alia quæſtio eſt. Quamuis enim cùm apud vos ordinantur, non ſuper eos inuocetur nomen Donati, ſed Dei; tamen ita ſuſcipiuntur, vt videtur paci & Vnitati Eccleſiæ conuenire.

Neque

Neque enim Epiſcopi propter nos ſumus; ſed propter eos quibus verbum & Sacramentum Dominicum miniſtramus: ac per hoc, vt eorum ſine ſcandalo gubernandorum ſeſe neceſſitas tulerit, ita vel eſſe vel non eſſe debemus, quod non propter nos, ſed propter alios ſumus. *l. 2. cont. Creſcon. c. 11.* Et paullò poſt: Proinde veſtri Epiſcopi, ſeu quilibet Clerici, quantum ad ipſa Eccleſiaſtica officia pertinet, ſic in Catholicam ſuſcepti ſunt vnitatem, quemadmodum expedire videbatur iis, quorum ſaluti per eorum conſulebatur officium, vel exercendum vel omittendum. *eod. l. c. 12.*

Vti enim antè vidimus Maximianiſtarum plures Epiſcopos à ſuis plebibus contra perſecutores ſuos fuiſſe defenſos; ita interdum aliæ integræ plebes relicto ſchiſmate, ad Eccleſiam erant rediturae: ſed non niſi recepto aut retento Epiſcopo ſuo. Quo perinde caſu Canonum rigorem ſeruare voluiſſe, ſummæ fuerat & imprudentiæ & inhumanitatis. Laxatam enim ſeueritatem ſatis compenſabat Eccleſiæ vtilitas, & pacis vnitatiſque profectus.

Quapropter inter eos, qui, cùm apud Donatiſtas Epiſcopali munere functi eſſent, in eodem apud Catholicos conuerſi permanſerunt, & probatâ vitâ ad honorabilis ſenilis ætatis meritum peruenerunt; reperiuntur Candidus Villaregienſis, & Donatus Macomadienſis: quod cùm aliquando Creſconius, tamquam magnum aliquid obieciſſet, retulit hoc ab Auguſtino reſponſum: Sacramenta & inuocatio nominis Dei, quæ fit apud vos, non eſt nobis inimica: cùm & in eis qui extra Eccleſiam ſunt, non ſit omninò niſi Eccleſiæ. *l. 2. cont. Creſcon. c. 10.*

Igitur, cùm quidquid Patres Carthaginenſis Concilij, ſiue ſtatuiſſent ſiue petiiſſent; id ratum habuiſſe vel conceſſiſſe Anaſtaſium, per Legatos conſtitit: conueniendos Donatiſtas eſſe decretum eſt, vt dicturi mox ſumus. Neque enim ſuperſtite Anaſtaſio id factum, ſed Eccleſiam moderante Innocentio, qui Petri Cathedram aſcendit xv. Kalend. Iunij, Anno cccc. II.

§. VII.

§. VII.

Concilium Mileuitanum.

HOc nihilominus Anno, Mileuim Numidiæ ciuitatem, Aurelius totius Africæ Patres euocauit, menſe Auguſto: habitâque Synodo in Secretario Baſilicæ, Arcadio & Honorio Auguſtis v. Coſſ. In eâ Synodo, præter Acta, diuerſorum Epiſcoporum cauſſæ in medium allatæ ſunt: quas eatenus referemus, quatenus ab Auguſtino proditæ in Epiſtolis ipſius exſtant: cetera ſilentio præteribimus.

A Donatiſtis ad Catholicos conuerſus Maximianus, Eccleſiam Vagienſem Epiſcopus gubernabat. Eam ob rem ingratus, vt apparet, apud ſuos, à quibus pacificè non recipiebatur; bono pacis conſulens, Sedi ſuæ renuntiare decreuit, atque ipſo opere complere, quod ait Auguſtinus: Nonnulli ſanctâ humilitate præditi viri, propter quædam in ſe offendicula, quibus piè religioſèque mouebantur, Epiſcopatûs officium non ſolùm ſine culpâ, verumetiam cum laude poſuerunt. *l.* 2. *cont. Creſcon. c.* 11. Itaque cedere paratus, litteras ad Synodum miſerat, quibus illa voluit annuiſſe: eâ tamen prudentiſſimâ moderatione, vt quod Maximianus deſerebat, in eius fratrem Caſtorium (qui nullâ tali neceſſitate à ſuſcipiendo Epiſcopatu impediebatur, cùm eſſet ingenio, prudentiâ, eloquentiâ, grauitate, ſobrietate, hoc eſt moribus dignis Epiſcopo præditus) transferret.

Ob id enim ad Caſtorium, tum ſuo, tum Alipij nomine, litteras Auguſtinus dedit: quibus & Maximiani ceſſionem commendat, Caſtoriumque obſecrat per Chriſti diuinitatem & humanitatem, per pacem cæleſtis illius ciuitatis, vnde peregrinantes labore temporali æternam requiem comparamus; vt in Epiſcopatu Vagienſis Eccleſiæ, fratri ſuo non ignominioſè cadenti, ſed glorioſè cedenti ſuccedat. *Epiſt.* 238.

Longè quippe glorioſiùs eſt (verba ſunt Auguſtini ad Caſtorium) Epiſcopatûs ſarcinam, propter Eccleſiæ vitanda pericula, depoſuiſſe; quàm propter regenda gubernacula, ſuſcepiſſe. Ille quippe ſe honorem, ſi pacis ratio pateretur, dignè accipere potuiſſe demonſtrat; qui

Oo acceptum

acceptum non defendit indignè. Voluit ergò Deus etiam per fratrem tuum, filium noſtrum Maximianum, oſtendere inimicis Eccleſiæ, eſſe in viſceribus Chriſti eius, qui non ſua quærant, ſed quæ Ieſu Chriſti. Neque enim illud miniſterium diſpenſationis myſteriorum Dei, victus aliqua ſæculari cupiditate deſeruit, ſed pacificâ permotus pietate depoſuit: ne propter eius honorem fæda & periculoſa, aut fortaſſe etiam pernicioſa, in membris Chriſti diſſenſio naſceretur. Quid enim eſſet cæcius & omni excæcatione dignius, quàm propter Eccleſiæ Catholicæ pacem ſchiſma deſerere, & ipſam pacem Catholicam honoris ſui quæſtione turbare? &c. *ead. Epiſt.*

§. VIII.

Concilio Mileuitano quædam perperam videri tributa. Proculianum Auguſtinus prouocat.

PLura alia ſunt, quæ ab Auguſtino diuerſis locis relata, ad hanc Synodum pertinere exiſtimat Baronius; ſed de quibus Academicum illud potiùs dicendum, Non liquet.

In primis enim, quòd ea verba, quæ habentur Epiſtolâ 168. *Nam illud quod rurſus eum* (Proculianum) *dixiſſe nonnulli ad me pertulerunt, cur non ierim Conſtantinam, quando ibi plures ipſi erant: vel me debere ire Mileuim, quòd illic, ſicut perhibent, Concilium proximè habituri ſunt*: quod ea, inquam verba, hanc quæ Mileui habita eſt Synodum reſpiciant, non crediderim citiùs, quàm aliquam Donatiſtarum, quæ tum nuper Conſtantinæ, tum proximè Mileui, celebranda erat. Totius cauſſæ ſeriem vel ideo hîc adiiciemus, vt pateat quanta ſcelerum fuerit apud Donatianos impunitas, quàmque apud eos potiùs Romuli pro facinoroſis aſylum extiterit, quàm apud Catholicos: quod tamen his obiecerat Creſconius ideò, quia nullo altero Baptiſmo redeuntes luſtrabantur. Eſt autem talis:

Corripitur ab Epiſcopo ſuo iuuenis, crebris cædibus matris inſanus, & impias manus nec illis diebus, cùm etiam ſeueritas legum ſceleratiſſimis parcit, à viſceribus vnde natus eſt, reuocans. Minatur eidem matri, ſe in partem Donati tranſiturum: & eam, quam incredibili

dibili furore ſolet cædere, peremptvrum. Minatur ei: tranſit ad partem Donati: rebaptizatur furens,& in maternum ſanguinem fremens albis veſtibus candidatur: conſtituitur intra cancellos eminens atque conſpicuus, & omnium gementium oculis matricidij meditator, tamquam renouatus opponitur. *Aug. Epiſt.* 168. Et poſt pauca:

Quid aliud exſpectamus, niſi vt in miſeram mulierem ſenectute decrepitam, viduitate deſtitutam, à cuius cædibus in Catholicâ prohibebatur, iam Donatiſta ſecurus armetur? Quid enim aliud furibundo corde concepit, cùm diceret matri: Transferam me in partem Donati & bibam ſanguinem tuum? Ecce iam conſcientiâ cruentus, veſte dealbatus, perfecit partem pollicitationis ſuæ: reſtat pars altera, vt matris ſanguinem bibat. *ead. Epiſt.*

Sanè ex toto Epiſtolæ contextu videtur hic iuuenis Hipponenſis fuiſſe: & Auguſtinus is Epiſcopus, à quo correptus fuit. Cumque more perditorum, vnguem in vlcere ſuo ferre haud poſſet; tranſiiſſe ad Donatiſtas, quorum Hippone Proculianus Epiſcopum agebat. Magno igitur animi dolore percuſſus Auguſtinus, quid faceret niſi ſaltem loqueretur? Sed quia Proculianus, ſicut erat expertus, litteras eius nolebat accipere; conſultum exiſtimauit tam grauem cauſſam per Euſebium agere, virum & clariſſimâ dignitate præditum,& conſiderantiſſimâ voluntate tranquillum, quique Proculianum diligebat: vt, quandoquidem ei diſpliceret, quod mater à filio cæſa ſit, diceretque, ſi noſſet hoc idem Proculianus, tam nefarium iuuenem à ſua communione prohibiturum; id porrò faceret. *Epiſt.* 169.

Interim tam ſacrilegum nefas publicis geſtis hærere voluit Auguſtinus, ne quiſquam eum, præſertim in aliis ciuitatibus iſta deplorantem, fingere aliquid arbitraretur: quando iam eò impudentiæ Donatiſtæ peruenerant, vt etiam negarent Hippone Proculianum dixiſſe, quod publicum tamen officium renuntiauerat, nempe, Paratum ſe eſſe cum Auguſtino, ſine tumultu populari, denis ex vtrâque parte, grauibus & honeſtis viris adſtantibus, ſecundùm Scripturas, quid in vero ſit perquirere. Quod ab Auguſtino acceptatum cùm Proculianus intellexiſſet, iam quod ante propoſuerat defugiens, interrogari iuſſit, Cur ſi diſputare velit, non ierit Conſtantinam, quando ibi plures ipſi (Donatiſtæ) erant: vel non potiùs eat Mileuim, quòd illic, ſicut aiebat, Concilium proximè habituri ſint?

Cui proinde reſpondit Auguſtinus; Ridiculum eſſe iſtud dicere:

quaſi ad ſe pertineat cura propria, niſi Hipponenſis Eccleſiæ. In quâ nimirum transfugio percuſſoris iſtius, tantum erat ſcandalum impunè commiſſum. Nam cùm plura dixiſſet de futura hac diſputatione, quibus præoccupabat Proculiani tergiuerſationes, ad extremum ſubdit: Nulla ergo cauſſa eſt, cur ad alios neſcio quos deferat, ne inter nos, quod ad nos pertinet, peragamus. Nec tamen vt dixi, etiam illos defugio, ſi eorum ipſe poſcit auxilium. *Epiſt.* 168. Puta qui vel Conſtantinæ conuenerant: vel Mileui erant congregandi.

§. IX.

Præteritæ Hiſtoriæ continuatio.

CEterùm Euſebius, vt totam hanc hiſtoriam quæ contigit tyrone adhuc in Epiſcopatu Auguſtino, adeoque ante hunc annum (qui præſulatûs ipſius ſeptimus circiter erat, vt iam tyro dici haud poſſet) eâdem operâ conſiciamus: Euſebius, inquam, friuola quædam cauſſatus, atque id in primis, quod inter Epiſcopos ſubire iudicium nollet; (qui nihilominus ſatis oſtendi valeret non ſolùm id ſe poſſe, ſed etiam non auditis partibus, iam nunc protuliſſe ſententiam) recuſauit exequi quod petiuerat Auguſtinus: ſignanter, vt quæreret à Proculiano, Vtrùm hoc ipſe dixiſſet Victori Presbytero ſuo, quod ab eo ſibi dictum, publicum officium renuntiauerat? an fortè qui miſſi fuerant, non quod à Victore audierant, ſed falſum geſtis proſecuti ſint: quod cùm eſſent communionis Donatiſticæ, temerarium erat exiſtimare: quidque illi perinde de diſputatione inter eos conſtituendâ videretur? denique transfugæ iſtius & matricidij meditatoris vindictam procurare. *Epiſt.* 169.

Verumtamen iteratis litteris preſſus eſt ab Auguſtino Euſebius: quibus impreſsè profitetur, tantummodò ſe velle, vt iſta in notitiam Proculiani deferantur: neque petere ſe, vt quid de hiſce rebus ſentiat, aperiat; multò minùs arbitretur, iudicis illi munus à ſe imponi; ſed id ſolùm, vt, quid Donatiſtæ reſpondeant, dignetur reſcribere. Iſtum ſe modum ſeruare conſueuiſſe, vt quiſquis apud Donatiſtas propter diſciplinam degradatus, ad Catholicam tranſire voluerit,

in

in humiliatione pœnitentiæ recipiatur: quò & ipſi eum forſitan cogerent, ſi apud eos manere voluiſſet.

Quapropter ne quam ignorantiam, in caſtigandis facinoroſis Apoſtatis, Proculianus prætexat; rogat, vt & alius quidam ad eum deferatur, qui iam eius iuriſdictioni ſubeſſe cœperat. Is erat Primus, quondam Spanianenſis Eccleſiæ Subdiaconus: qui, cùm acceſſu indiſciplinato Sanctimonialium prohiberetur, atque ordinata & ſana præcepta contemneret, à Clericatu remotus eſt: ſeque ad Donatiſtas, irritatus aduerſus diſciplinam Dei tranſtulit, & rebaptizatus eſt. Duas præterea Sanctimoniales concolonas ſuas, de fundo Catholicorum Chriſtianorum, idem ſiue ſeduxit, ſiue illum ſecutæ, etiam ipſæ tamen rebaptizatæ ſunt. Et nunc, inquit Auguſtinus, cum gregibus Circumcellionum, inter vagabundos greges feminarum, quæ propterea maritos habere noluerunt, ne habeant diſciplinam, in deteſtabilis violentiæ bacchationibus ſuperbus exultat: gaudens latiſſimam ſibi apertam eſſe licentiam malæ conuerſationis, vnde in Catholicâ prohibebatur. Hoc enim fortaſſe Proculianus ignorat. *Epiſt.* 169.

Quid tandem euenerit, haud ſcio: quamquam exiſtimem Donatiſtas, tam fuiſſe tepidos criminoſorum vindices, quàm erant capitales Catholicorum hoſtes, vt in eodem Proculiano poſtea patuit, & videre licet *l.* 3. *cont. Creſc. c.*48.

Vt hoc autem in tranſitu dicam, longè ſanctiùs integriuſque cum ad ſe conuerſis Donatiſtis Catholici agebant. Cùm enim ad nos veniunt, inquit Auguſtinus, ex parte Donati; mala illorum non ſuſcipimus (quod Catholicos facere Donatiſtæ calumniabantur) id eſt diſſenſionem & errorem, ſed ipſa tolluntur de medio, tamquam impedimenta concordiæ: & amplectimur fratres, ſtantes cum eis ſicut dicit Apoſtolus, in vnitate Spiritus, & vinculo pacis. Et agnoſcentes in eis dona Dei, ſiue ſanctum Baptiſmum, ſiue benedictionem Ordinationis, ſiue continentiæ profeſſionem, ſiue conſignationem virginitatis, ſiue fidem Trinitatis, & ſi qua alia ſunt: quæ omnia etiamſi erant, nihil tamen proderant, quando charitas non erat. Quis autem verè dicit ſe habere Chriſti charitatem, quando eius non complectitur vnitatem? Cùm ergo ad Catholicam veniunt; non hîc accipiunt, quod habebant: ſed vt prodeſſe illis incipiat quod habebant, accipiunt hoc quod non habebant. *Epiſt.* 223. Videri quoque

 poteſt.

poteſt. *libro de Vnit. Eccl. cap.* 21. & 22. & *libro* 2. *cont.* Petil. *c.* 107. *libro* 2. *contra Creſcon. cap.* 12. & 13.

§. X.

Neque Abundantij presbyteri cauſſam ſpectare ad Synodum Mileuitanam.

ALiud præterea ad hanc Synodum Mileuitanam pertinere Baronius exiſtimat, cauſſam nimirum Abundantij Presbyteri, quem officio ſui presbyterij Auguſtinus priuauerat: ob malam in primis quam gerebat famam, ac deinde malæ conuerſationis certa indicia. Cauſſa, narrante Auguſtino, ſic habet.

Primò comperi eum pecuniam cuiuſdam ruſticani, diuino apud ſe commendato interuertiſſe: ita vt nullam inde poſſet probabilem reddere rationem. Deinde conuictus atque confeſſus eſt, die ieiunij Natalis Domini, quo etiam Gippitana Eccleſia, ſicut ceteræ ieiunabant; cum tamquam perrecturus ad Eccleſiam ſuam, valefeciſſet Collegæ ſuo Presbytero Gippitano, horâ fere quintâ; & cùm ſecum nullum clericum haberet; in eodem fundo reſtitiſſe, & apud quamdam malæ famæ mulierem & prandiſſe & cœnaſſe, & in vna domo manſiſſe. In huius autem hoſpitio iam quidam Clericus noſter Hipponenſis, remotus erat: & hoc quia iſte optimè nouerat, negare non potuit. *Epiſt.* 236.

Verum quidem eſt, hæc Xantippo Seni, ſiue Primati, Auguſtinum indicare, ne aliqua illi fallacia ſubreperet. Adiicere deinde, ſi fortè iudicibus Eccleſiaſticis aliud videatur, quàm ſibi viſum fuerit in hac cauſsâ; quia ſex Epiſcopis eam terminare Concilio ſtatutum erat: nihilominus timere ſe, talibus quamlibet plebem committere: præſertim quos nulla bona fama defendit. Hæc, inquam, fateor narrare Auguſtinum: ſed quoniam dicit ſe Presbyteri cauſſam audiuiſſe, cùm centum dies eſſent ad Dominicum Paſchæ, qui futurus erat octauo Idus Aprilis: tum quia rogat Xantippum, vt, ſi Presbyter Abundantius intra annum cauſſam ſuam, ſi fortè aliquid ſibi agendum putet, agere neglexerit, deinceps eius vocem nemo audiat: inquirendum

dum eſt, vtrùm eo anno, quo hæc Synodus Mileuitana menſe Auguſto finiente haberi cœpta eſt, Dominicus Paſchæ inciderit in octauum Idus Aprilis? Imò vt inciderit, ſicuti incidit reuera; vel ante Synodum has litteras ad Xantippum dedit Auguſtinus, vel poſt. Si ante; quomodo ait, ſex iudicibus Eccleſiaſticis cauſſam Presbyteri terminare, Concilio eſſe ſtatutum? Si poſt; equidem liquet, de Synodo Mileuitana huius anni loqui haud potuiſſe.

§. XI.

Neque ad Synodum Mileuitanam pertinere diſceptationem inter Xantippum & Victorinum.

IN eâdem denique Synodo, placuit omnibus Epiſcopis qui ſubſcripſerunt, vt Matricula & Archiuus Numidiæ & apud primam ſedem ſit, & in metropoli, id eſt, Conſtantinæ. *Concil. African. cap.* 53. apud Baronium. Qui exiſtimat hâc conſtitutione Patres definire voluiſſe, altercationem duarum Sedium in Numidiâ: quarum vnam Xantippus tenebat, alteram Victorinus, quique perinde de primatu inter ſe certabant, vt patet ex Auguſtino, *Epiſt.* 217. aduentum præſentiamque ſuam excuſante.

Vt enim hic breuiter dicam quod ſentio; fateor in primis, mendum eſſe in dictâ Auguſtini Epiſtolâ, vbi Xantippus dicitur eſſe Tagaſtenſis (puta Epiſcopus) cùm per id tempus eam ſedem tenuerit Alipius. Deinde, quod corrigit Baronius Conſtantinienſis, ſtare non poteſt, ſi Conſtantina eadem ſit quæ Cirta, vt ſuprà ex Grauio diximus, rerum Donatiſticarum peritiſſimo: vt magnopere dolendum ſit, Commentarium, quem toties pollicebatur in Annotationibus ad Tomum VII. Auguſtini, occupante morte abſoluere non potuiſſe; quando aliquot eius capita in Aduerſariis reperta, quæ Cl. V. Valerius Andreas, I. V. Doctor & profeſſor Regius Louanij, Bibliothecarius Academiæ, ſuppeditauit, plurimùm me iuuerunt. Grauio adſtipulatur Petrus Montanus, qui ad l. IV. Ptolomei c. 3. Cirtam & Conſtantinam, æquipollentia appellat.

Nam vt videas Xantippum, Conſtantinienſem ſiue Cirtenſem Epi-
ſcopum

ſcopum tunc non fuiſſe, facit Auguſtini teſtimonium: qui cùm à quadriennio contra Petilianum ſcriberet, eius loci Epiſcopum Fortunatum nominat, ſub titulo Conſtantinienſis: *l.* 2. *cont. Petil. c.* 99. & ſub nomine Cirtenſis, *l. de vn. bapt. c.* 16. qui tantum abeſt vt iam obierit; vt etiam octo poſt hæc annis, interfuerit Collationi Carthaginenſi, cuius non arbitror Acta aut Baronio, aut Grauio viſa fuiſſe.

Ex quibus perinde patet, quænam ad iſtam Synodum cauſſæ allatæ ſint, etiamnum ignorari: pariterque hæc quæ ex Auguſtino adduximus, quorſum pertineant.

CAPVT IV.

DONATISTARVM REPETITA RABIES.

§. I.

Inſidiæ Epiſcopis iter agentibus, & ſignanter Auguſtino poſitæ.

Anno 403. HAc tempeſtate Circumcelliones, in Catholicos fædè graſſati ſunt, vt euidenter colligitur ex *Epiſt.* 68. Nam priuſquam recentiores Honorij leges, de quibus paullò pòſt, veniſſent in Africam; inſidias in itineribus, Epiſcopis Catholicis tetenderunt: Clericos plagis immaniſſimis quaſſauerunt: laïcis quoque & plagas grauiſſimas inflixerunt, & intulerunt eorum ædificiis incendia. *ibidem.*

Inter Epiſcopos inſidiis petitos Auguſtinus ipſe fuit: contra quem armatos Circumcelliones, vias obſediſſe, dum fortè iret rogatus ad viſitandas inſtruendaſque, & exhortandas Catholicas plebes (quod frequentiſſimè faciebat) proditum eſt à Poſſidio. *cap.* 12. Quomodo euaſerit, operæ pretium eſt ipſius Auguſtini verbis aùdire.

Non-

Nonnullis errare profuit aliquando, ſed in viâ pedum, non in viâ morum. Nam nobiſipſis accidit, vt in quodam biuio falleremur, & non iremus per eum locum, vbi, opperiens tranſitum noſtrum, Donatiſtarum manus armata ſubſederat. Atque ita factum eſt, vt eò quò tendebamus, per deuium circuitum veniremus, cognitisque inſidiis illorum, nos gratularemur erraſſe: atque inde gratias ageremus Deo. *l. Enchirid. cap.* 17. *Poſſid. cap.* 12.

§. II.

Aliquammulti à Donatiſtis caſi & ſauciati.

MArcus Presbyter Caſphalianenſis, à nemine coactus, propriâ voluntate, hoc circiter tempore Catholicus factus erat. Eapropter Donatiſtæ illum perſecuti ſunt, & penè occidiſſent; niſi Dei manus per homines ſuperuenientes, violentias eorum compreſſiſſet. *Epiſt.* 166. Martianus Vrgenſis, Catholicam vnitatem propriâ voluntate delegit. Quare ſubdiaconum eius, cùm ipſe fugiſſet, propè vſque ad mortem cæſum Clerici Donatiſtarum lapidibus obruerunt: quorum domus pro ſcelere euerſæ ſunt. *ibidem.*

Reſtitutus quidam in regione Hipponenſi, Donatiſtarum Presbyter fuerat: qui cùm ad Catholicam pacem, veritatis ratione permotus, manifeſtâ voluntate tranſiſſet; è domo ſua raptus eſt à Clericis & Circumcellionibus: luce palàm in caſtellum proximum ductus, & multitudine ſpectante, nihilque reſiſtere audente, ad furentium arbitrium fuſtibus cæſus, in lacuna lutulenta volutatus, amictu iunceo dehoneſtatus: poſteaquam ſatis excruciauit oculos dolentium, ridentiumque ſatiauit; inde ductus ad alium locum (quò nemo Catholicorum audebat accedere) duodecimo die vix dimiſſus eſt.

Auguſtinus, in cuius hoc Diœceſi contigerat, Donatiſtarum Hipponenſi Epiſcopo Proculiano conqueſtus eſt, municipalibus ſiue publicis geſtis; ne ſi quid agere eſſet neceſſe, negaret ad ſe fuiſſe perlatum. Quid verò Proculianus? Primùm ab inquirenda cauſſa diſſimulauit: iterumque conuentus, nihil ſe dicturum amplius, geſtis expreſſit. *l.* 3. *cont. Creſc. cap.* 48. *Epiſt.* 38.

Quare tantum abeſt vt huius facinoris auctores aliquando puniti ſint; quin potiùs cùm eſſent Clerici, Presbyteri ſint effecti: in eo gradu Catholicos inſuper territantes, & ſicut poterant perſequentes. *Epiſt 68.*

Adeo autem, quotquot ad Catholicos accedebant, Donatiſtæ perſequebantur; vt multi vel ideo non venirent, quia perſecutionem ab eis pro veritate perpeti metuebant. *l.3.cont.Creſcon.cap.*48.

§. III.

Cauſſa tanti Donatiſtarum furoris.

CVr furorem autem ſuum liberiùs nunc diriusque laxarent, hæc erat cauſſa: quòd cùm receptos ab eis Maximianenſes, quos damnauerant, Catholici palàm cognouiſſent; & id quaquaverſum poterant, iuxta Carthaginenſis Synodi decretum, feruenti inſtantia diffamarent: Donatiſtæ rebus tam recentibus, & tantâ manifeſtatione clarentibus, quid reſpondere poſſent non inuenientes; ſolitò crebriùs & audaciùs, Circumcellionum violentiis, turbiſque furentibus, Catholicos à prædicandâ veritate, ſuaque fallaciâ conuincendâ, deterrere cœperunt. *libr.3. cont. Creſcon.cap.*45. Inde tot inſolentiæ & cædes.

CAPVT

CAPVT V.

DONATISTÆ A CATHOLICIS EPISCOPIS AD AMICAM COLLATIONEM INVITATI.

§. I.

Aliud Carthaginenſe Concilium in quo decernitur conueniendos Donatiſtas.

IAm verò quia multi, erroris Donatiſtarum laqueis implicati, quoties cum eis vt inde liberarentur Catholici agere conſueuerant, reſpondebant, Hoc eos cum Epiſcopis ſuis agere debere: collationem partis vtriuſque ſe vehementer optare; vbi poſſent videre, quibus aſſerentibus ſuperaret veritas falſitatem: *l.3.cont. Creſcon.cap.45.* Cùmque pridem ab vrbe Româ legati rediiſſent, qui ad Patrum Carthaginenſium nuperas preces, Anaſtaſij Papæ aſſenſum attulerant, vt ſuprà memorauimus; Concilium generale Carthagine Aurelius indixit, octauo Kalendas Septembris, Theodoſio & Rumorido Coſſ.

Interfuerunt ex omnibus Africæ Prouinciis (id eſt ex Bizacenâ, Mauritaniâ Sitiphenſi, Mauritaniâ Cæſarienſi, & Tripolitanâ) Legationes: quæ licet mitti ex Numidiâ non potuit, ob tumultuantes in ea Tyrones; præſentes nihilominùs fuerunt, Alipius, Auguſtinus, & Poſſidius.

Hîc quid actum decretumque ſit, aperit Concilium Carthaginenſe VII. canone 58. 59. & 60. Nempè, Vt Catholici Epiſcopi, regionis quiſque ſuæ Donatiſtas conuenirent, & ad amicam collationem inuitarent; vt compoſitis, quæ inter ipſos erant, controuerſiis, Eccleſiæ pax & vnitas ſarciretur, deque initâ concordiâ omnes in commune gauderent.

Eadem, pauculis immutatis, Auguſtinus repetit his verbis: Facto

Concilio placuit, vt pacificè conueniremini, quò ſi fieri poſſet, haberetis inter nos collationem, &, errore ſublato, fraterna charitas pacis vinculo lætaretur. *Epiſt.68.* plura *lib.3.cont. Creſc.cap.45.*

Eſt & in eodem Concilio præſcripta formula petendæ Collationis. Quid igitur? factum eſt: conuenti ſunt: recuſarunt. Quibus verbis, quo dolo, maledictione, amaritudine plenis, nunc longum eſt demonſtrare. *eod. l & c.*

§. II.

Conuenitur à Poſsidio Criſpinus: atque huius friuola reſponſio.

INterea Criſpinus Calamenſis Epiſcopus Donatiſtarum, à Poſſidio in eâdem ciuitate apud Acta conuentus, ad Concilium eorum primò diſtulerat; pollicens cum collegis ſuis ibi ſe viſurum, quid reſpondere deberet. Deinde poſt non paruum tempus, repetitâ conuentione, rurſus apud Acta reſpondet, (Cyprianum vt apparet imitari geſtiens, libri ad Demetrianum initio.) *Verba viri peccatoris ne timueris.* Et iterùm: *In aures imprudentis, caue ne quidquam dixeris, ne cùm audierit, irrideat ſenſatos ſermones tuos.* Poſtremò: *Hanc reſponſionem meam, Patriarchali ſermone definio: recedant à me impij: vias eorum noſſe nolo.l.3.cont.Creſc.c.46.* Atque ita Criſpinus apud Acta, veſica potiùs quàm homo.

Quamobrem proſequitur Auguſtinus: Hanc eius reſponſionem cùm docti indoctique riderent: quippè hominis dicentis, Verba viri peccatoris ſe non timere, cui reſpondere minimè auderet: &, In aures imprudentis nolle ſe aliquid dicere, quaſi aliquod ſecretum fuerit imprudentis auribus temerè commiſſurus, cùm ea quæ diceret, multi poſſent prudentes audire, qualium cauſsâ & Dominus Chriſtus tanta Phariſæis, quamuis imprudentibus, loquebatur: &, Nolle ſe noſſe vias impiorum, quaſi vias ſuas eum docere vellent, quos impios putabat; ac non potiùs ipſe, ſi teneret vias Dei, etiam impios docere deberet, ſicut ſcriptum eſt, Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur, &c. *eod.l.& c.*

§. III.

§. III.

Criſpini in Poſsidium violentia per ſuos.

CVm ergo facilè intelligeretur ab omnibus, quàm nihil ad rem faceret iſta Criſpini reſponſio, imò quàm eſſet maledica & amara: adeoque palàm appareret, quantum doctiſſima eius, vt ferebatur, annoſitas vinceretur à veritate, quando cum tyrone Poſſidio congredi formidabat: non ex Scripturis aut ratione manu conſertum, ſed ferro & plagis victoriam repetiit.

Poſt paucos dies iter agenti Poſſidio ad fundum Figulinenſem, vt pauci qui illic erant viſitarentur, & audito verbo Dei, ad vnitatem Chriſti qui vellent conuerterentur; alius Criſpinus prioris Presbyter, &, vt dicebatur, propinquus, more latronum tetendit inſidias armatorum: in quas penè iam Poſſidius inciderat, niſi eis proſpectis atque nuntiatis, ad fundum Liuetenſem fugiens, diuertiſſet: vbi ille nihil auderet, vel non præualeret, vel ſi quid etiam feciſſet, negare non poſſet.

Quo comperto, continuò conſecutus eſt, tantâ cæcus inſaniâ, vt iam latére turpe arbitraretur. Tunc domum, in qua cum ſuis ſe Poſſidius incluſerat, ſepire armatis, lapidibus circumtundere, ambire flammis, aditum ex omni parte moliri. Quæ verò aderat incolentium multitudo, memor periculi ſui, ſi in eo loco aggreſſum tantum facinus impleretur; partim illum deprecabatur vt parceret, quem reſiſtendo non audebat offendere; partim verò ignes ſuppoſitos extinguebat: Id enim vſque tertiò fecerunt: cumque interim Criſpinus nihilo ſegniùs cœptis feruidus atque inexoratus inſtaret; ceſſit aliquando ictibus ianua: ingreſſi ſunt: ſauciatiſque cæde iumentis, quæ in inferiore domûs parte compererant, de ſuperioribus Epiſcopum depoſuerunt, afficientes plagis & contumeliis.

Vbi, ne grauiùs ſæuirent, interceſſit ipſe Criſpinus, velut aliis rogantibus flexus: quorum non tam videbatur in irâ ſuâ curare deprecationem, quàm in facinore teſtimonium formidare.

Hæc poſteaquam nota facta ſunt in oppido Calamenſi, exſpectabatur

Criſpinus Epiſcopus quemadmodum in ſuum Presbyterum vindicaret. Acceſſit etiam proteſtatio, municipalibus geſtis expreſſa: cuius vel timore, vel pudore cogeretur exercere Eccleſiaſticam vindictam. Quod cum omninò contemneret: tantuſque fieret Donatiſtarum tumultus, vt, quia veritati prædicandæ reſpondere non poterant, itinera clauſuri putarentur, imò verò iam etiam cernerentur; Leges (quæ non deerant, ſed quaſi deeſſent, in Catholicorum manibus quieſcebant) aduerſus Criſpinum Epiſcopum commotæ ſunt: magis vt Catholica manſuetudo demonſtraretur, quàm vt Donatiſtarum puniretur audacia. l. 3. *contra Creſcon. c.* 46. & 47. *Epiſt.* 166.

§. IV.

Congreſſus Poſsidij & Criſpini. Victor Poſsidius: damnatur Criſpinus.

AVguſtino igitur omnibus modis inſtante, ad controuerſiæ diſcuſſionem ambo ipſi Calamenſes Epiſcopi venerunt, Catholicus Poſſidius, & Criſpinus Donatiſta: & de communione ipſâ tertio cõflictu ſimul egerunt, magnâ populorum Chriſtianorum multitudine cauſſæ exitum & apud Carthaginem, & per totam Africam exſpectante: eo ſucceſſu, vt Criſpinus Proconſulari & libellari ſententiâ ſit pronuntiatus hæreticus. Verumtamen pro illo apud Cognitorem, Catholicus Epiſcopus interceſſit: & ne auraria multa exigeretur, ei eſt beneficium impetratum, vt teſtatur ipſemet Poſſidius *cap.* 12. ſed ſuo nomine (quod Auguſtinus prodidit) ſuppreſſo: tantæ modeſtiæ fuit.

Hâc interim mitiſſimâ ſententiâ non contentus Criſpinus; neſcio quo conſilio (quod diſplicuiſſe Donatiſtis omnibus ferebatur) ad filios Theodoſij, qui decem librarum auri multam in hæreticos conſtituerat, prouocandum putauit: vt excitaret vniuerſæ parti Donati, quod ſolus perpeti nec volebat, nec cogebatur; potiùs quàm vnius ſui Presbyteri audaciſſimum & inuidioſiſſimum facinus, ſolâ degradatione puniret. *l.* 3. *cont. Creſcon. cap.* 47. & 48. Quid hanc prouocationem conſecutum ſit, mox dicemus.

§. V.

Tentat idem cum Proculiano Auguſtinus: ſed detrectat Proculianus.

QVod Poſſidius Calamæ fecerat cum Criſpino, tentauit Auguſtiuus facere cum Proculiano Hippone: quem teſtabatur Euodius alicubi dixiſſe, paratum ſe bonis viris ſedentibus, collatione agere. Scripſit ad illum Auguſtinus, petiuitque vt ſedentibus, quos ipſe Proculianus delegerit (dummodò verba vtrimque non inaniter ventilentur, ſed ſtylo excipiantur: vt & tranquilliùs & ordinatiùs diſſerant, & ſi quid fortè ab eis dictum de memoria lapſum fuerit, recitatione reuocetur) rem tam magnam, & ad ſalutem omnium pertinentem, cum concordia requirant.

Aut ſanè nullo medio interpoſito, priùs inter ſe ſiue per epiſtolas, ſiue per collocutionem atque lectionem, vbi Proculiano placuerit, conferant: ne fortè intemperantes nonnulli auditores malint eorum exſpectare certamen, quàm de communi ſalute in eorum collocutione cogitare: vt quod fuerit inter eos terminatum, poſtea per eos ipſos populus nouerit. Aut ſi per epiſtolas agi placet, ipſæ plebibus recitentur: vt aliquando non plebes, ſed plebs vna dicatur. Prorſus ſicut volueris, inquit, ſicut iuſſeris, ſicut tibi placuerit, libenter amplector: & de animo beatiſſimi & venerabilis mihi Patris Valerij, nunc abſentis, totâ ſecuritate polliceor, hoc eum cum magnâ lætitiâ cogniturum. *Epiſt.* 147.

Eiuſcemodi verbis Proculianus, quem in fronte & calce litterarum, Dominum honorabilem & dilectiſſimum vocauerat, tametſi fibras corneas habuiſſet, adduci ſanè in collationem debuiſſet: modò quid ei fiduciæ fuiſſet in Donatiſmo repoſitum. Verumtamen nihil vltrà reſpondit ſuo ſuorumque nomine, quàm quòd Concilium facturi eſſent, illicque viſuri quid reſpondere deberent. Deinde poſtea, cùm propter ſuam promiſſionem denuò conuentus eſſet; pacificam collationem prorſus recuſauit: vt ipſa Acta geſtaque teſtari aſſerunt Clerici Hipponenſes. *Epiſt.* 68.

§. VI.

§. VI.

Idem ſed fruſtrà, faciunt alij Epiſcopi.

SEd neque aliud opinor quã hic Proculianus, ceteri Donatiſtarum Epiſcopi, inuitati ad collocutionẽ mutuam, fecerunt: quod eis exprobrans Auguſtinus, ait: Nihil in nos aliquãdo probare potuiſtis. Veſtri Epiſcopi conuenti à nobis, numquàm nobiſcum pacificè conferre voluerunt, quaſi fugientes cum peccatoribus loqui. Quis ferat iſtam ſuperbiam? Quaſi Paullus Apoſtolus non contulerit cum peccatoribus, & cum valde ſacrilegis. Legite Actus Apoſtolorum & videte. Quaſi ipſe Dominus non cum Iudæis, à quibus crucifixus eſt, ſermones de lege habuerit, eiſque congruenter reſponderit. Poſtremò diabolus eſt primus omnium peccatorum, qui conuerti ad iuſtitiam numquam poterit: & tamen nec ipſe Dominus de lege dedignatus eſt ei reſpondere: vt intelligatis, iſtos ideo nobiſcum nolle conferre, quia cauſſam ſuam perditam norunt. *Epiſt.* 166.

Igitur vt ante dixerat ibidem, Quid vobis vultis faciamus: qui, quando vobis dicimus, vt cauſſam noſtram & veſtram patienter audiatis, non noſtis niſi ſuperbire & inſanire? *eàd. Epiſt.* Vnde & minas addebant, dicentes: Recedite à plebibus noſtris, niſi vultis vt interficiamus vos. *ibid.* Nam quantùm Donatiſtarum Antiſtites collationem omnem auerſabantur; tantum eam populus deſiderabat: vt idcirco ægrè ferrent, ſi Catholici Epiſcopi miſcerent cum plebe ſermones.

Interclusâ igitur Collationis viâ, litteris tũ priuatis tum publicis, quæ etiamnum exſtant, ſtuduit Auguſtinus Donatiſtas vniuerſim, tam ſummos quàm infimos ad vnitatem Eccleſiæ reducere: vt dum coràm diſputare aut colloqui nollent, ſaltem priuatim litteris reſponderent. Enumerat haſce Litteras Poſſidius. *Indic. cap.* 3. nos ſuprà meminimus: & ſingularis eſt Epiſtola 162.

CAPVT

CAPVT VI.

PELAGIVS INNOTESCIT.

§. I.

Quis, qualis Pelagius, & Celeſtius?

EOdem hoc anno Pelagius cum Celeſtio doctrinæ ſuæ peſtilentiam ſpargere cœpit. *Onuph. in Chron.* Vnde Auguſtinus ipſe: Pelagianorum, inquit, eſt hæreſis hoc tempore omnium recentiſſima, à Pelagio Monacho exorta: quem magiſtrum Celeſtius ſic ſecutus eſt, vt ſectatores eorum, Celeſtiani etiam nuncupentur. *l. de hereſ. her.* 88. Quapropter non immeritò Pelagium Celeſtiumque, Goliath cum armigero ſuo appellat Auctor Apologetici pro lib. arbitrio.

Ambos è Britannia prodiiſſe certum eſt: vt non vno loco teſtatur Proſper, qui nunc Colubrum Britannum, nunc Auctorem Britannum Pelagium vocat, & Britannicum Auctor loco cit. ſicut Britonem Auguſtinus, vt ab altero Pelagio diſtinguat, cui Tarenti cognomen: *Epiſt.* 106. Genere fuit obſcuro, vt apparet ex Apologetici Auctore, qui dum eum ſugillat, quòd ſcribens ad Demetriadem puellam ſacram & ſanctam, mulieris Ægyptiæ Ioſephum ſollicitantis ad ſtuprum inopportunam hiſtoriam, obſceniſſimo ſermone contexuiſſet; hæc ſubdit: Quamquam hoc, quòd neque aptè, neque decorè dicitur, tibi imputare non debeamus, cui neque natales dederunt vt honeſtioribus ſtudiis erudireris, neque naturaliter prouênit vt ſaperes: ſed illis dictatoribus tuis, qui miſerum ſenſum miſerrimo ſermone conſcribunt, & te legendum cachinnis, quaſi titulum confuſionis, exponunt. *Apol. pro lib. arbit.*

Quandoquidem verò quotquot eius meminerunt, Monachum fuiſſe affirment, qui tum plerumque laïci erãt; conſectarium eſt nullo Eccleſiaſtico Ordine inſignitum fuiſſe: alioquin ab eis vocandus Presbyter,

 Diaco-

Diaconus, &c. Incertum autem è quo Monaſterio prodierit: dum alij Hibernico, ad ſinum Ferguſij ſito; alij veriſimiliùs Britannico prope Ceſtriam, quorum vtrumque Bonchorium vocabatur, adſcribunt. *Camden.*

Sanè in Monaſterio Bonchorienſi Britanniæ, antiquiſſimo & celeberrimo, tantus fuit Monachorum numerus, vt cùm in ſeptem portiones cum præpoſitis ſibi rectoribus diuiſum eſſet; nulla harum minùs quàm trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum ſuarum viuere ſolebant. *Beda.* Deſtructum eſt irrumpentibus in Britanniam Normannis: teſtaturque vicinus illorum temporum Malmesburienſis, tot ibi ſuperfuiſſe antiquitatis indicia, tot ſemirutos parietes Eccleſiarum, tot amfractus portarum, tantam turbam ruderum, quantam vix alibi cernas.

De Hibernico ſimiliter agens Bernardus: Monaſterium, ait, nobiliſſimum extiterat ante, ſub primo patre Congello, multa millia Monachorum generans, multorum Monaſteriorum caput. *in vita S. Malach.*

Quamquam fortaſſe non ſit egreſſurus Hiſtoriæ curriculum, qui in Palæſtina alicubi vel Ægypto, vbi frequens fuit, Monachum induiſſe Pelagium dixerit, propter hæc quibus inconſtantiam ipſius, & „ gulæ ventriſque ſtudium, Iſidorus Peluſiota caſtigat: Rigidum at„ que inflexum animum habes, ex alio ad aliud Monaſterium ſubinde „ migrans, atque omnium menſas perſcrutans atque explorans. Quam„ obrem ſi tibi carnium nidor, atque obſoniorum condimentum cu„ ræ eſt; iis qui Magiſtratum gerunt, potius blandire, atque vrbium „ caminos veſtiga. Neque enim homines Eremitæ facultates eas ha„ bent, vt te, quemadmodum tibi gratum eſt, excipere valeant. *l.* 3. „ *Epiſt.* 314.

Sanè Pelagium, cibi potûſque delicias, ceteraſque corporis commoditates, cùm hæreſin ſuam parturiret, nimioperè fuiſſe ſectatum, fidem liquidò facere poſſunt, quæ Apologeticus habet, qui hominem „ in Palæſtina norat; dum ait: Agnus Dei, filius Dei, vt accipiat li„ brum de manu patris, præfert ſtigmata paſſionis: non iudicans per„ petratam, niſi in morte atque in reſurrectione victoriam: & Ana„ marticus meus, venire ſibi poſſe perfectionem vitæ immaculatæ, „ manducanti, bibenti, dormientique confirmat? *Apol. pro lib. arbit.* „ Et paullò pòſt: Vnde fieri poteſt, vt iudicio ſuo ſe arbitretur, ſpiritu

ritu ſapientiæ refertum, præcipuè cùm dicat, facilia Dei eſſe manda- "
ta: & ſpiritu timoris Dei cohoneſtatum, qui poſt multam crapu- "
lam nouiſſimè expergefactus, adiungit, poſſe hominem ſine peccato "
eſſe? *ibidem.*

Atque hinc, quod ſequi ſolet, vaſtum corpus traxiſſe ſecum videtur, ſignificante eodem, dum ait: Sed tibi ſpecialis inde portandi "
oneris fortaſſe fiducia eſt, quod balneis epuliſque nutritus, latos hu- "
meros geſtas, robuſtamque ceruicem: præferens etiam in fronte pin- "
guedinem, ſicut ſcriptum eſt: Tetendit enim aduerſus Deum manum "
ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt: cucurrit aduerſus eum "
erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt. *Apol. pro lib. arb.* "

Porrò Celeſtium, ne quid à Magiſtro ſuo degeneraret, ex cauſſis opinor iiſdem, abnormi corpore, latâque aluo fuiſſe, indicat Hieronymus dum ait: Latrat (Pelagius) per Alpinum canem (Celeſtium) "
grandem & corpulentum: habet enim originem Scoticæ gentis de "
Britannorum viciniâ. *Præfat. in l. 3. in Hierem.* "

§. II.

Eorum ingenia, & hypocriſis.

QVod eorum ſpectat ingenia, quibus à ſe excogitata dogmata tuerentur, tametſi Hieronymus ſæpè deprimat, Auguſtinus vocat magna & acuta: *Epiſt. 106.* fortiſſima & celeberrima: *l. de nat. & grat. c. 6.* &, quamuis nefando errore peruerſa, non tamen contemtibilia: *l. 2. cont. duas Epiſt. Pelagianor c. 3.* ipſumque Pelagium, acutiſſimum: *l. de nat. & grat. c. 35.* Celeſtium, hominem acerrimi ingenij. *l. 2. cont. duas Epiſt. Pelag. c. 3.*

Quod conuerſationem vitæque modum attinet: Nec tales ſunt, inquit, quos facilè contemnas; ſed continenter viuentes, atque in bonis operibus laudabiles. *Epiſt. 120. c. 37.* quod de Pelagianis dici, colligitur ex fine periodi: tametſi more hypocritarum, ſpeciem & laruam virtutis potiùs, quàm ipſam habuerint virtutem, vt Iuliano reponebat Auguſtinus, his verbis: Dolus eſt in ore veſtro, ſiue peccatores vos eſſe dicatis, & iuſtos credi velitis: ſiue profiteamini perfectio-

nem iuſtitiæ, quam profectò in vobis non eſſe ſentitis. Item: Dolus abundat in ore veſtro. Vbi enim virtus non eſt, & tanta iactantia eſt, hypocriſis eſt: & vbi hypocriſis, vtique dolus. *l. 2. cont. Iul. c.*8. Videndus l. 3. eiuſdem operis *c.*20. *& ſeqq.* Vbi Iuliani præconium libidinis exagitat, quam præco ipſe expugnare nihilominus debebat: quod vtrùm fecerit, & laudabilem hoſtem habuerit, viderit Iulianus.

§. III.

Pelagij ac Celeſtij errores & hæreſes.

HI duo igitur, Gratiæ Dei (quâ prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum in ipſum; & quâ eruimur de poteſtate tenebrarum, vt in eum credamus, atque in regnum ipſius transferamur, propter quod ait, *Nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo*; & quâ diffunditur charitas in cordibus noſtris, vt fides per dilectionem operetur) in tantùm erant inimici, vt ſine hâc crederent hominem poſſe facere omnia diuina mandata: cùm, ſi hoc verum eſſet, fruſtrà Dominus dixiſſe videretur, Sine me, nihil poteſtis facere. *l. de hæreſ. hær.* 88. Quapropter hoc ſuum dogma, increpatus à fratribus Pelagius, quòd nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei ad eius mandata facienda, mitigauit: vt eam non libero arbitrio præponeret, ſed callidè ſupponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum iubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per gratiam. Quod dicendo (*vt faciliùs poſſint*) voluit credi, etiamſi difficiliùs, tamen poſſe homines ſine gratiâ diuinâ, facere iuſſa diuina.

Porrò Dei gratiam ſine qua nihil boni poſſumus facere, nihil eſſe dicebant præter liberum arbitrium, quod, nullis ſuis præcedentibus meritis, ab illo accepit noſtra natura: ad hoc tantum exiſtimantes Deum adiuuare per ſuam legem atque doctrinam, vt diſcamus quæ facere, & quæ ſperare debeamus: non autem ad hoc, vt quæ didicerimus eſſe facienda, per donum Spiritus ſancti faciamus. Et quidem hoc pacto, diuinitus nobis ſcientiam dari confitebantur, quá ignorantia pellitur: ſed charitatem dari negabant, quâ piè viuitur: vt ſcilicet cùm ſit Dei donum ſcientia, quæ ſine charitate inflat; non ſit Dei donum ipſa charitas, quæ, vt ſcientia non inflet, ædificat.

Deſtruc-

Deſtruebant etiam Orationes, quas facit Eccleſia, ſiue pro infidelibus & doctrinæ Dei reſiſtentibus, vt conuertantur ad Deum; ſiue pro fidelibus, vt augeatur in eis fides, & in eâ perſeuerent. Hæc quippe non ab ipſo accipere, ſed à ſeipſis homines habere contendunt: dicentes Gratiam Dei qua liberamur ab impietate, ſecundum merita noſtra dari. Quod quidem Pelagius in Epiſcopali iudicio Palæſtino, damnari metuens, damnare compulſus eſt: ſed in poſterioribus ſuis ſcriptis, hoc inuenitur docere.

In id etiam progrediebantur, vt dicerent, Vitam iuſtorum in hoc ſæculo nullum omninò habere peccatum: & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, vt ſit omninò ſine maculâ & rugâ: quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum, Dimitte nobis debita noſtra.

Paruulos etiam negabant ſecundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ primâ natiuitate contrahere. Sic enim eos, ſine vllo peccati originalis vinculo aſſerebant naſci, vt prorſus non ſit, quod eis oporteat ſecundâ natiuitate dimitti: ſed propterea baptizari, vt regeneratione adoptati, admittantur ad regnum Dei, de bono in melius tranſlati, non iſtâ renouatione ab aliquo malo obligationis veteris abſoluti. Nam etiamſi non baptizentur; promittebant eis extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quamdam vitam ſuam.

Ipſum quoque Adam dicebant, etiamſi non peccaſſet, fuiſſe corpore moriturum: neque mortuum merito culpæ, ſed conditione naturæ.

Obiiciuntur eis & alia nonnulla, ſed iſta ſunt maximè, ex quibus intelliguntur etiam illa, vel cuncta, vel penè cuncta pendere. *l. de hæreſ. hær.* 88.

Hos errores hæreſeſque, ſimul atque in vulgus ſpargi cœperunt, non quidem libris conſcriptis, ſed ſermonibus & collocutionibus (vti debebat & poterat) conuellere Auguſtinus aggreſſus eſt: donec miſſis ſibi ab Carthagine quæſtionibus reſpondit (vti pòſt dicemus) eademque operâ neceſſarium duxit, Pelagianam hæreſin oppugnare. *l. 2. Retract. c.* 33.

CAPVT VII.

LEGES HONORII CONTRA DONATISTAS.

§. I.

Catholici Legationem ad Honorium decernunt.

Anno 404. QVoniam autem Criſpinus Calamenſis à Proconſulari ſententiâ, quâ propter hæreſin denis auri libris multatus erat, ad Imperatorem prouocauerat, vt mox dictum eſt: auctoritate Synodi Carthaginenſis (habitæ ſexto Kalendas Iulias, Honorio VI. & Ariſtineto Coſſ.) ad Honorium decreta legatio eſt, proficiſcentibus Theaſio & Euodio.

Mandatum Legatis, de renouandis Theodoſij Legibus pecuniariis contra hæreticos, quas Criſpinus prouocatione ſuâ fruſtrà facere conabatur: deque tollendâ facultate, ſiue ex donationibus, ſiue teſtamentis capiendi aliquid vel relinquendi: quarum Legum contra hæreticos olim latarum meminit Auguſtinus *l.*1. *cont. Parm. c.*12. *& Epiſt.* 48. Exponerent deinde, mutuâ pacificâque Collatione (quam ſchiſmati tollendo, ex mandato Anaſtaſij Papæ, Catholici Epiſcopi indixerant) nihil eſſe effectum: interea furorem Donatiſtarum accipere indies robur & audaciam, neque parcere vlli hominum ordini, tametſi legibus atque edictis ſæpenumerò repreſſum. Meminit huius Legationis Auguſtinus *Epiſt.* 50. *&* 68.

§. II.

§. II.

Preces Legatorum mitigat Auguſtinus.

SEd quoniam in annum ſequentem Legatorum ad Comitatum profectio dilata eſt; preces quas ad Imperatorem contra Donatiſtas deferebant, Epiſcopi Catholici, auctore præſertim Auguſtino (vt patet eadem Epiſtolâ 50) ita mitigarunt: vt quamuis Donatiſtarum rabies vſquequaque ſæuiret, non tamen peteretur ab Imperatoribus, vt ipſam hæreſin iuberent omninò non eſſe, pœnam conſtituendo eis qui in illâ eſſe voluiſſent; ſed hoc potiùs conſtituerent, vt eorum furioſas violentias non paterentur, qui veritatem Catholicam vel prædicarent loquendo, vel legerent conſtituendo.

Id eo modo fieri aliquatenus poſſe arbitrabantur, ſi legem piiſſimæ memoriæ Theodoſij (quam generaliter in omnes hæreticos promulgauit: vt quiſquis eorum Epiſcopus vel Clericus, vbilibet eſſet inuentus, decem libris auri multaretur) expreſſiùs in Donatiſtas, qui ſe negabant hæreticos, ita confirmarent; vt non omnes eâ multâ ferirentur, ſed in quorum regionibus aliquas violentias à Clericis vel à Circumcellionibus, vel populis eorum, Eccleſia Catholica pateretur. Vt ſcilicet poſt proteſtationem Catholicorum, qui fuiſſent iſta perpeſſi; iam curâ ordinum ad perſoluendam multam, Epiſcopi ſiue miniſtri ceteri tenerentur. Ita enim exiſtimabant territis Donatiſtis & nihil tale facere audentibus, poſſe liberè doceri, & teneri Catholicam veritatem, vt ad eam cogeretur nemo, ſed eam qui vellet ſine formidine ſequeretur: ne falſos & ſimulatores Catholicos haberent. *Epiſt.* 50.

§. III.

§. III.

Donatiſtæ iterum ſanguinarij.

INtereavero dum Legati iter ſuum vel ex cauſſa differunt, vel nauigandi tempeſtatem commodam opperiuntur; in cædes & violentias Epiſcoporum, qui mala multa perpeſſi ſunt & à ſuis ſedibus exturbati, Donatiſtarum audacia erupit.

Epiſcopus Catholicus à Thuburſicubere, Seruus nomine, cùm à Donatiſtis inuaſum locum repeteret, & vtriuſque partis Procuratores Proconſulare præſtolarentur examen: repentè ſibi in oppido memorato armatis eis irruentibus, vix viuus aufugit. A quibus pater eius, Presbyter ætate & moribus grauis, eâ cæde, quâ vehementer afflictus eſt, poſt paucos dies exceſſit è vita.

Maximianus, Epiſcopus Catholicus Bagaienſis, dictâ inter partes apud ordinarium iudicem ſententiâ, Baſilicam fundi Caluianenſis, quam Donatiſtæ illicitè aliquando inuaſam vſurparant, euicerat. Hanc cùm iure perſpicuo retineret; in eâ ipsâ ſtantem ad Altare irruentes, ſub altari quò confugerat, fuſtibus & eiuſmodi telis, lignis denique eiuſdem altaris effractis immaniter cæciderunt, pugione etiam percuſſerunt in inguine: quo vulnere ſanguis effluens eum exanimem reddidiſſet, niſi illi ad vitam maior eorum ſæuitia profuiſſet. Nam cùm membris ex ea parte nudatis, ſemiuiuus inſuper pronuſque traheretur; exundanti venæ puluis obſtruſus ſanguinem cohibuit, cuius effuſione ibat in mortem.

Deinde cùm à Donatiſtis tandem relictum, Catholici cum Pſalmis auferre tentarent: illi irâ ardentiore ſuccenſi, eum de portantium manibus abſtulerunt, malè multatis fugatiſque Catholicis, quos ingenti multitudine ſuperabant, & facilè ſæuiendo terrebant.

Inde in quandam turrem leuatum, iam defeciſſe arbitrantes, cùm adhuc viueret, noctu præcipitarunt. Sed quodam molli aggere ſubter, cinere ſtercoris nimirum exceptus iacebat, ſenſu amiſſo vix extremum ſpiritum tenens. Ibi eum tranſiens quidam pauper inuenit, cùm ventris exonerandi cauſsâ ad eum diuertiſſet locum. Agnouit

autem

aurem, & pauidus ſuam coniugem accerſiit, quam procul verecundia dimouerat, lucernam ferentem. Tunc eum ambo peruexerunt domum, vel miſerantes, vel aliquid etiam lucelli ſperantes, cùm ſiue viuus ſiue mortuus, collectus tamen Catholicis oſtenderetur.

Poſt multos dies, magnâ mirabilique adhibitâ curâ, ſanatus eſt: vt in cuius corpore plures tum cicatrices, quàm membra licebat numerare. Interim ad tranſmarinas terras occiſum à Donatiſtis fama nuntiauerat: quò poſteaquam ipſe ſecutus eſt, recentiſſimæ cicatrices eius famæ illud mendacium defenderunt.

Hic verò cùm inueniſſet collegam Thuburſicenſem, & alios nonnullos, ſimilia vel non multò inferiora perpeſſos, nec eis ad propria reuertendi vlla facultas patere videretur: auxilium petiuit ab Imperatore Chriſtiano, non tam ſui vlciſcendi cauſsâ, quàm tuendæ Eccleſiæ ſibi creditæ.

Accedebat Circumcellionum nobilis furor, qui iam vſquequaque odioſiſſimè innotuerat: in flammas item redacta Baſilica Bagaienſis, quæ ſicuti apparet Maximiani fuerat; immiſſique in ignem codices ſacri, quod Donatiſtis poſtea Catholici obiecerunt. *Epiſt.50. l.3.cont. Creſcon.cap.45. Collat.3.cap.11.*

§. IV.

Honorij aliud in Donatiſtas decretum & leges.

HInc ergo factum eſt, vt Imperator Honorius, religioſus & pius, perlatis in notitiam ſuam talibus cauſſis, mallet piiſſimis legibus illius impietatis errorem omninò corrigere, & eos qui contra Chriſtum Chriſti ſigna portarent, ad vnitatem Catholicam terrendo & coërcendo redigere; quàm ſæuiendi tantummodò auferre licentiam, & errandi ac pereundi relinquere. *Epiſt.50.*

Quapropter aduerſarios Catholicæ fidei extirpare volens, vt in Edicto ſuo loquitur, interdicendam ſpecialiter eam ſectam nouâ conſtitutione cenſuit, quæ cùm hæreſis vocaretur, appellationem ſchiſmatis præferebat. Atque hinc ſub pœnis grauiſſimis, puta facul-

tatum omnium publicatione, vetuit iterari Baptiſmum: adhæc non teſtandi ſolùm, verumetiam adipiſcendi aliquid ſub ſpecie donationis, vel agitandorum contractuum, in perpetuum copiam Donatiſtis denegauit: loca ſeu prædia, quæ feralibus ſacrilegiis conſtiterit præbuiſſe ſecretum, fiſci viribus applicuit, vt videri poteſt *l. 4. Ne ſanct. bapt. iter. Cod. Theod.* Rauennæ pridiè Idus Februarij, Stilicone II. & Anhtemio Coſſ. Aliâ deinde lege, non Donatiſtarum dũtaxat, ſed & Manichæorum memoriam, quos præcipuè furere compererat, iubet aboleri: *l. 39. de hæret. Cod. Theod.* Vnam poſtremò veramque Dei omnipotentis fidem Catholicam, per Africanas regiones proponi atque retineri. *l. 39. de hæret. Cod. Theod.*

Ergo, vt ait Auguſtinus, non habebat iam Catholicorum Legatio quod ageret, cùm, priuſquam Legati Rauennam adueniſſent, ad grauiſſimas Epiſcoporum querelas promulgata Lex eſſet, vt tantæ immanitatis hæreſis Donatiſtarum (cui crudeliùs parci videbatur quàm ipſa ſæuiebat) non tantùm violenta eſſe, ſed omninò eſſe non ſineretur impunè: non tamen ſupplicio capitali, propter ſeruandam etiam circa indignos manſuetudinem Chriſtianam; ſed pecuniariis damnis propoſitis, & in Epiſcopos vel miniſtros eorum exilio conſtituto. *Epiſt. 50.*

Sanè & Aurariam Legem decem librarum, quam in hæreticos omnes maior Theodoſius conſtituerat, ab Honorio (tametſi interciderit) renouatam fuiſſe, vel inde manifeſtum eſt; quod qui nuper ad Imperatorem appellauerat Criſpinus, eiuſdem tali reſponſo damnatus ſit: Nullo prorſus loco hæreticos Donatiſtas eſſe debere, & eos ad vim legum omnium contra hæreticos latarum, vbique teneri: vt adeo & Iudex propter officium, & idem Criſpinus quod minimè fuerat exactus, iuſſi ſint denas auri libras fiſci iuribus inferre: quamquam protenus per Catholicos Epiſcopos opera ſit data, præcipuè per Auguſtinum, vt illa amborum condemnatio Principis dimitteretur indulgentiâ. Et Domino, inquit Poſſidius, adiuuante perfectum eſt; quâ diligentiâ & ſancto ſtudio, multum creuit ſancta Eccleſia. *Poſſid. cap. 12.*

§. V.

§. V.

Diſputatio Auguſtini cum Felice Manichæo: atque huius conuerſio.

DAmnatis, vt vidimus, per id tempus Manichæis, commodùm accidit vt Auguſtinus cum Felice, biduo in Eccleſia (ſed quinque diebus interrupto) populo præſente diſputaret. *l. de geſt. cum Felice cap. 1.* Hipponem quippè Felix venerat, eundem ſeminaturus errorem: cùm eſſet vnus è Doctoribus eorum, ſiue, vt inquit Poſſidius, Electis: *cap. 16.* & quamuis ineruditus liberalibus litteris, attamen verſutior Fortunato. *l. 2. Retract. cap. 8.*

Dicta vtrimque, Notariis excipientibus, conſcripta ſunt: *Poſſid. cap. 16.* confectumque velut Geſtorum Eccleſiaſticorum publicum inſtrumentum: *l. 2. Retract. cap. 8.* additâ anni & diei notâ, Honorio ſexies Conſule: ſeptimo idus Decembris: *l. 1. de Act. cum Felice cap. 1.* adeoque anno Chriſti CCCC.IV. vt certè Onuphrius in Chronico, ætatis Auguſtini quinquageſimo iam completo. Anno 404.

Poſt ſecundam vel tertiam collationem Felix Manichæus, relictâ vanitate & errore illius ſectæ, ad Catholicam fidem & Eccleſiam conuerſus eſt: *Poſſ. c. 16.* poſtquam præeunte Auguſtino, Manichæum, & doctrinam ipſius, & ſpiritum ſeductorem qui in illo fuit, ſolemni formulâ coram adſtante populo anathematizaſſet. *l. 2. de Act. cum Fel. cap. 22.*

§. VI.

Legum Honorij effectus.

SAluberrimas Imperatoris leges, Eccleſiæ Africanæ pax & vnitas ſubſecuta eſt: non eo quidem ſucceſſu, vt Donatiſtæ omnes ad Catholicam conuerterentur, ſed vt foris manentibus obſtinatis, ma- Anno 405.

gna fieret ex omni Donatiſtarum genere ad Eccleſiam acceſſio.

Id teſtatur Auguſtinus, vbi ait: Iam verò cùm ipſæ leges veniſſent in Africam, præcipuè illi qui quærebant occaſionem, aut ſæuitiam furentium metuebant, aut ſuos verecundabant offendere, ad Eccleſiam continuò tranſierunt. Multi etiam, qui ſolâ illîc à parentibus traditâ conſuetudine tenebantur; qualem verò cauſſam ipſa hæreſis haberet, numquam antea cogitauerant, numquam quærere & conſiderare voluerant; mox vbi cœperunt aduertere, & nihil in ea dignum inuenire propter quod tanta damna paterentur, ſine vllâ difficultate Catholici facti ſunt.

Docuit enim eos ſollicitudo, quos negligentes ſecuritas fecerat. Iſtorum autem omnium præcedentium auctoritatem & perſuaſionem ſecuti ſunt multi, qui minùs idonei erant per ſeipſos intelligere, quid diſtaret inter Donatiſtarum errorem & Catholicam veritatem. Ita cùm magna agmina populorum, vera Mater in ſinum gaudens reciperet; remanſerunt turbæ duræ, & in illa peſte infelici animoſitate ſiſtentes. *Epiſt.* 50.

Hiſce ſimilia ſunt, quæ ad Vincentium, Rogatiſtarum Epiſcopum Cartennenſem ſcribens, inquit: Donatiſtæ nimiùm inquieti ſunt, quos per ordinatas à Deo poteſtates cohiberi atque corrigi, mihi non videtur inutile. Nam de multorum iam correptione gaudemus, qui tam veraciter vnitatem Catholicam tenent atque defendunt, & à priſtino errore ſe liberatos eſſe lætantur; vt eos cum magnâ gratulatione miremur. *Epiſt.* 48.

Quare paullò pòſt: O ſi poſſem tibi oſtendere, ex ipſis Circumcellionibus quàm multos iam Catholicos manifeſtos habeamus, damnantes ſuam priſtinam vitam & miſerabilem errorem, quo ſe arbitrabantur pro Eccleſia Dei facere, quidquid inquietâ temeritate faciebant! qui tamen ad hanc ſanitatem non perducerentur; niſi legum iſtarum, quæ tibi diſplicent, vinculis, tamquam phrenetici ligarentur. *Ibidem.*

Etenim Vincentius, ex eo, vt apparet, Donatiſtarum numero, quibus ferocia Circumcellionum haud placebat, ſcriptis litteris (in quibus ſigillatim fiebat Auguſtini mentio, quem aliquando Carthagine nouerat, adoleſcentem quietis auidum & petentem) ſuper edictis legibuſque Cæſareis, cum Catholicis expoſtulauerat: ſed cui eleganter & fortiter Auguſtinus reſpondit. *Epiſt.* 48.

Atque

Atque hanc Eccleſiæ vnitatem quia Pāmachius, Senatorij Ordinis (cui cum Hieronymo arctą familiaritas interceſſit) adductis ad eam colonis ſuis, quos habebat conſtitutos ibi terrarum vnde Donatiſtarum furor exortus erat, hoc eſt in media Conſulari Numidiâ, ſtrenuè promouerat; gratulatus eſt eì, & gratias amantiſſimè Auguſtinus egit. *Epiſt.* 134.

§. *VII.*

Sententiam ſuam de pœnis hæreticorum, mutat Auguſtinus.

AVguſtinus quidem cùm contra partem Donati duos Libros (qui interierunt) pridem edidiſſet; in eorum primo dixerat: Non ſibi placere, vllius poteſtatis impetu Schiſmaticos ad communionem violenter arctari. nondum ſcilicet expertus vel quantùm mali eorum auderet impunitas, vel quantum eis in meliùs mutandis conferre poſſet diligentia diſciplinæ: *l.* 2. *Retract. cap.* 5. Hoc verò circiter tempore, exemplis partim à Collegis ſibi propoſitis, partim experientiâ cognitis ceſſit. Eius primitùs ſententia erat, neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum: verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum: ne ſcilicet fictos Catholicos haberent, quos apertos hæreticos nouerant. ſed hæc, vt dixi, opinio ipſius, non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis.

Nam primò ei opponebatur ciuitas Hipponenſis; quæ cùm tota eſſet in parte Donati, ad vnitatem Catholicam timore legum Imperialium conuerſa eſt, tantumq; deteſtata Donatiſticæ animoſitatis perniciem, vt in eâ nunquam fuiſſe crederetur. *Epiſt.* 48. Et fuerat tamen olim adeo tenaciter; vt iam tum viuerent adhuc, qui meminiſſent Fauſtinum Donatiſtam regni ſui tempore præcepiſſe, quoniam Catholicorum ibi paucitas erat, vt nullus eis panem coqueret: ita vt cuiuſdam Diaconi Catholici furnarius inquilinus, domini ſui panem incoctum abiecerit. *l.* 2. *cont. Petil. c.* 83. Ita aliæ multæ ciuitates Auguſtino commemorabantur, vt ipſis rebus agnoſceret, etiam in hac cauſſa rectè intelligi poſſe: Da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit, &c. *Epiſt.* 48.

§. VIII.

Praxim pœnalem Donatiſtæ damnant: ſed Scripturis ſacris conſonam probat Auguſtinus.

ET quamquam hanc praxim implorandi Imperatoriam auctoritatem, pro ſanciendâ Eccleſiæ pace, & euadendâ improborum moleſtiâ, Donatiſtæ reprehenderent; Paulli tamen Apoſtoli exemplo, ſæpiùs poſtea confirmat Auguſtinus. Neque enim, inquit, Apoſtolus Paulus vitæ ſuæ tranſitoriæ conſulebat, ſed Eccleſiæ Dei; quando contra illos, qui eum occidere conſpirauerant, conſilium eorum Tribuno vt proderetur effecit: vnde factum eſt, vt eum ad locum, quo fuerat perducendus, deduceret eum miles armatus, ne illorum pateretur inſidias. Romanas etiam leges implorare minimè dubitauit, Ciuem Romanum ſe eſſe proclamans, quos tunc affligi verberibus non licebat. Itemque, ne Iudæis eum interimere cupientibus traderetur, Cæſaris popoſcit auxilium, Romani quidem Principis, ſed non Chriſtiani. Vbi ſatis oſtendit, quid facere deberent poſtea Chriſti diſpenſatores, quando Imperatores Chriſtianos periclitante Eccleſiâ reperirent. *Epiſt.* 50. Vt iam nihil de Donatiſtis dicamus, qui tum Catholicis, tum Schiſmaticis ſuis perſequendis, omnia in Africâ & extra eam tribunalia fatigarunt.

Quapropter lapſu temporis eis contigit, quod accuſatoribus ſancti Danielis. Sicut enim in illos, Leones; ſic in iſtos conuerſæ ſunt Leges, quibus innocentem opprimere voluerunt. Niſi quod propter miſericordiam Chriſti, magis pro eis ſunt iſtæ leges, quæ illis videntur aduerſæ: quoniam multi per illas correcti ſunt, & quotidie corriguntur, & ſe eſſe correctos atque ab illa furioſa pernicie liberatos, gratias agunt, &c. *Epiſt.* 50.

Iam & eandem praxim Euangelicis hiſtoriis latè Auguſtinus confirmat, & præſertim Apoſtoli Pauli, quem cæteris omnibus ſpontaneè adductis plus laboraturum, à Iudaiſmo ad Euangelium Chriſtus coëgit: vt adeo Eccleſia imitetur in cogendis hæreticis Dominum ſuum, quæ priùs vt neminem cogeret, exſpectauit, vt quod de fide Re-

gum & Gentium Prophetæ prædixerant compleretur.

Hinc enim non abſurdè intelligitur & illa Apoſtolica ſententia, vbi Paulus dicit: *Parati vlciſci omnem inobedientiam, cùm completa fuerit prior obedientia veſtra.* Vnde & ipſe Dominus, ad magnam cœnam ſuam (quâ Auguſtinus intelligit vnitatem corporis Chriſti) priùs adduci iubet conuiuas, poſtea cogi. Nam cùm ei ſerui reſpondiſſent: *Domine factum eſt quod iuſsiſti, & adhuc eſt locus; Exite,* ait, *in vias & ſepes.* (per quas accipit hæreſes & ſchiſmata) *& quoſcumque inueneritis, cogite intrare.* In illis ergo qui leniter priùs adducti ſunt, completa eſt prior obedientia: in iis autem qui coguntur, inobedientia coërcetur, &c. *Epiſt.* 50. videri quoque poteſt *Epiſt.* 204. *in fine.*

Quod ſi ſalubriter agere Donatiſtæ, ac primùm eorum Epiſcopi voluiſſent; cùm viderent per leges in Africam miſſas non ad malum, ſed ad bonum ſeſe vrgeri: debuiſſent & ipſi iam mittere ad Epiſcopos Catholicos, vt quomodo eos ipſi conuenerant, ſic conuenirentur ab eis: factâque pacificâ collatione, veritas appareret. *Epiſt.* 68. Verumtamen non feciſſe, poſtea videbimus.

CAPVT VIII.

CRESCONIVS GRAMMATICVS AB AVGVSTINO REFVTATVS.

§. I.

Creſconius calamum in Auguſtinum ſtringit.

SVb id tempus (vt patet *l.* 3. *cont. Creſcon. cap.* 47. vbi de Criſpino Calamenſi Donatiſtarum Epiſcopo agens, inquit: Et tunc cùm inter ipſas etiam recentiſſimas leges, proſcriptionem veſtris Epiſcopis comminantes, in re propriâ ſecurus ſedeat, &c.) Grammaticus quidam Donatiſta Creſconius nomine, cùm inueniſſet Epiſtolam Auguſtini, quâ primas partes Epiſtolæ Petiliani redarguit; putauit Creſconius Anno 406.

ei

ei eſſe reſpondendum: & hoc ipſum per litteras Auguſtino ſignificauit. *libr. 2. Retract. cap. 26.*

Atque vt hic fuerit quæſitus à Creſconio bellus aliquis ſiue color, ſiue prætextus; longè tamen veriſimilius eſt, inuidiâ vnitatis Eccleſiæ indies proficientis, auctore præſertim Auguſtino (cùm eius libris & litteris nihilum opponi poterat) calamum ſtrinxiſſe. Id manifeſtè cõſtat ex iis, quę Creſconius ſcripſerat, refertq́; Auguſtinus his verbis, Creſconium alloquens: Dicis, quòd intolerandâ arrogantiâ credam, me ſolum terminare poſſe, quod aliis velut inexplicabile viſum, iudici Deo dimiſſum eſt: cùm paullò ſuperiùs dixeris, hoc me velle finire poſt tot annos, poſt tot iudices & arbitros, quod apud Principes, tot diſcrepantibus litteratis, ab vtriuſque partis Epiſcopis finiri non potuit. *libr. 1. cont. Creſcon. cap. 3.*

Cui voci, temeritatis pleniſſimæ, hominis Donatiſticæ communionis, quamuis nullâ functione Clericatui adſtricti, *eod. l. cap. 1.* reſpondens, ſubdit: Certè ſolus hinc ſatago, certè ſolus quæſtionem illam finiri diſceptando deſidero? Puto enim ſi ſolos noſtros id conatos culpare voluiſſes, non etiam veſtros in eo conatos fuiſſe fatereris. Quia ergo illum conatum, illam voluntatem & inſtantiam, ſaltem propter veſtros improbare non potes; nolo eſſe à tam bono opere alienus. Quid arguis? quid reprehendis? An inuides? *eodem lib. cap. 3.* Et poſt pauca eandem obiectionem repetit, eique reſpondet his verbis: At enim, quod inter tot ac tales finitum non eſt, intolerabilis arrogantia eſt per ſe ſolum finiri poſſe præſumere. Ne quæſo mihi ſoli hoc tribuendum putes: plurimi ſumus, qui hoc vt finiatur, imò iam vt finitum eſſe innoteſcat, inſtamus. *eod. l. c. 4.* neque hoc ſine fructu, vt exiſtimas. Nam ſi poſſes videre, quàm longè lateque Africam error iſte peruaſerit, & quàm pauca eius remanſerint, quæ nondum in pacem Catholicam correcta tranſierunt; nullo modo aſſertorum Chriſtianæ pacis & vnitatis, infructuoſam & inanem arbitrareris inſtantiam. Quamuis etiam, ſi cui diligentia medicinæ eius impenſæ non prodeſt; ſufficit ad rationem Deo reddendam, quod non ceſſaret impendi. *eod. lib. cap. 5.*

Ex quibus manifeſtiùs adhuc apparet, procurrentis Vnitatis impetus.

§. II.

§. II.

Libri Auguſtini contra Creſconium.

CReſconij Operi, libris quatuor reſpondit: ita ſanè vt tribus perageret, quod vniuerſa reſponſio flagitabat. Sed cùm videret de ſolâ Maximianenſium cauſsâ, quòd ſuos ſchiſmaticos damnauerunt, & eorum aliquos rurſus in ſuis honoribus receperunt, Baptiſmumque ab eis extra ſuam communionem datum non repetiuerunt, reſponderi poſſe ad cuncta quæ Creſconius ſcripſerat; Quartum librum addidit: in quo idipſum diligenter, atque euidenter oſtendit. *libro 2. Retract. c. 26.*

Creſconium autem, non indagandæ deſiderio veritatis, ſed ſolâ inuidiâ, vt diximus, ſiue digitorum prurigine, ad ſcribendi cacoëthes animum applicuiſſe, fidenter Auguſtinus pronuntiat, dum inter alia inquit: Audi Creſconi, dum breuiter & hoc demonſtro, nihil te dixiſſe per totam Epiſtolam tuam, quo refelleres meam: niſi fortè quod me nomina deriuare vel declinare docueris, & à Donato Donatianos potiùs, quàm Donatiſtas dicere: quam tamen Græcam ſaltem declinationem eſſe concedis, videlicet quod ita Donatiſtæ à Donato, vt Euangeliſtæ ab Euangelio nominentur. Quo te delectari dicis, vt veſtris Euangelium prædicantibus, à ſimili mutuata ſit vocabuli declinatio. *l. 2. cont. Creſc. c. 1. & ſeqq.*

Studium certè contentionis in Creſconio notant hæc Auguſtini ad illum verba: Nimirum tibi hæc animi ſubrepſit affectio, quòd contradicendi ſtudio perhibuiſti nos eloquentes, & vituperaſti eloquentiam. Nam quomodo te hoc ex animo feciſſe credam, cùm ſciam quemadmodum prædicare ſoleatis eloquentiam Donati, Parmeniani, aliorumque veſtrorum? Tu de te ipſo nónne aperuiſti, quàm non ex animo, ſed ex contentione vituperator fueris eloquentiæ; cùm & cetera quæ ſcripſiſti, per eloquentiam ſuadere, & eandem ipſam eloquentiam eloquenter accuſare conatus es? *l. 1. cont. Creſc. c. 2.*

Dixerat quoque Creſconius, cauſſam ſuſceptæ ſcriptionis prætexens: Inſtare ſemper & prouocare Auguſtinum, vt ad dignoſcen-

dam veri quæſtionem cum eo Donatiſtæ diſceptent: ſed hos prudentiùs ac patientiùs facere, qui in Eccleſiâ, tantùm quæ in Lege mandata ſunt, populos doceant, nec Auguſtino reſpondere curent, &c. Sed hoc telum argutè in ipſum retorquet Creſconium: Quid tibi ergò, inquit, reſpondere viſum eſt, vt aduerſus nos illis tacentibus tu loquaris? Nam ſi benè faciunt, cur non imitaris? ſi malè, cur laudas? *eod. lib. cap. 3.*

§. III.

Argutiæ Creſconianæ.

ADhæc Creſconius Grammaticus, callidus examinator appenſorque verborum, docere volebat Auguſtinum, quid valeat Comparatiuus gradus: & tamquam victor exultabat, quòd non poſſet dicere traditionem diuinorum librorum *probabiliùs* ſe obiicere Donatiſtis; niſi confiteretur, Donatiſtas eandem *probabiliter* obiicere Catholicis. Si enim vos, inquiebat, probabiliùs; ergo nos probabiliter. Quia ſic eſt probabiliter & probabiliùs, vt ſi dicas, verè & veriùs. Et quia gradus iſte, quod antè poſitum eſt auget, & non quod antè dictum eſt improbat.

Adiungebat alia verba, quibus hoc euidentiùs intelligeretur, ac dicebat: Sicuti eſt benè & meliùs: malè & peiùs: horribiliter & horribiliùs; ita eſſe probabiliter & probabiliùs. Quapropter colligebat: Si vos probabiliùs; ergo nos probabiliter. *l. 3. cont. Creſc. c. 72. & l. 4. c. 55.* Qua in re Creſconius, diſputandi formulam hæreticis præiuit: qui, ſicuti etiamnum hodie plus operæ collocare ſolent in percipiendis mitioribus litteris, quàm ſacris & Diuinis, ita earum plerumque ſunt peritiores.

§. IV.

§. IV.

Eas obterit Auguſtinus, & Creſconium proprio mucrone iugulat.

NOluit verò Auguſtinus, hiſce Creſconij ineptiis ineptè reſpondere, recriminando quòd in quæſtione vel diſputatione Eccleſiaſticâ, artificiali illum Grammaticâ docere conaretur: licet id Creſconius antea feciſſet, quando ei anticategoriam, veluti ex arte Rhetoricâ obiiciendam putauit. *l. 3. cont. Creſc. c. 26.* Quod genus quæſtionis nihilominus, etiam in auctoritate Propheticâ Creſconio demonſtrauit.

Conſidera, inquit, diligenter, ne fortè inuenias in Latinæ Locutionis auctoribus, quibus Grammaticorum artificialia ſeruiunt, non ſemper iſtum gradum, quod antè poſitum eſt augere, ſed aliquando contrario ſuperferri. Quod primùm ex Apoſtolo ad Hebræos oſtendit, qui cùm priùs de terrâ dixiſſet, *Proferens autem ſpinas & tribulos, reproba & maledictioni proxima eſt, cuius finis in vſtionem*; mox ſubiecit, *Confidimus autem de vobis meliora.* Attendis certè, inquit, quomodo dixerit *meliora*: non quia bona erant quæ ſuprà dixerat, proferre ſpinas & tribulos; ſed magis quia mala erant, vt illis deuitatis meliora eligerent, hoc eſt, bona tantis malis contraria. *l. 3. c. Creſc. c. 75.* Subiungit deinde: Quod ſi & ego iam his Litteris aſſuefactus, & illas, quas puer didici, oblitus, ſic dixi: *Obiicitis traditionem, hanc ipſam multò probabiliùs nos vobis obiicimus*: non quia vos probabiliter, ſed magis quia improbabiliter: ſicut ille *meliora*, non quia illa erant bona, ſed magis quia mala: tu quare tam temerè concludis, ex hoc confirmaſſe me, vos probabiliter, quia nos probabilius? *ibid.*

Deinde nec ſecundùm Grammaticos in verbo ſe erraſſe probat ex illo Virgilij. l. 3. Georg.

Dij meliora piis, erroremq́; hoſtibus illum.

tum ex ipsâ Donatiſtarum phraſi, quâ vſi ſunt in ſententia Concilij Bagaienſis, contra Maximianiſtas, cuius partem refert, *l. 4. cont. Creſc. c. 4.* Quibus omnibus locis, Comparatiuus gradus non ſemper auget

quod comparat, ſed aliquando improbat cui comparatur. *l. 3. cont. Creſc. c. 73. & l. 4. c. 55.*

Iam & retorquet in Creſconium proprium telum: qui, docendo regulas comparatiui gradûs, quia id quod antè poſitum eſt auget, non quòd antè dictum eſt improbat; neſciens, plurimùm Catholicis fauebat.

Nam cùm dixiſſet Creſconius: *Tot documenta legalia, quod meliùs & veriùs eſt, Catholicis perſuadere non poſſe*; colligit ſecundùm aſſignatam à Creſconio regulam Auguſtinus, Catholicos verum & bonum tenere, ſi, quod verius & melius eſt, eis perſuaderi non poſſit. Quapropter cùm nos, inquit, non reſcindamus verius & melius Baptiſma veſtrum, quare vos reſcinditis verum & bonum noſtrum? &c. *libro 3. cont. Creſcon. c. 77.*

Plura erant, etiam ineptiora præteritis, quæ Creſconius obiecerat: quem proinde pueris puerilia ſeruare potiùs iubet.

§. V.

Tuetur ſe à ſcribendi acerbitate, & Manichæiſmum ſibi obiectum diluit.

REprehenderat Creſconius quòd promiſſam in exordio reſponſionis ad Petiliani litteras, pacem & lenitatem non tenuiſſet, quia Petilianum Satanam appellauerit. Sed reſpondet: Ego non Petilianum, nec quemquam hominem in parte Donati, ſed ipſum errorem partis Donati, Satanæ comparaui: ex cuius laqueis homines quos diligo, cupio liberari. Lege conſideratiùs, inuenies. *l. 3. cont. Creſc. c. 78. & l. 4. c. 64.*

Denique Manichæiſmum (in quem licet adoleſcens, laïcus, & Catechumenus incidiſſet, tamen hunc illi Creſconius ex obliquo obiiciendum putauerat) purgatiſſimè diluit: necnon fabricatam à Megalio calumniam, cùm ad Epiſcopat.m poſtularetur. *l. 3. cont. Creſc. cap. 78. & l. 4. c. 64.*

Vnam denique his omnibus ſpongiam adhibet, his vſus verbis: Deſine talibus: vnus homo ſum: Eccleſiæ inter nos agitur cauſſa,

non

non mea, Eccleſiæ, inquam, quæ in nullo homine ſpem ponere, à ſuo didicit redemtore. Quamquam nec de meipſo vobis, etiamſi meam conuerſationem noſſetis, rectè crederetur inimicis mihi. Ad exiſtimationem hominum, magna teſtium, qui me nouerunt, ſuppetit copia; ad Dei verò conſpectum, ſola conſcientia: quam contra veſtras criminationes cùm intrepidam geram; non me tamen ſub oculis omnipotentis Dei iuſtificare audeo: magiſque ab illo effluentem miſericordiæ largitatem, quàm iudicij ſummum examen exſpecto. *l. 3. cont. Creſc. c.* 80.

In quam ſententiam pridem antè Secundino Manichæo reſponderat: Senti de Auguſtino quidquid libet: ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſet. *l. cont. Secund. cap.* 1. Etenim cùm falſa crimina audimus ab eis, quos offendimus prædicando eloquia veritatis, & erroris vaniloquia conuincendo; habemus abundantiſſimam conſolationem. Nam ſi in eis quibus me criminantur, teſtimonium conſcientiæ meæ non ſtat contra me in conſpectu Dei, quò nullus oculus mortalis intenditur; non ſolùm contriſtari non debeo, verumetiam gaudere & exultare, quia merces mea multa eſt in cælis. Neque enim intuendum eſt, quàm ſit amarum, ſed quàm falſum quod audio: & quàm verax, pro cuius nomine hoc audio, &c. inquit *l. 3. cont. Petil. cap. 6.*

§. VI.

Donatiſtarum aduerſus Auguſtinum calumniæ.

NEque ſanè temerè contra calumniantium ſpicula ſe Auguſtinus piâ conſcientiæ fiduciâ obarmat: quandoquidem Petilianus, totam ſuam, quâ turgebat bilem, in eum impudenter effuderat.

Inde fabricata à Megalio calumnia, quam dixi, de amatorio cuidam mulieri porrecto, pluries repetita. *l. 3. cont Petil. c.16.* Inde obiectus ei ſæpenumerò, non tantùm ſimplex Manichæiſmus; *l. 3. cont. Petil. c.* 16. *&* 10. verumetiam quod Manichæorum Presbyter fuerit: *eod. l. c.*17. obque hanc cauſſam eiectus ex Africa. *eod. l. c. 25.*

Inde Tertulli nomine appellatus, à quo fuit accuſatus Paullus, quia excellebat in arte Rhetorica: & crimini data Dialectica, veluti ſi ipſa eſſet mentiendi artifex. *l. 3. cont. Petil. c.* 16. Inde verborum ſuorum furem Petilianus appellabat, quòd codice mendoſo vſus fortaſſe, vnum alterumve vocabulum, quod nihil ad rem faciebat, ignoranter omiſiſſet: *eod. l. c.* 17. Inde labi dicebat lubricum, ſed teneri: nec deſtruere, nec infirmare, quod obiiciebat: incerta pro certis excogitare: non permittere legentes, quæ vera ſunt credere, ſed facere vt altiùs dubia ſuſpicentur: denique, Academici damnabile ingenium habere Carneadis. *eod. l. c.* 21.

Obiecta præterea vita Monaſtica, &, quòd eſſet eius inſtituti auctor: *l. 3. cont. Petil. c.* 40. ſed quorum neutrum negauit Auguſtinus: contentus aduerſus alia, veritatis, vitæ, conuerſationis & innocentiæ clypeo ſe munire. *l. 3. cont. Petil. c.* 2. 10. 11. 12.

Horum pleriſque quæ enumerauimus Auguſtino obiectis oblectatus Creſconius, repetenda exiſtimauit, vt diximus: verùm nullo maiori atque Petilianus præmio: vt in Libris contra eum ſcriptis videre eſt. Vniuerſim verò Donatiſtis omnibus Auguſtinus maximo odio fuit, quod ipſe teſtatur *l. 3. cont. Petil. cap.* 11. atque ex iis quæ aliàs retulimus, conſtare poteſt, dum Lupum & ſeductorem appellarunt, adeoque pro gregis ipſorum defenſione, mactandum cenſuerunt: quod diſpoſitis aliquando inſidiis moliti ſunt, vt ſuprà retulimus. *Poſſid. c.* 9. *&* 12.

Ceterùm inter Auguſtini Epiſtolas exſtat vna ad Creſconium: *Epiſt.* 229. teſtaturque Poſſidius, vnam Creſconio Grammatico directam: *Indic. c.3.* quæ vtrùm cum præcedente ſit eadem, penes Lectorem eſto iudicium: mihi non videtur.

§. VII.

Epiſtolæ & opuſcula tunc edita.

POſt latas ab Honorio leges, Epiſtolas plures ad alios & alios Donatiſtas dedit, nominatim ad Emeritum, vt ſuprà indicauimus. Prodiit etiam Liber probationum, & teſtimoniorum contra Donatiſtas:

tiſtas: *l.* 2. *Retract. c.*27. (fortè ad imitationem beati Cypriani, cuius exſtant ſub eodem titulo aliquot libri ad Quirinum) Et alius deinde, Contra quem neſcio Donatiſtam: *ibid. c.* 28. Et Admonitio Donatiſtarum de Maximianiſtis, cuius fit mentio *l. eod. cap.* 29. ſed qui reperiri hactenus non potuerunt.

CAPVT IX.

AVGVSTINVS PAGANISMO EXTIRPANDO STVDET.

§. I.

Liber de Diuinatione dæmonum.

PEr idem tempus accidit ei ex quadam diſputatione neceſſitas, vt de Diuinatione dæmonum, libellum ſcriberet, *l.* 2. *Retract. c.* 30. Quodam enim die, in diebus ſanctis Octauarum, cùm manè apud illum adeſſent multi fratres laïci Chriſtiani, & in loco ſolito conſediſſent; ortus eſt ſermo de Religione Chriſtiana, aduerſus præſumtionem,& tamquam miram & magnam ſcientiam Paganorum. Quem recordatum atque completum, litteris mandandum putauit, non expreſſis contradicentium perſonis, quamuis Chriſtiani eſſent, & magis contradicendo quærere viderentur, quid Paganis reſponderi oporteret.

Cùm ergo de Diuinatione dæmonum quæreretur, & affirmaretur, prædixiſſe neſcio quem, (Antoninum Philoſophum opinor) euerſionem templi Serapis, quæ in Alexandriâ facta eſt; reſpondit non eſſe mirandum, ſi iſtam euerſionem templi Simulachris ſuis imminere, dæmones & ſcire & prædicere potuerunt, ſicut alia multa, quantum eis noſſe & prænuntiare permittitur. *l. de diu. dæmon. c.* 1.

§. II.

§. II.

Exploſa Hermetis Ægyptij vaticinia.

ANnoſus Hermes iſte Ægyptius doluit aliquando tempus eſſe venturum, quo Idola auferrentur in Ægypto: quæ nihilominus fatebatur, à multum errantibus & incredulis, & à cultu diuinæ religionis auerſis, eſſe inſtituta, atque inter cetera ait: *Tunc terra iſta ſanctiſſima, ſedes delubrorum atque templorum, ſepulchrorum erit mortuorumq; pleniſſima.* Quaſi verò ſi illa non auferrentur, non eſſent homines morituri: aut alibi eſſent mortui ponendi quàm in terra. Et vtique quantò plus volueretur temporis & dierum, tantò maior eſſet numerus ſepulchrorum, propter maiorem numerum mortuorum.

Sed hoc videbatur dolere, quod memoriæ Martyrum noſtrorum, Idolorum templis delubriſque ſuccederent: vti videlicet qui hæc erant lecturi, animo à nobis auerſo atque peruerſo, putarent à Paganis Deos cultos fuiſſe in templis, à Chriſtianis autem coli mortuos in ſepulchris. *l.8. de Ciuit. Dei c.26.* Dolor dæmonum per eum loquebatur, qui ſuas futuras pœnas apud ſanctorum Martyrum memorias imminere mœrebant. In multis enim talibus locis torquentur, & confitentur, & de poſſeſſis corporibus hominum eiiciuntur. *eod. l. & c.*

§. III.

Martyres à Chriſtianis non adorari: licitè nihilominus inuocari.

NEc tamen nos eiſdem Martyribus templa, ſacerdotia, ſacra & ſacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorum, nobis eſt Deus.

Honoramus ſanè memorias eorum, tamquam ſanctorum hominum Dei: qui vſque ad mortem ſuorum corporum pro veritate certarunt, vt innoteſceret vera religio, falſis religionibus fictiſque conuictis:

uictis: quod etiam ſi qui antea ſciebant, timendo reprimebant. Quis autem audiuit aliquando fidelium, ſtantem Sacerdotem ad Altare, etiam ſuper ſanctum Martyris corpus ad Dei honorem cultumque cõſtructum, dicere in precibus, Offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane? cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos homines & Martyres fecit, & ſanctis ſuis Angelis cæleſti honore ſociauit: vt eâ celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ renouatione adhortemur.

Quæcumque igitur adhibentur religioſorum obſequia, in Martyrum locis; ornamenta ſunt memoriarum, non ſacra vel ſacrificia mortuorum, tamquam Deorum, &c. *eod. l. cap.* 27.

Inuocari interim poſſe ſanctos Martyres, eorumque nos orationibus apud Deum iuuari, patet *libr. 5. de Bapt. cap. 17. & l. 7. cap. 1. & libr. 9. Conf. cap. 3.*

Quò facit, quod ait de ſuo apud Deum aduocato & Memoriæ à ſe exſtructæ patrono: Date veniam, quia diuturnum non reddo ſermonem. Noſtis enim fatigationem meam: vt heri ieiunus tanta agere poſſem & non deficere, & vt hodie vobiſcum loquar; Orationes ſancti Stephani præſtiterunt. *ſerm. 29. de diuerſ.*

§. IV.

Maximum hermetizantem Auguſtinus vrbanè refellit.

PAganus etiam, Maximus nomine, ſcripſerat ad Auguſtinum, indignatus vt apparet, Mortuos homines ſpecie glorioſæ mortis (Martyres exiſtimo) haberi pro diis: vbi à Paganis è contra tantummodò coleretur vnus, tametſi variis nominibus appellatus. *Epiſt. 43.*

Homini reſpondens Auguſtinus, interrogat: Seriumnè aliquid inter ſe agant, an iocari libeat? Nam ſicut tua, inquit, Epiſtola loquitur, vtrùm cauſſæ ipſius infirmitate, an morum tuorum comitate ſit factum,

ctum, vt malles eſſe facetior quàm paratior, incertum habeo. *Epiſt.* 44.

Dein vbi Paganicas quaſdam ineptias reprehendiſſet aç perſtrinxiſſet, quòd homo Afer ſcribens Afris, cùm ambo ipſi in Africâ forent, Punica nomina exagitanda exiſtimaret: Si ridere delectat, ait, habes apud vos magnam materiam facetiarum, Deum Stercutium, Deam Cloacinam, Venerem Caluam, Deum Timorem, Deum Pallorem, Deam Febrem, & cetera innumerabilia huiuſcemodi, quibus Romani, antiqui Simulachrorum cultores, templa fecerunt, & colenda cenſuerunt, *&c.* In ſummâ, vaniſſimi capitis Epiſtolam totam doctè robuſteque confutat: & ſcire iubet, à Chriſtianis Catholicis nullum coli mortuorum, nihil denique vt Numen adorari, quod ſit factum & conditum à Deo; ſed vnum ipſum Deum qui fecit & condidit omnia. Quæ latiùs ſe demonſtraturum ait, cùm grauiter eum velle agere cognouerit. *ead. Epiſt.*

§. V.

Contra Paganos Quæſtiones ſex. Auguſtinus erga eos benignus & affabilis.

INter hæc, adeoque inter arctiſſimas occupationes ipſius, miſſæ ſunt ei à Carthagine Quæſtiones ſex, quas propoſuerat amicus quidam quem cupiebat fieri Chriſtianum, vt contra Paganos ſoluerentur. *l.* 2. *Retract. cap.* 31. Propoſuerat, inquam, non ipſi Auguſtino, ſed Deogratias Presbytero Carthaginenſi, qui eas deinde Auguſtino delegauit. *Epiſt.* 49.

Harum quæſtionum diſputationes, in vnum librum contulit non prolixum, cuius eſt titulus: Sex quæſtiones contra Paganos expoſitæ: *l.* 2. *Retr. cap* 31. miſitque ad Deogratias, vt haberet cum ceteris, quorum ſtudio ſciret conuenire: iubens vt ipſe breuiter Pagano ad interrogata reſpondeat, quod & antè facere poterat. Cauſſa enim ſubeſſe videbatur, cur Paganus ille nihil ſibi ab Auguſtino ſcribi voluerit, tametſi foret aliàs amicus. *Epiſt.* 49.

Alioquin nonnullos alios qui in eodem luto hærebant, magno ſalutis eorum zelo & profectu, præclaris litteris affatus eſt.

Cum

Cum Longiniano enim Philoſopho Pagano, pluribus vltrò citroque egit, vt, quem tamquam in ſpeculo ſermocinationis inſpexerat, nihil eſſe mallet, quàm virum bonum; demonſtrando quæ ſit optima ad felicitatem via, Chriſtianæ fidei lucraretur. *Epiſt.*20. 21. & 22.

Idem præſtitit cum Voluſiano, *Epiſt.* 1. & 3. vt pòſt dicemus. Cetera huiuſce argumenti, vide à Poſſidio recenſita, *Indic. cap* 1.

§. VI.

Varios ritus Paganiſmum ſapientes abolere conatur.

I. PVGNAM CIVILEM. Nam libro 4. de Doctrinâ Chriſtianâ, agens de tribus dicendi generibus, Submiſſo, grandi, ac temperato, Eccleſiaſtæ non minùs quàm Oratori neceſſariis, narrat ſe aliquando apud Cæſaream Mauritaniæ diſſuaſiſſe populo pugnam ciuilem, imò pluſquàm ciuilem, quam CATERVAM vocabant. Neque enim ciues tantummodò, verùm etiam propinqui & fratres, poſtremò parentes ac filij lapidibus inter ſe, in duas partes diuiſi, per aliquot dies continuos, certo tempore anni, ſolemniter dimicabant, & quiſque vt quemque poterat occidebat.

Egit tunc quidem quantùm valuit, grandi orationis charactere, vt tam crudele atque inueteratum malum de cordibus & moribus eorum euelleret, pelleretque dicendo: quamquam non priùs ſe peregiſſe aliquid putauit, quàm videret flentes. Acclamationibus quippè, ſe doceri; flecti autem, lacrymis indicabant. Quas vbi aſpexit; immanem illam conſuetudinem, à patribus & auis, longeque à maioribus traditam, quæ pectora eorum hoſtiliter obſidebat vel potiùs poſſidebat, deuictam credidit.

Nec fefellit eum ſagacitas. Siquidem iam tum cùm hiſtoriam hanc deſcriberet, fermè octo vel amplius anni erant, ex quo illìc nihil tale tentatum eſt: vt non fruſtrà poſt finitum Sermonem, ad agendas Deo gratias corda atque ora conuerterit. *l.*4. *de Doct. Chriſt. cap.* 24.

II. COMMESSATIONES AD SEPVLCHRA. Atque has quidem quod attinet, Preſbyter adhuc Auguſtinus cùm eſſet, vehementer in-

ſtitit & ſuaſit, vt commeſſationes & ebrietates (quæ in honorem beatiſſimorum Martyrum, non ſolùm per dies ſollemnes, ſed etiam quotidie celebrabantur) ſi non in luxu & labe domeſticâ, & eorum conuiuiorum quæ priuatis parietibus continentur; ſaltem de Sanctorum corporum ſepulchris, ſaltem de locis Sacramentorum, de domibus Orationum arcerentur, *Epiſt* 64. de qua re videri etiam poteſt *l.* 8. *de Ciuit. Dei cap.* 27.

Etenim iam olim Manichæos ad reſipiſcentiam exhortans, dixerat: Nolite conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipsâ verâ religione ſuperſtitioſi ſunt; vel ita libidinibus dediti, vt obliti ſint quidquid promiſerint Deo. Noui multos eſſe ſepulchrorum, & picturarum adoratores. Noui multos eſſe qui luxurioſiſſimè ſuper mortuos bibant: & epulas cadaueribus exhibentes, ſuper ſepultos ſeipſos ſepeliant, & voracitates ebrietatesque ſuas deputent religioni. *l. de mor. Ecc. Cath. cap.* 24.

Quæ omnia quaſi Parentalia, ſuperſtitioni Gentilium eſſe ſimillima, obque id prohibita olim ac Epiſcopo Ambroſio, teſtatur *libr.* 6. *Conf. cap.* 2. neque perinde â Chriſtianis melioribus fieri, *libr.* 8. *de Ciuit. Dei cap.* 27.

III. VARIAS SVPERSTITIONES. Iam enim Epiſcopus adhortari, ſeriòque monere non deſiſtebat ſuos, quos ab omni ſuperſtitione cupiebat eſſe alienos, vt quoties aliqua infirmitas ſuperuenerit, Corpus & ſanguinem Chriſti, ille qui ægrotat accipiat: & inde corpuſculum ſuum vngat, vt illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo: *Infirmatur aliquis; inducat Presbyteros, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo. & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit; & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Cùm ergo duplicia bona poſſint in Eccleſiâ inueniri; quare per præcantatores, per fontes & arbores, & Diabolica phylacteria, per characteres, & Aruſpices, & diuinos, & ſortilegos, multiplicia ſibi mala miſeri homines conantur inferre? *Serm.* 215. *de Temp.*

Monet deinde pòſt, vt vnuſquiſq; linguam ſuam attētiſſimè frænet ne fortè detrahendo, malè loquendo, & in ſanctis feſtiuitatibus choros ducendo, cantica luxurioſa & turpia proferendo, de linguâ ſua, vnde debuerant Deum laudare, inde ſibi vulnera videantur infligere. Iſti enim infelices & miſeri homines, qui balationes, & ſaltationes, ante ipſas

te ipſas Baſilicas Sanctorum, exercere nec metuunt, nec erubeſcunt; etſi Chriſtiani, inquit, ad Eccleſiam venerint, Pagani de Eccleſiá reuertuntur: quia iſta conſuetudo balandi, de Paganorum obſeruatione remanſit. *eod. ſerm.*

Et licet credam quòd illa infelix conſuetudo, iam nobis caſtigantibus, de locis iſtis fuerit Deo inſpirante ſublata; tamen ſi adhuc agnoſcatis aliquos, illam ſordidiſſimam turpitudinem de Hinniculâ vel Cerulâ exercere, ita duriſſimè caſtigate, vt eos pœniteat rem ſacrilegam commiſiſſe. Et, ſi aliquando Luna obſcuratur, adhuc aliquos clamare cognoſcitis; & ipſos admonete: denuntiantes eis quod graue ſibi peccatum faciunt, quando Lunam, quæ Deo iubente certis temporibus obſcuratur, clamoribus ſuis à maleficiis, ſacrilego auſu ſe defenſare poſſe confidunt.

Et ſi adhuc videtis aliquos, ad fontes, aut ad arbores vota reddere; &, ſicut iam dictum eſt, Sortilegos etiam & diuinos, vel præcantatores inquirere: phylacteria etiam diabolica, & characteres, aut herbas, vel ſuccos ſibi aut ſuis appendere; duriſſimè tanta eorum peccata increpantes, dicite: quia quicumque fecerit hoc malum, perdit Baptiſmi Sacramentum.

Et quia audiuimus, quod aliquos viros vel mulieres ita diabolus circumueniat; vt quintâ feriâ nec viri opera faciant, nec mulieres lanificiũ: coram Deo & ſanctis Angelis eius conteſtamur, quia quicumque hoc obſeruare voluerint, niſi per prolixam & duram pœnitentiam tale ſacrilegium emendauerint; vbi arſurus eſt diabolus, ibi & ipſi damnandi ſunt. Iſti enim infelices & miſeri, qui in honorem Iouis in quintâ feria opera non faciunt; non dubito quod ipſa opera die Dominico facere nec erubeſcunt, nec metuunt. Et ideo quoſcumque tales eſſe cognoueritis, duriſſimè caſtigate: & ſi emendari noluerint; nec ad colloquium, nec ad conuiuium veſtrum eos venire permittite. Si verò ad vos pertinent, etiam flagellis cædite: vt vel plagam corporis timeant, qui de animæ ſuæ ſalute non cogitant. *eod. ſerm. 215.*

§. VII.

Dehortatur à cultu Idolorum. Horum origo, ab ignorantiâ Creatoris.

DE Idolis porrò agens: Quamuis (inquit Idololatris) Deum noſtrum carnalibus oculis veſtris non poſſimus oſtendere, quem per opera intelligere debuiſtis; nolite tamen ſeduci vanitatibus veſtris, quia vos ea quæ colitis, digito poteſtis oſtendere. Multò quippè honeſtiùs non haberetis quod poſſetis oſtendere; quàm vt in eo, quod iſtis oculis à vobis oſtenditur, veſtri cordis cæcitas oſtendatur.

Quid enim oſtenditis, niſi aurum & argentum? Habent quidem ærea, & lignea, & fictilia ſimulachra, & huiuſcemodi alterius alteriuſque materiæ; ſed pretioſum eorum maluit commemorare Spiritus ſanctus: quia, cùm in eo quiſque quod illi charius eſt erubuerit, multò faciliùs auertitur à veneratione viliorum, &c. *Enarr. in pſal* 113*. conc.* 2. Nam licet Deus aureus, & Deus ligneus, ad pretium diſpares ſunt; ad habere oculos & non videre, pares ſunt, fratres ſunt. *ſerm.* 29. *de verb. Dom. cap.* 9.

Huius generis plurima paſſim apud Auguſtinum exſtant. Atque in primis Simulachrorum originem & exordium (quandoquidem Varrone teſte, antiqui Romani, pluſquam annos centum & ſeptuaginta, Deos ſine ſimulachris coluerint; *lib.* 4. *de Ciuit. Dei cap.* 31.) Deorumque natales & incunabula, libris de Ciuitate Dei exſequitur, præſertim 4. 5. 6. 7. & 8. quorum poſtremo Hermes Triſmegiſtus, patenter etiam maiorum ſuorum circa Deos errorem confitetur, tametſi doleret aliquando deſtructum iri. *l.* 8. *de Ciuit. Dei cap.* 24.

Quæ cuncta eò tandem euadunt, quod cùm, teſte Apoſtolo, huius mundi ſapientes ex creaturâ Creatorem, ex arte artificem, ſiue, inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, conſpicere intellectu poſſent; non ſicut Deum honorificauerint, aut gratias egerint: ſed euanuerint in cogitationibus ſuis, & dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſint. quoniam immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.

tium. Figuras enim iſtorum animalium, ſibi Deos Pagani fecerunt, &c. *ſerm.55. de verb.Dom.* videri quoque poteſt *l.1.de conſ. Euangel. cap. 7. & ſeqq.*

§. VIII.

Vnius Deitatis, ac Chriſtianæ fidei profeſsionem inculcat.

HÆc eſt igitur Religio Chriſtiana, quæ prædicatur per totum mundum, horrentibus inimicis, & vbi vniuntur murmurantibus, vbi præualent ſæuientibus: hæc eſt Religio Chriſtiana, vt colatur vnus Deus, non multi dij: quia non facit animam beatam niſi vnus Deus. *Tract. 25. in Ioann.*

Iam verò quos legere potui, inquit, qui ante me ſcripſerunt de Trinitate, quæ eſt Deus, diuinorum librorum veterum & nouorum Catholici tractatores, hoc intẽderunt ſecundùm Scripturas docere, quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus, vnius eiuſdemque ſubſtantiæ inſeparabili æqualitate, diuinam inſinuent vnitatem. Ideoque non ſint tres dij, ſed vnus Deus: quamuis Pater Filium genuerit, & ideo Filius non ſit qui Pater eſt: Filiusque à Patre ſit genitus, & ideo non ſit Pater qui Filius eſt: Spiritusque ſanctus nec Pater ſit nec Filius, ſed Patris & Filij Spiritus, Patri & Filio etiam ipſe coæqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem.

Non tamen eandem Trinitatem, natam de Virgine MARIA, & ſub Pontio Pilato crucifixam & ſepultam, tertio die reſurrexiſſe, & in cælum aſcendiſſe; ſed tantummodò Filium. Nec eandem Trinitatem deſcendiſſe in ſpecie columbæ ſuper Ieſum baptizatum, aut die Pentecoſtes ſonitu facto de cælo, quaſi ferretur flatus vehemens, linguis diuiſis velut ignis, ſediſſe ſuper vnumquemque eorum; ſed tantummodò Spiritum ſanctum. Nec eandem Trinitatem, dixiſſe de cælo: *Tu es filius meus*, ſiue cùm baptizatus eſt à Ioanne, ſiue in monte quando cùm illo erant tres diſcipuli, aut quando ſonuit vox dicens: *Et clarificaui, & iterùm clarificabo*; ſed tantummodò Patris vocem fuiſſe ad Filium factam: quamuis Pater & Filius & Spiritus ſanctus, ſicut inſeparabiles ſunt;

ſunt; ita inſeparabiliter operentur. Hæc etiam mea fides eſt, quoniam hæc eſt Catholica fides. *lib.1.de Trinit.cap.4.*

§. IX.

Exponit Epiſtolam S. Iacobi.

LVcubrationum ordine ſuccedit, Expoſitio Epiſtolæ Iacobi Apoſtoli: ſed quam mauult Annotationes in eandem appellari, quòd expoſitio perpetua non ſit, ſed quorumdam locorum, in vnum librum à fratribus redacta. *l.2. Retract. cap.32.*

Exſtabat ætate Caſſiodori, qui ait: Sanctus quoque Auguſtinus, Epiſtolam Iacobi Apoſtoli ſolita diligentiæ ſuæ curioſitate tractauit: quam vobis in membranaceo codice ſcriptam reliqui. *l.1.de diuin.lect. cap.8.* Nunc intercidit, aut latet.

CAPVT X.

DONATISTÆ ITERVM REPRESSI.

§. I.

Anabaptiſmus omni tempore in horrore fuit.

Anno 407. HOnorij Imperatoris Edicto vetitum iterari ſacrum Baptiſma, idque occaſione Criſpini Calamenſis, paullò antè commemorauimus. Etenim ſi libet altiuſculè materiam Anabaptiſmi eruere; ea res iam ab ipſo ſui exordio mirificè omnes offenderat. Atque in primis Cyprianus hinc nihil non agebat, vt ſicuti poſſet repetiti Baptiſmi crimen declinaret: *Epiſt. ad Quint. & Iubaian.* eandemque inuidiam conabatur auertere in Concilio Carthaginenſi Adelphius à Thasbalte. *l.6. de bapt. cap.42.*

Sed

Sed & antiquiſſimis Imperatorum legibus, erat hoc Donatiſtarum ſacrilegium repreſſum : vt non ob aliud ſcripſerit Optatus lib. primo, Contra leges fuiſſe, quòd Donatiſtæ iterarent Baptiſmum. Harum legum vnius Auguſtinus meminit, (quæ putatur eſſe Conſtantini magni,) dum ait, alloquens Donatiſtas : Attendite quàm manifeſtiſſimâ veritate per cor Regis, quod in manu Dei eſt, ipſe Deus dixerit in iſtâ ipsâ lege, quam contra vos prolatam dicitis, eſt autem, ſi intelligitis, prolata pro vobis. Attendite quid habeant verba Principis: *Nam ſi in eis, qui primò initiati ſunt, idcircò religio Baptiſmatis iudicatur infirma, quòd ij, à quibus accipitur, peccatores putentur; toties renouari neceſſum erit traditum Sacramentum, quoties indignus fuerit inuentus collati Baptiſmatis adminiſtrator: & fides noſtra, non ex noſtræ voluntatis arbitrio, neque ex diuini muneris gratiâ, ſed ex meritis Sacerdotum & Clericorum qualitate pendebit.* Faciant mille Concilia Epiſcopi veſtri, huic vni ſententiæ reſpondeant, &c. *Epiſt.* 166. Similes porrò tulit Valentinianus Imperator, itemque Valens & Gratianus, vt vel inde conſtare poteſt, quod ad Magiſtratus Africanos ſint ſcriptæ, ſicuti exſtant. *l.* 16. *Cod. Theod. tit.* 6.

Accedit œcumenici Concilij Nicæni Canon: cuius auctoritatem ſæpenumerò Auguſtinus contra Donatiſtas allegat: *l.* 2. *de bapt. c.* 4. 9. *&c.* quando ipſi Imperatorum legibus aut ſe, aut Chriſtianos vllos in cauſſa religionis teneri, rotundè negabant. *l.* 1. *cont. Parm. c.* 9.

Facit huc præterea, quod ſic homines, occultâ neſcio quâ inſpiratione Dei, deteſtarentur, ſi quis iterum Baptiſmum accipiat, quem vbicumq; iam accepiſſet; vt iidem ipſi hæretici, cùm inde diſputant, frontem confricent: & propè omnes eorum läici, qui apud eos inueterauerunt, & animoſam pertinaciam aduerſus Catholicam conceperunt, hoc ſolùm illic ſibi diſplicere fateantur: & multi qui propter adipiſcenda aliqua commoda ſæcularia, vel incommoda deuitanda, tranſire ad eos volunt; occultis conatibus ambiant, vt hoc eis quaſi peculiari & domeſtico beneficio præſtetur, ne rebaptizentur: & nonnulli, ceteris eorum vanis erroribus, & falſis criminationibus aduerſus Catholicam Eccleſiam credentes, hoc vno reuocentur, vt eis ſociari nolint, ne rebaptizari cogantur: vt teſtatur ipſe Auguſtinus. *l.* 5. *de bapt. c.* 5.

§. II.

Ob id, pridem Auguſtino refutatus.

HVnc itaque Anabaptiſmum, tantoperè contrarium innatæ omnium Chriſtianorum affectioni, ipſe refellere iam tum occeperat, cùm Presbyter dûtaxat Maximino Epiſcopo Donatiſtæ, qui Diaconum Ortodoxum rebaptizaſſe ferebatur, aiebat: Dolui vehementer, & illius miſerabilem lapſum, & tuum frater inopinatum ſcelus. Noui enim quæ ſit Eccleſia Catholica: gentes ſunt hereditas Chriſti, & poſſeſſio Chriſti termini terræ. Noſtis & vos. Aut ſi non noſtis, aduertite, facillimè à volentibus ſciri poteſt. Rebaptizare igitur hæreticum hominem, qui hæc ſanctitatis ſigna perceperit, quæ Chriſtiana tradidit diſciplina; omninò peccatum eſt: rebaptizare autem Catholicum, immaniſſimum ſcelus eſt. *Epiſt.* 203.

Id probat deinde exemplo hominis Samaritani, qui apud ſuos circumciſus ſemel, conuerſus ad Iudaiſmum, non equidem vice alterâ circumcidebatur. & addit: Quod ſi in carne circumciſi hominis non inuenirem locum, vbi circumciſionem repeterem, quia vnum eſt illud membrum; multò minùs inuenitur locus in vno corde, vbi Baptiſmus Chriſti repetatur. Ideo qui duplicare Baptiſmum vultis; neceſſe eſt omninò, vt corda duplicia requiratis. *eâd. Epiſt.*

Alio tempore Macrobium, Donatiſtarum item Epiſcopum, ſimile ſacrilegium in quodam Subdiacono facere molientem, inſtantiſſimè dehortatus eſt; & ipſorum Donatiſtarum exemplo, qui baptizatos ab illis quos antè damnauerant, non rebaptizarunt; facere haud poſſe oſtendit. *Epiſt.* 265.

§. III.

§. III.

Anabaptiſmum à ſe amouere conatur Petilianus: cui reſpondet Auguſtinus.

QVamobrem & Petilianum etiam, amoliendi huiuſce ſacrilegij ſtudium vehementer antea torſit, vt patet, cùm ait: *Bis Baptiſma nobis obijciunt, qui ſub nomine Baptiſmi animas ſuas reo lauacro polluerunt.* Demonſtrare volens, inquit Auguſtinus, Catholicos baptiſmum non habere: & ideo ſe non repetere, quod iam erat; ſed dare, quod non erat. *l.* 1. *cont. Petil. c.* 1. *l.* 2. *c.* 2. *l.* 3. *c.* 14. Nunc verò, quoniam opinor impietatem hanc nupero Edicto Honorius Imperator compeſcuerat, duxit eam maculam planè diluendam, libro edito: De Vnico Baptiſmo.

Hunc, non niſi verborum ſtrepitu inflatum, & calumnioſis criminibus aſperatum, cùm amicus Auguſtini Conſtantinus, à neſcio quo Donatiſtâ Presbytero acceptum (indicante quod Petilianus Epiſcopus eorum Conſtantinienſis eum ſcripſiſſet) dum ſimul ruri eſſent, protuliſſet; vehementer vt ei reſponderet, rogauit. Factum eſt: Librumque ſuum in quo reſpondit, eumdem titulum habere voluit, hoc eſt, De Vnico Baptiſmo. *l.* 2. *Retract. c.* 34. *l. de vn. bapt. c.* 1. Cuius hæc ſumma eſt (nequicquam æſtuante, atque per varias Scripturas obluctante Petiliano) quòd, cùm Chriſti ſit vnica hominis in Baptiſmo conſecratio, nulla debeat iteratione violari. *l. de vn. Bapt. c.* 2.

Niſi fortè (inquit alioloco Auguſtinus) quemquam prudentium permouebit, quod de Baptiſmo ſolent dicere; Tunc eſſe verum Baptiſmum Chriſti, cùm ab homine iuſto datur. Cùm & hinc teneat orbis terrarum, euidentiſſimam & Euangelicam veritatem vbi Ioannes ait: *Qui me miſit baptizare in aqua, ipſe mihi dixit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem quaſi columbam, & manentem ſuper eum, ipſe eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* Vnde ſecura Eccleſia ſpem non ponit in homine, ſed ſpem ſuam ponit in Chriſto: qui ſic accepit formam ſerui, vt non amitteret formam Dei, de quo dictum eſt, *Ipſe eſt qui baptizat.* Proinde homo quilibet miniſter Baptiſmi eius,

qualemcumque ſarcinam portet, non iſte, ſed ſuper quem columba deſcendit, *ipſe eſt qui baptizat.*

Illos autem (Donatiſtas) vana ſentientes, tanta abſurditas ſequitur, vt, quò ab eâ fugiant, non inueniant. Cùm enim fateantur, ratum & verum eſſe Baptiſmum, quando baptizat apud eos aliquis criminoſus, cuius crimina latent; dicimus eis, Quis tunc baptizat? Nec habent quod reſpondeant, niſi, Deus. Neque enim poſſunt dicere, quod homo adulter quemquam ſanctificet. Quibus reſpondemus: Si ergo cùm baptizat homo iuſtus manifeſtus, ipſe ſanctificat: cùm autem baptizat homo iniquus occultus, tunc non ipſe, ſed Deus ſanctificat; optare debent qui baptizantur, ab occultis malis hominibus potiùs baptizari, quàm à manifeſtis bonis. Multò enim eos meliùs Deus, quàm quilibet homo iuſtus ſanctificat.

Quod ſi abſurdum eſt, vt quiſque baptizandus optet ab occulto adultero potiùs baptizari, quàm à manifeſto caſto; reſtat vtique vt quilibet miniſtrorum hominum acceſſerit, ideo ratus ſit Baptiſmus, quia ſuper quem deſcendit columba, Ipſe eſt qui baptizat. *Epiſt.* 167. Videri etiam poteſt *l.* 2. *cont. Parm. cap.* 11. *l.* 1. *cont. Petil. cap.* 5. 6. *& ſeqq. l.* 3. *cap.* 18. *& ſeqq.*

§. IV.

Liber Auguſtini de Schiſmate Maximianiſtarum.

Librum quoque contra Donatiſtas ſe ſcripſiſſe teſtatur, non breuiſſimum ſicut anteà, ſed grandem, multòque diligentiùs: in quo apparet, quemadmodum eorum aduerſus Eccleſiam Catholicam impium ac ſuperbiſſimum errorem, ſola funditùs Maximianiſtarum cauſſa ſubuertat: quod Schiſma factum eſt ex ipſâ parte Donati, *l.* 2. *Retract. cap.* 35.

Atqui hoc opus prolixum, vt ait; ſicut & alterum eiuſdem argumenti, quod breuiſſimum nuncupat, meminitque *l.* 2. *Retract. cap.* 29. non exſtat hactenus. Ex cauſſa interim Maximianiſtarum (quam refert *l. de Geſt. cum Emer. & Enarr. in Pſ.* 36. *conc.* 2.) acriter in Donatiſtas

natiſtas paſſim inuehitur : puta *l. de vnit. Eccl. c.* 10. *l.* 3. *cont. Creſcon. c.* 12. *l.* 4. *cont. eumdem toto. Epiſt.* 162. 165. 207. 265. 255. *breuic. Collat. die* 3. *cap.* 11. *&c.*

§. V.

Morte Stiliconis, ad libertatem Donatiſtæ aſpirant : ſed fruſtrà.

STilicone interea ſublato (qui Romani Imperij proditor, id Eucherio filio ſuo, tantùm Chriſtianis infeſto quantùm Paganorum ritibus dedito, aſſerere conabatur, operâ Alarici Gothorum regis, qui Vrbem paullò pòſt occupauit; aliorumque Barbarorum, qui per id tempus tranſito Rheno, Gallias deuaſtarunt ad Oceanum & Pirenæos vſque) iactabant falſo rumore Donatiſtæ, atque etiam Pagani, Leges contra ſe latas, nequaquam ex voluntate Honorij Imperatoris extitiſſe : ſed arte dumtaxat Stiliconis fabricatas, cuius perinde morte pariter exſpiraſſent.

Ob hanc cauſſam non diſtulit Auguſtinus ad Olympium litteras dare, virum egregiè Chriſtianum, & Auguſtini in primis cultorem : quem, quia proditionem Stiliconis præcipuè detexerat, Imperator Magiſtrum officiorum recenter crearat. Cùm igitur non potuiſſet, vt ait, perturbatâ grauiter Eccleſiâ, cum profectis collegis ſuis ac penè fugientibus ad Comitatum, vllum communicare conſilium; oblatam tamen occaſionem nactus, & ſalutare & admonere Olympium voluit, vt opus ſuum diligentiſſimâ inſtantiâ acceleret: quò nouerint inimici Eccleſiæ, Leges illas quæ de Idolis confringendis, & hæreticis corrigendis, viuo Stilicone in Africam miſſæ ſunt, ex voluntate Imperatoris piiſſimi & fideliſſimi conſtitutas: quo neſciente vel nolente factum, ſiue doloſè iactabant, ſiue libenter putabant Donatiſtæ, atque hinc animos imperitorum turbulentiſſimos reddebant, & Catholicis periculoſè ac vehementer infeſtos. *Epiſt.* 129.

Iam enim Donatiſtarum furor hucuſque iterum erat progreſſus, vt ſub eo quem dixi prætextu, Seuerus & Macarius occiſi ſint : Euodius, Theaſius, & Victor Epiſcopi, cæſi: nouaque idcirco ad Hono-

rium decreta legatio, obeuntibus Reſtituto & Florentio Epiſcopis.

Verùm quod monuerat Auguſtinus, non fuiſſe inſuper habitum ab Olympio; ſatis conſtat, quando Honorius Imperator extemplò reſcripſit: Quæcumque aduerſus Donatiſtas, alioſque hæreticos atque Gentiles ſtatuta eſſent; id ex ſua ſententia factum, firmum ratumque in omnibus eſſe velle. *l. 43. de hæret. Cod. Theod.* Plura eiuſmodi Baſſo & Philippo Coſſ. data, extant eodem Codice, aliis libris & titulis.

Sed quoniam inter eas leges, *Cælicolarum*, veluti hæreticorum, facta mentio eſt (quorum etiam meminit Auguſtinus, *Epiſt.* 163.) cogitaui nonnumquam vtrùm per eos non fuerint deſignati Rogatiſtæ, Donatiſtarum fruſtum, de maiore, vt ſuprà diximus, fruſto præciſum: non ob aliam fortaſſe cauſſam, quàm quod meliores ſe ceteris, iuſtioreſque exiſtimarent. Huius opinionis radicem referebam ad Auguſtinum, qui de Rogatiſtis agens, inquit, Vos eſtis qui non ex totius orbis communione, ſed ex obſeruatione præceptorum omnium diuinorum atque omnium Sacramentorum, tenetis Catholicam fidem: in quibus eam ſolis inuenturus eſt, cùm venerit Filius hominis, quando non inueniet fidem in terrâ: quia nec terra eſtis, nec in terrâ, ſed CÆLESTES in CÆLO habitatis, &c. *Epiſt.* 48. Etenim & hos Cælicolas rebaptizaſſe, patet ex citatâ antè Epiſtola 163. Sed penes alios eſto huius rei iudicium.

§. VI.

Pelagius interea Romæ ſibilat.

Anno 408. AGebat per id tempus Romæ Pelagius, cumque Celeſtio ſuo Babyloniam fundabat, quam totis poſtea viribus & armis Auguſtinus aggreſſus, funditùs euertit. Erroris ipſius rudimenta planxerat ante pluſculos annos Chryſoſtomus his verbis: De Pelagio Monacho, magno dolore affectus ſum. Cogita igitur quot quantiſque coronis digni ſint, qui forti animo in acie ſteterunt; cùm viros tam piè ac ſanctè, tantaque cum tolerantiâ viuentes, abripi, atque in fraudem impelli videamus; *Epiſt. 4. ad Olympiad.* At verò nunc magnis paſſibus procurrebat in deterius. Abſque hoc errore alioquin

fatebatur

fatebatur Auguſtinus, abſentis, & Romæ conſtituti Pelagij nomen, cum magnâ eius laude ſe cognouiſſe. *l. de Geſt. Pelag. c.* 22. Verumtamen didiciſſe poſtea potuit, non virtutes, ſed earum imagines fuiſſe, quibus tum virus hæreticum tegebatur.

Quò facit quod de Pelagio refert Hieronymus, quidquid ſcilicet aduerſarium ſententiæ Catholicæ Pelagius docuerat, negare poſteà ſolitum. Sed & aliam eiuſdem verſutiam detegit, cùm ait: Sola hæc hæreſis eſt, quæ publicè erubeſcit loqui, quod ſecretò dicere non metuit. Magiſtrorum ſilentia profert rabies diſcipulorum: quod audierunt in cubiculis, in tectis prædicant: vt ſi placuerit auditoribus quod dixerint, referatur ad gloriam Magiſtrorum: ſin diſplicuerit; culpa ſit diſcipuli, non Magiſtri. *Epiſt. ad Cteſiph.* Quapropter ſub alieno nomine veluti argumentationes, aliorumque obiectiones, praua ſua dogmata, in libris à ſe editis Pelagius per id tempus occuluit: quibus diſſoluendis peculiarem librum, puta Tertium de Peccatorum meritis & remiſſione, Auguſtinus poſtea oppoſuit (fraudis tum iſtius ignarus) quando annorum aliquot deinde lapſu, eadem Pelagius pertinaciſſimâ animoſitate defendit. *l. 2. Retract. c.* 33.

Non igitur immeritò Pelagianos, ſicuti nouos ſui temporis hæreticos, ita diſputatores callidos, & arte magis ſubtili quàm nimirum ceteri faciant hæretici, noxia ſcribentes: & vbicumque poterant, publicè & per domos loquentes (contra quos per annos totidem Auguſtinus laborauit, librorum multa condens edenſque volumina, & in Eccleſia populis frequentiſſimè diſputans) perſtringit Poſſidius. *cap.* 12.

Romæ autem Pelagius in contentionibus & diſputationibus diutiſſimè verſatus, occaſionem vndique captare non deſtitit hæreſis propagandæ & propugnandæ. Scripſit ibidem, ſed paullò ante hunc annum, ad ſanctum virum Paullinum Epiſcopum Nolanum Epiſtolam, quam Auguſtinus teſtatur ſe legiſſe, & fermento Pelagiani erroris, vt & cetera eius poſteriora opera, eſſe corruptam. *l. de pecc. Orig. c.* 21. *& l. de Grat. Chriſti c.* 35. Eodem loco dum Epiſcopus quidam, inter ſermocinandum cum Pelagio, citaret Auguſtini verba, è libris Confeſſionum: *Da quod iubes, & iube quod vis*; ipſe ea ferre non potuit, & contradicens aliquantò vehementiùs, penè cum eo, qui ea commemorauerat, litigauit. *l. de dono perſeu. c.* 20.

Sed perperàm atque peruersè. Nam cùm iubet Deus, dicens nobis;

bis; *Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos*: noſque illi dicimus; *Conuerte nos Deus ſanitatum noſtrarum*, &, *Deus virtutum conuerte nos*: quid aliud dicimus, quàm, Da quod iubes? Cùm iubet dicendo, *Intelligite ergo qui inſipientes eſtis in populo*: & nos illi dicimus; *Da mihi intellectum vt diſcam mandata tua*: quid aliud dicimus, quàm, Da quod iubes? Cum iubet dicendo: *Poſt concupiſcentias tuas non eas*: noſque dicimus, *Scimus, quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det*: quid aliud dicimus, quàm Da quod iubes? Cùm iubet dicendo, *Facite iuſtitiam*: noſque dicimus, *Doce me iuſtificationes tuas*: quid aliud dicimus, quàm Da quod iubes? *l. 2. de pecc. mer. & remiſſ. c. 5.*

Edidit Pelagius & alia quædam. ſiue hâc circiter tempeſtate, ſiue poſt eam: de quibus Auguſtinus *lib. de Grat. Chriſti cap. 35.*

CAPVT XI.

AVG. DIVITIARVM CONTEMTOR, ET ERGA PAVPERES BENIGNVS.

§. I.

Cupiditatis etiam ſuſpicionem à ſe remouere ſtudet.

Anno 409. PINIANVS, vir clariſſimus & copioſus, metu inhiantis Romanis opibus Alarici, agris prædiiſque primùm diuenditis, vnà cum Melaniâ ſeniore, & Melaniâ iuniore coniuge, atque ſocru Albinâ hoc anno in Africam aduenit. Hos, ſimul atque appulerant, litteris Auguſtinus peramanter ſalutauit: quibus etiam excuſat, quòd propter ingruentem duram hyemem, & ſtatum Hipponenſis Eccleſiæ titubantem, ad eos inuiſendos (erant autem Tagaſtæ apud Alipium) accurrere minimè potuiſſet. *Epiſt. 227.*

Cùm verò Hipponem deinde ipſi aduenifſent ad inuiſendum Auguſtinum;

guſtinum; occaſione munificentiæ Piniani in Eccleſiam Tagaſtenſem, populus Hipponenſis poſtulabat tantumnon violenter Eccleſiæ ſuæ presbyterum Pinianum ordinari, contra fidem quam ei Auguſtinus promiſſione firmauerat, ſe illum inuitum non ordinaturum. *Epiſt.* 225. Quo etiam facit Epiſtola 124. ad Alipium: qui iuxtà cum Albinâ fuerat nonnihil ſiniſtrè de Auguſtino ſuſpicatus, quaſi illo conſcio Hipponenſes, non clericatûs (vt aiebat Albina) ſed pecuniæ cauſsâ, hominem diuitem & largitorem apud ſe tenere voluiſſent. Cui ſuſpicioni (vtpote hominum de hominibus, licet falſa, non tamen incredibilia ſuſpicantium) ſicuti iraſcendum non putauit, ita eam ſibi duxit neceſſariò diluendam. adeò vt, vnde ſæpe alias in ſimilibus ſolatium petere ſolitus erat, conſcientiæ bonæ teſtimonium hîc ei non ſuffecerit. Nec nobis, inquit, ſufficiat noſtra conſcientia, quia non talis cauſſa eſt vbi debeat ſola ſufficere. Si enim ſerui Dei non reprobi ſimus, ſi aliquid viget in nobis illius igniculi quo charitas non quærit quæ ſua ſunt; Prouidere vtique debemus bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. *Eâdem Epiſt.* 124.

Hinc & aliâ Epiſtolâ ſatis prolixâ ſe apud Albinam purgat, eiuſque ſuſpicionibus temerè conceptis non ſolùm ſeſe (quem tantùm ex obliquo tangebant) ſed etiam populum ſuum Hipponenſem liberare ſatagit. Vbi ſic inter alia: Sicut enim plebs Tagaſtenſis, de his quæ conſuluiſtis Eccleſiæ Tagaſtenſi, non habet niſi gaudium boni operis veſtri: ſic & Hipponenſis, & cuiuſlibet alterius loci, vbi de Mammonâ iniquitatis Domini præcepta feciſtis, vel eſtis vbicumque facturi. Non ergo populus, vt de tanto viro Eccleſiæ conſuleret ſuæ ardentiſſimè flagitans, ſuum pecuniarium quæſiuit commodum à vobis: ſed veſtrum pecuniæ contemtum dilexit in vobis. *Epiſt.* 225. Quod poſtremum probabile reddere conatur exemplo ſuo, quem, cùm ciuis eſſet Tagaſtenſis, Hipponenſes tamen ob eandem cauſſam apud ſe retinendum, atque Epiſcopo quamuis reluctantem præſentandum putarunt: Nam ſi in me, inquit, dilexerunt, quod audierant paucis agellulis paternis contemtis, ad Dei liberam ſeruitutem me fuiſſe conuerſum; quanto flagrantiùs in noſtro Piniano amare potuerunt, tantam mundi cupiditatem, tantas opes, tantam ſpem tantâ conuerſione ſuperatam atque calcatam? &c. *ibid.*

§. II.

Opum affluentiam reijcit.

SAnè ſi volumus fateri quod res eſt, plurimumq́ue ad excellentiam Auguſtini facit; numquam habuit animum vir iſte, opum abundantiæq́ue cupidum: neque eo quidem fine, vt Eccleſiam cui præerat, ditaret. Id euadit manifeſtum inde, quod cùm aliquando ipſe Alipiuſque conſultaſſent, quota pars bonorum adducenda foret ab iis, qui ad religionem ſe conuerterent; Alipius dimidiam ſaltem adducendam exiſtimarit: Auguſtinus verò hac in parte benignior, omninò nullam: ne videretur ſcilicet Eccleſiaſtica cura, nihil aliud quàm pecuniaria fuiſſe. *Epiſt.* 239.

Quapropter Leporium, hominem generis nobilitate opibuſq́ue conſpicuum (vt non immeritò fortaſſe Piniano poſſit comparari) non priùs in domum ſuam Clerumq́ue recepit; quàm erogatis omnibus bonis, inopem prorſus redditum viderit. Quod vt expeditiſſimè fieret, audi quid egerit Auguſtinus. Ego, inquit, illi iniunxi: ego iuſſi: vt nimirum Monaſterium, vnaq́ue Xenodochium erigeret. Obtemperauit mihi libentiſſimè, &, ſicut videtis, operatus eſt. Quomodo etiam meo iuſſu, Baſilicam ad octo Martyres fabricauit, de his quæ per vos Deus donauit. Cœpit enim de pecunia, quæ data erat Eccleſiæ propter Xenodochium: & cùm cœpiſſet ædificare, vt ſunt religioſi deſiderantes opera ſua in cælo ſcribi, adiuuerunt prout quiſque vòluit, & fabricauit. *ſerm.* 50. *de diuerſ.*

Hunc Leporium eſſe alium ab eo, qui fuerat aliquando conuerſus ab hæreſi Pelagiana, Gallus origine, vt infrà dicemus, alij affirmant, vt *Baronius*: negant alij, vt *Biuarius*.

§. III.

§. III.

Non heredipeta.

ISthuc facit etiam, quòd, cùm Ianuarius Presbyter, & inter Domeſticos Clericos vitam communem profeſſus, iam morti propinquus facto per nefas teſtamento, filiam filiumque, illam cum laude, iſtum cum elogio, id eſt cum vituperatione exheredaſſet, inſtitutâ Eccleſiâ herede; planè recuſauerit Auguſtinus hereditatem adire: tametſi nonnulli eius in hac re conſtantiam damnarent. Dicebant enim: *Ecce quare nemo donat Eccleſiæ Hipponenſi aliquid: ecce quare non eam faciunt, qui moriuntur heredem: Quia Epiſcopus Auguſtinus de bonitate ſua (laudando enim mordent; labiis mulcent, dentem figunt) donat totum, non ſuſcipit.*

Sed reſpondet: Planè ſuſcipio, profiteor me ſuſcipere oblationes, oblationes ſanctas. Si quis autem iraſcitur filio ſuo, & moriens exheredat eum; ſi viueret, non eum placarem? non ei filium ſuum reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio ſuo volo vt habeat pacem, cuius appeto hereditatem? Sed planè, ſi faciat, quod ſæpe hortatus ſum. Vnum filium habet? putet Chriſtum alterum. Duos habet? putet Chriſtum tertium. Decem habet? Chriſtum vndecimum faciat, & ſuſcipio.

Quia ergo feci hoc; in quibuſdam rebus iam volunt bonitatem meam, vel commendationem famæ meæ in aliud vertere, vt alio modo me reprehendant, quia oblationes deuotorum hominum nolo ſuſcipere. Conſiderent quàm multa ſuſceperim. Quid opus eſt ea numerare? Ecce vnum dico. Filij Iuniani hereditatem ſuſcepi. Quare? Quia ſine filiis defunctus eſt. Bonifacij hereditatem ſuſcipere nolui, non miſericordiâ, ſed timore, &c. In ſumma, Nemo ibi me laudet, inquit, ſed nemo etiam vituperet. Planè quando donaui filio quod iratus pater abſtulit, bene feci. Laudent qui volunt, parcant qui laudare nolunt. Quid plura fratres mei? Quicumque vult exheredato filio, heredem facere Eccleſiam; quærat alterum qui ſuſcipiat, non Auguſtinum: imò Deo propitio, neminem inueniat.

Quàm laudabile factum ſancti & venerandi Epiſcopi Aurelij Car-

thaginenſis, quomodo impleuit eos omnes qui ſciunt laudibus Dei? Quidam enim cùm filios non haberet, neque ſperaret; res ſuas omnes, retento ſibi vſufructu, donauit Eccleſiæ. Nati ſunt illi filij, & reddidit Epiſcopus nec opinanti, quæ ille douauerat. In poteſtate habebat Epiſcopus non reddere: ſed iure fori, non iure poli. *ſerm.49. de diuerſ. c. 2. 3. & 4.*

Nam cùm de Eccleſia ſiue dotanda ſiue ditanda hîc ageretur, non tuendâ; maiorem exiſtimauit Aurelius Liberorum, quàm Eccleſiæ fauorem eſſe. Neque enim exiſtimo, reſcriptum Conſtantini & Conſtantij ad Orphitum, quo ſuſceptis liberis reuocari Donationes aiunt; ad eas extendi, quæ factæ ſunt Eccleſiis.

§. IV.

Neque donationum auarus apprehenſor.

EOdem accedit quod totidem verbis Poſſidius narrat, poſtquam confusè præteritam hiſtoriam attigiſſet:

Quidam ex honoratis Hipponenſium, apud Carthaginem viuens, Eccleſiæ Hipponenſi poſſeſſionem donare voluit: & confectas tabulas, ſibi vſufructu retento, vltrò miſit Auguſtino. Cuius ille oblationem libenter accepit: congratulans ei, quòd æternæ ſuæ memor eſſet ſalutis.

Verùm poſt aliquot annos, nobis cum eodem Auguſtino conſtitutis, ecce ille donator litteras per filium ſuum mittens, rogauit vt illæ donationum tabulæ filio ſuo redderentur: pauperibus verò erogandos direxit ſolidos centum. Quo ille ſanctus cognito, ingemuit hominem vel finxiſſe donationem; vel eum de bono opere pœnituiſſe: & quanta potuit Deo ſuggerente cordi eius, condolente animo ex eadem refragatione dixit, in illius ſcilicet increpationem & correctionem.

Et tabulas quas ille ſponte miſerat, nec deſideratas, nec exactas, confeſtim reddidit: pecuniamque illam reſpuit: atque reſcriptis eumdem ſicut oportuit & arguit, & corripuit: admonens vt de ſua ſimulatione vel iniquitate, cum pœnitentiæ humilitate Deo ſatisfaceret,

ceret, ne cum tam graui delicto de ſæculo exiret.

Frequentiùs verò dicebat, magis ſecurè ac tutò Eccleſiam Legata à defunctis dimiſſa debere ſuſcipere, quàm hereditates fortè ſollicitas & damnoſas: ipſaque Legata, magis offerenda eſſe, quàm exigenda. *Poſſid. cap.* 24.

§. V.

Auguſtini obuia benignitas.

IAm & aliud eſt Chriſtianæ benignitatis ipſius luculentum exemplum. Lex erat Theodoſij Imperatoris, lata Arcadio Auguſto II. & Ruffino Coſſ. Conſtantinopoli xv. Kalend. Nouemb. quâ debitores publicos, ſi ad Eccleſias confugerint, illicò extrahi decernit: aut pro his ipſos, qui eos occultare probantur, Epiſcopos exigi.

Fastivs quidam, cùm debito decem & ſeptem ſolidorum ab oppignoratoribus vrgeretur vt redderet; quòd ad præſens, vnde explicaret ſe non inueniebat, ne corporalem pateretur iniuriam, ad auxilium ſanctæ Eccleſiæ conuolauit. Eum ſecuti exactores cùm proficiſci cogerentur, & ideo dilationem dare non poſſent; grauiſſimis Auguſtinum querelis onerauerunt, poſtulantes aut ſibi Faſtium tradi, aut prouideri vnde acciperent quod debebatur.

Collectam pro ſe in populo fieri Faſtius nolebat. Quapropter Auguſtinus à Macedonio quodam mutuò ſumſit, quantum Faſtius debebat, decem & ſeptem ſolidos. Quos & in cauſſam eius continuò dedit: promittente illo quod ad certum diem cum eis reddendis occurreret: & conſentiente, vt ſi non faceret, commendari ſe populi liberalitati pateretur.

Non fecit. Atque ideo Auguſtinus ne pollicitationi ſuæ deeſſet de repræſentandis totidem ſolidis Macedonio, quia iam dies ad quem promiſerat ſe occurſurum, erat tranſactus: quoniam die Pentecoſtes non meminerat inde facere ſermonem, abſens nunc litteras ad plebem ſuam Hipponenſem, & Eccleſiæ miniſtros ſcripſit, quibus petit vt pro ſupplendâ neceſſitate Chriſtiani & Catholici fratris, faciant quod Dominus imperat, ſine triſtitiâ & murmuratione, cum

lætitiâ

lætitiâ & hilaritate. Nam & Presbyteris ſignificaſſe ſe ait, vt ſi quid minus fuerit poſt collationem plebis; compleant ex eo quod habet Eccleſia: dum tamen ipſe populus, ſecundum quod placet, hilariter offerat. Quia ſiue de veſtro, inquit, ſiue de Eccleſiâ detur, omnia Dei ſunt: & deuotio veſtra dulcior erit theſauris Eccleſiæ, ſicut Apoſtolus dicit: Non quia quæro datum, ſed requiro fructum. *Epiſt.* 215.

§. VI.

Clericalium poſſeſſionum curam aliis relegat. Eiuſdem ſecuritas in fide alterius.

CVras porrò temporales non minùs ſpreuit, quàm res ipſas. Hinc Poſſidius: Domûs, inquit Eccleſiæ curam omnemque ſubſtantiam, ad vices valentioribus Clericis delegabat, & credebat: numquam clauem, numquam annulum in manu habens: ſed ab eiſdem domûs præpoſitis cuncta & accepta & erogata notabantur. Quæ anno completo, eidem recitabantur: quò ſciretur quantum acceptum, quantumque diſpenſatum fuiſſet, vel quidquid indiſpenſatum, vel diſpenſandum remanſiſſet: & in multis titulis, magis illius præpoſiti domûs fidem ſequens, quàm probatum manifeſtumque cognoſcens.

Domum verò, vel agrum ſeu villam numquam emere voluit. Verùm ſi fortè Eccleſiæ, à quoquam ſponte tale aliquid vel donaretur, vel titulo Legati dimitteretur, non reſpuebat, ſed ſuſcipiebat. *Poßid. c.* 24.

Et dum Clericis fortè, vt aſſolet, de poſſeſſionibus ipſis inuidia fieret; alloquebatur plebem Dei: Malle ſe ex collationibus plebis Dei viuere; quàm illarum poſſeſſionum curam vel gubernationem pati: & paratum ſe eſſe illis cedere, vt eo modo omnes Dei ſerui & miniſtri viuerent, quo in veteri Teſtamento leguntur Altari deſeruientes de eodem participare. Sed numquam id laïci ſuſcipere voluerunt. *Poſſid. c.* 23.

In iis quoque quæ Eccleſia habebat & poſſidebat; intentus amore, vel implicatus cupiditate non erat: ſed maioribus, magiſque ſpiritualibus

libus ſuſpenſus & inhærens rebus, vix aliquando ſeipſum ad iſta temporalia, ab æternorum cogitatione, relaxabat & deponebat, &c.

Nam fabricarum nouarum, numquam ſtudium habuit, deuitans in eis implicationem animi ſui, quem ſemper liberum habere volebat ab omni moleſtiâ temporali. Non tamen illa volentes & ædificantes prohibebat, niſi tantùm immoderatos. *Poſſid. c.* 24.

§. VII.

Erga pauperes beneficus.

PAuperum ſemper memor erat, eiſque inde erogabat, vnde & ſibi ſuiſque omnibus ſecum habitantibus erogabatur: hoc eſt vel ex reditibus poſſeſſionum Eccleſiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. *Poßid. c.*23. Vox eius erat: Non eſt Epiſcopi ſeruare aurum, & reuocare à ſe mendicantis manum. Quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt, tam multi nos inopes interpellant, vt plures triſtes relinquamus, quia quod poſſimus dare omnibus, non habemus. *ſerm.* 49. *de diuerſ. c.* 4.

Interea dum Eccleſiæ pecunia deficeret, hoc ipſum populo Chriſtiano denuntiabat, non ſe habere quod indigentibus erogaret. Nam & de vaſis Dominicis propter captiuos, & quamplurimos indigentes frangi, & conflari iubebat, & indigentibus diſpenſari. Et hoc ipſum etiam venerabilis memoriæ Ambroſius, in talibus neceſſitatibus indubitanter eſſe faciendum & dixit & ſcripſit, hâc vtique ſententiâ: Aurum Eccleſia habet, non vt ſeruet, ſed vt eroget.

Sed & de neglecto à fidelibus gazophylacio & ſecretario, vnde Altari neceſſaria inferuntur, aliquando in Eccleſia loquens, admonebat: quod etiam beatiſſimum Ambroſium ſe præſente in Eccleſia tractaſſe, nobis aliquando retulerat. *Poſſid. c.* 24.

Denique quod huic tū potiſſimùm tempori, quo interitus Romani timebatur Imperij, admodum congruebat: Hipponenſes ſuos, quos abſens acceperat in eleëmoſynarum erogatione refrixiſſe, Epiſtolâ ſcriptâ redarguit. Nuntiatum eſt, ait, mihi, quod morem veſtrum de veſtiendis pauperibus, fueritis obliti. Ad quam miſericordiam cùm

præſens

præſens eſſem vos exhortatus ſum, & nunc exhortor, ne vos vincat & pigros faciat contritio huius mundi, cui talia videtis accidere, qualia Dominus & redemtor noſter, qui mentiri non poteſt, ventura prædixit.

Non ſolùm ergò non debetis minùs facere opera miſericordiæ, ſed etiam debetis ampliùs quàm ſoletis. Sicut enim ad loca munitiora feſtinantiùs migrant, qui ruinam domûs vident contritis parietibus imminere: ſic corda Chriſtiana, quantò magis ſentiunt mundi huius ruinam, crebeſcentibus tribulationibus, propinquare; tantò magis debent bona, quæ in terrâ recondere diſponebant, in theſaurum cæleſtem impigrâ celeritate transferre: vt ſi aliquis humanus caſus acciderit, gaudeat qui de loco ruinoſo emigrauit: ſi autem nihil tale fuerit ſubſecutum, non contriſtetur, qui quandoque moriturus immortali Domino, ad quem venturus eſt, bona propria commendauit, &c. *Epiſt.* 138.

CAPVT XII.

COLLATIO CARTHAGINENSIS CVM DONATISTIS.

§. I.

Furor Donatiſtarum reſtibilis.

Anno 410. HOc tempore circiter cùm Victorianus presbyter cladem calamitateſque per litteras nuntiaſſet, quibus paſſim & vbique Barbari per Europam, è Galliis in Hiſpanias tranſlati, ſolitâ feritate deſolantes omnia, graſſabantur: petiſſetque prolixo aliquo opere ad ſuas litteras ab Auguſtino reſponderi; accepit in primis reſponſum, Talibus malis prolixos magis gemitus & fletus, quàm prolixos libros deberi. Totus quippe mundus, inquit, tantis affligitur cladibus, vt penè nulla pars terrarum ſit, vbi non talia, qualia ſcripſiſti, committantur atque plangantur. Verum-

Verumtamen,vt longiùs non exeat,breuiter ſtrictimque enumeratis quæ per Barbaros Ægyptus, Italia, Galliæ & Hiſpaniæ paſſæ ſunt; Ecce,inquit,in regione noſtrâ Hipponenſi (quoniam eam Barbari non attigerunt) Clericorum Donatiſtarum & Circumcellionum latrocinia ſic vaſtant Eccleſias, vt Barbarorum fortaſſe facta mitiora ſint. Quis enim Barbarus excogitare potuit quod iſti, vt in oculos Clericorum noſtrorum calcem & acetum mitterent: quorum membra etiam cetera plagis horrendis vulneribusque ſauciarunt?

Deprædantur etiam domos aliquas & incendunt: fructus aridos diripiunt, humidos fundunt:& talia ceteris comminando,multos etiam rebaptizari compellunt. Pridie quàm iſta ad te dictarem, ex vno loco per eiuſmodi terrores, quadraginta & octo animæ mihi rebaptizatæ nuntiatæ ſunt. *Epiſt.* 122.

§. 11.

Romanæ vrbis excidium per Alaricum.

ET hæc quidem, ſi calculum ponimus, eo anno gerebantur, quo Romam nono Kalend. Septembris, vt propiùs vero eſt, Gothi occuparunt, puta CCCC. X. Varane V.C.Coſ. de qua clade ænigmaticôs, Hieronymus Auguſtino ſcribebat: Capta Hieruſalem tenetur à Nabuchodonozor, nec Ieremiæ vult audire cõſilia:quin potiùs Ægyptum deſiderat vt moriatur in Taphnes, & ibi ſeruitute pereat ſempiternâ. *Epiſt.*26. Quo loco Hieronymus,per Ieremiam intelligit Innocentium Papam, qui tum Petri Cathedram ſanctiſſimus inſidebat.

Exſtat etiam Auguſtini Tractatus, De Excidio vrbis *Tomo IX.* vbi contra aduerſitates plurium hodie Regnorum & Prouinciarum præſens remedium propinat, dum ad extremum ait: Vnam tribulam ſentit area, vt ſtipula concidatur, granum mundetur: vnum ignem patitur fornax aurificis, vt palea in cinerem pergat, aurum ſordibus careat. Sic & vnam tribulationem Roma pertulit, in quâ vel emendatus liberatus eſt pius, impius autem damnatus eſt: ſiue ab hac vita raptus ſit, vbi magis pœnas iuſtiſſimas lueret; ſiue hîc remanſerit, vt

damnabiliùs blaſphemaret; *Tract. de excid. vrb. cap.* 8.

Nam & infideles etiam, ſi quid rectè ſaperent, deberent illa quæ ab hoſtibus aſpera & dura perpetiuntur, illi diuinæ Prouidentiæ tribuere: quæ ſolet corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere; itemque vitam mortalium iuſtam atque laudabilem talibus afflictionibus exercere: probatamque vel in meliora transferre, vel in his adhuc terris propter vſus alios detinere. *l. 1. de Ciuit. Dei c.* 1.

Quæ cùm ita ſint, quicumque boni malique pariter afflicti ſunt, non ideo ipſi diſtincti non ſunt, quia diſtinctum non eſt quod vtrique perpeſſi ſunt: manet enim diſſimilitudo paſſorum, etiam in ſimilitudine paſſionum: &, licet ſub eodem tormento, non eſt idem virtus & vitium. Nam ſicut ſub vno igne aurum rutilat, palea fumat; & ſub eâdem tribulâ ſtipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: ita vna eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vaſtat, exterminat. Vnde in eâdem afflictione, mali Deum deteſtantur atque blaſphemant: boni autem precantur & laudant. Tantùm intereſt non qualia, ſed qualis quiſque patiatur. Nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & ſuauiter fragrat vnguentum. *eod. l. cap.* 8.

Exſtat alius Sermo inſignis, cùm allato in Africam cladis nuntio, Roma funditùs euerſa periiſſe diceretur, inter nouiſſimè editos à Sirmondo 33.

§. III.

Hanc ob rem leges in Africâ laxatæ. Legatio Catholicorum ad Honorium.

CEterùm obſeſsâ adhuc Vrbe, Priſcus Attalus, quem Imperatorem Barbari deſignari fecerant, totus in eo erat, vt Africam in primis ſubigeret, vnde omnis frumenti copia in Italiam aduentabat. Sed cùm omnes Attali conatus, Heracliani Africæ Comitis robur & induſtria anteuertiſſet; idem ipſe Heraclianus effecerat apud Honorium, vt tantiſper quoad rerum confuſio duraret, leges aduerſus Donatiſtas latæ ſilerent.

Quam-

Quamobrem furere illi iterùm & ſæuire, ſicut videre eſt *Epiſt.68.§. Ecce interim*: donec Attalo exauctorato (in quo nimirum Imperatore facto,infecto,refecto ac defecto, vt Oroſius loquitur, citiùs his omnibus actis penè quàm dictis, Alaricus mimum riſit, & ludum ſpectauit Imperij) Epiſcopi Africani, quòd viderent poſtremum Honorij reſcriptum Catholicorum rebus graue detrimentum inferre, habitâ Carthagine Synodo, decimoſeptimo Kalend. Iulij, Legationem ad Honorium rurſus decreuerunt. Hâc non tantùm abolitum eſt edictum,cuius iam meminimus; ſed ratio inita, Legatis poſcentibus, penitùs exſtirpandi Donatiſtas, & remedio indicendæ Collationis publicæ per Imperialia iuſſa: quam toties rogati Donatiſtæ,ſemper obſtinatè defugerant; auctore Primiano iactitantes, indignum eſſe vt in vnum conueniant filij Martyrum & progenies Traditorum. *Collat. 3.cap. 4.*

Profecti ſunt ad Honorium Epiſcopi quatuor: Florentius, Poſſidius,Præſidius,& Benenatus: aut vt alij volunt tres;Florentius,Poſſidius & Melanthius. Quibus,tametſi in mediis fluctuantis Imperij vndis eâ tempeſtate verſaretur, tam commodam nihilominus Imperator mentis auriumque operam præſtitit, atque ſi ſolùm id agere videretur. Imitatus hac in parte Theodoſium patrem, quem aiebat Ambroſius magis de Eccleſiæ, quàm animæ ſuæ ſalute ſollicitum fuiſſe.

Virorum igitur bonorum ſecutus conſilium Honorius exiſtimauit Altare contra Altare erigi continenter in Africâ, maiorem Eccleſiæ deformitatem eſſe,quàm tum erat in Vrbis euerſione atque vaſtitate. Vt non fruſtrà videatur Deus tam piis Honorij conſiliis fauiſſe: quando triduo tantùm verſatus in Vrbe victâ Alaricus, non aliter porrò exceſſit, atque ſi fugam & exitium maturaſſet.

Et Româ quidem in Campaniam profectus cùm Nolam inuaſiſſet, Paullinum Epiſcopum vinculis onerauit. de quo Auguſtinus: Paullinus, inquit, noſter, Nolanus Epiſcopus, quando ipſam Nolam Barbari vaſtauerunt, cùm ab iis teneretur, ſic in corde ſuo,vt ab eo poſtea cognouimus, precabatur: Domine, non excrucier propter aurum & argentum: vbi enim ſint omnia mea, tu ſcis. *l.1.de Ciuit.Dei cap.20.*

Inde per vniuerſam Campaniam circumducens populabundum exercitum Alaricus, paullò pòſt apud Coſentiam ciuitatem morbo correptus interiit. Sepultus autem eſt à ſuis in medio Baſentij amnis alueo, quem captiuorum operâ tantiſper deriuauerant: ne quis

 ſcilicet,

ſcilicet, amne poſteà ad ſolitum alueum reducto, locum ſepulturæ eius ſcire poſſet. Planè vt olim Decebalus Dacorum rex: qui à Traiano ſubactus manus ſibi attulit, poſtquam antea theſauros omnes ſuos in Sargetiâ flumine, captiuorum etiam operâ auerſo, ſed fruſtrà, abdidiſſet.

§. IV.

Collationem Honorius indicit. Ab eâ reiecti Maximianiſtæ.

IGitur Honorius, pridie Idus Octobris anno captæ Vrbis, in annum ſequentem, Collationem Carthagine indixit inter Catholicos & Donatiſtas: cui Flauium Marcellinum V. C. Tribunum & Notarium, Cognitorem præfecit. *Poſſid. cap.* 13. Id per Auguſtinum (qui adhuc aliquid opinionis ſuæ priſtinæ, Hæreticos videlicet diſputatione vincendos eſſe, &c. retinuerat) conſentientibus tamen Epiſcopis & pariter ſatagentibus, cœptum & perfectum eſſe, diſertè tradit Poſſidius, *ibidem*.

Cur autem ſic agendi conſilium ſuggeſſerit, ſecutuſque ſit Auguſtinus, ſatis ipſe declarat his verbis: Illorum enim furor (Donatiſtarum) occupauerat Africam totam: nec prædicari à Catholicis veritatem contra ſuum patiebantur errorem: violentis aggreſſionibus, latrocinationibus, itinerum obſidionibus, rapinis, ignibus, cædibus multa vaſtantes, cuncta terrentes. Cum quibus apud Epiſcopos, quos communes non habebamus, nihil agere poteramus: quod verò ante centum fermè annos maiores noſtri cum eis egerant, iam populorum memoria non tenebat. Hæc igitur neceſſitas compulit, vt ſaltem geſtis noſtrâ Collatione confectis, eorum contunderemus inuerecundiam, & reprimeremus audaciam. *l.* 3. *cont. Iul. cap.* 1. Cum quibus profectò conueniunt, quæ ſuperiùs ad Victorianum ab Auguſtino ſcripta retulimus.

Verumtamen ſicut diligentiâ ſummâ procuratum eſt, vt Donatiſtæ, tametſi inuiti, ad Collationem adducerentur; ita dum eandẽ Maximianiſtæ peroptabant, à Catholicis repulſi ſunt. Etenim de his, dum illis

illis Pelagianos comparat, Auguſtinus agens: Similes,inquit,eſtis potiùs Maximianiſtis: qui cupientes exiguitatem ſuam nomine ſaltem certaminis conſolari; & ideo videri aliquid apud eos quibus contemtibiles erant, quia nobiſcum inire ſinerentur examen: interpellantes eos, & libellum dantes, prouocantesque contemſimus. Magis enim de certamine nominari deſiderabant, quàm formidabant in certamine ſuperari. Nec ſperabant victoriæ gloriam; ſed famam requirebant Collationis,quia multitudinis non habebant. *l.3.cont.Iul.cap.* I.

§. V.

Marcellinus Collationis Cognitor: eiuſq́; edictum.

MArcellinus itaque cauſſæ Cognitor & iudex, qui iam antè in Africa agebat, viſo Imperatoris reſcripto, Actuarios in hoc deputatos ad ſingulas Africæ Prouincias deſtinauit, vniuerſis Epiſcopis Cæſaris voluntatem intimaturos. Anno 411.

Edidit prætereà aliud ipſe Edictum, cuius tenore cunctos per Africam, tam Catholicæ, quàm partis Donatianæ Epiſcopos commonuit: vt intra tempus Lege præſcriptum,id eſt intra quatuor menſes (qui dies intra diem Kalendarum Iuniarum ſine dubio concluditur, inquit) ad ciuitatem ſplendidam Carthaginenſem, Concilij faciendi gratiâ, conuenire non differant: Ne eam partem de merito propriæ fidei appareat iudicaſſe, quàm defuiſſe conſtiterit. *Geſt.1. Cognit. cap.* 5.

In eodem Edicto Marcellinus, Baſilicas, ſine iuſſione Imperatoris, reddidit Donatiſtis qui ſe venturos pollicerentur: vt hoc modo eos ad conferendum etiam beneficiis inuitaret. Denique eis obtulit, vt quem vellent alium cum illo iudicem conſtituerent: iurauitque per myſterium Trinitatis, per Incarnationis Dominicæ Sacramentum, nihil ſe aliud iudicaturum, niſi quod allegationes partium & veri fides inuenerit. *ibid.& Coll.1.cap.*5. Datum eſt hoc Edictum, poſt Conſulatum Varanis: Anno Chriſti CCCC. XI. Ætatis Auguſtini quinquageſimo ſeptimo.

§. *VI.*

Conueniunt Donatiſtæ & Catholici Epiſcopi.

HIs ita habentibus, Donatiſtarum Epiſcopi ſic à Primate ſuo per Tractatorias à Marcellino conceſſas euocati ſunt, iuſſique prætermiſſis omnibus properare Carthaginem; vt ſcirent ſe decepiſſe quod haberent optimum in cauſsâ, quicumque venire noluiſſent. *l. poſt Collat. cap.* 24.

Congregantur igitur ex vniuerſa Africa tot Epiſcopi Donatiſtæ: ingrediunturque Carthaginem cum tantâ ſpecioſi agminis pompâ, vt tam magnæ Ciuitatis oculos in ſe, intentionemque conuerterent. *eod. l. cap.* 25. Id contigit decimo quinto Kalendas Iunias, vt ipſimet in Notoria ſua faſſi ſunt: *geſt. Cognit.* 1. *cap.* 14. vbi etiam affirmabant vſque adeo ſe omnes veniſſe Carthaginem, vt (eis ſolis exceptis, quos vel in propriis ſedibus, vel in itinere tenuit corporis ægritudo) nec grauiſſimos ſenes annoſitas, nec labor prolixi itineris potuerit impedire, *ibid. & l. poſt Collat. cap.* 24.

Conuenerunt etiam Catholici, plures vtique Donatiſtis: tametſi ad euitandam oſtentationem non ſimul omnes, ſed ſeorſum, prout quiſque poterat, vrbem ingreſſi ſint. *Coll.* 1. *cap.* 11. Quam ab cauſſam pauciores adeſſe rati Donatiſtæ; non priùs ſciuerunt quod res erat, quàm Catholicorum numerum conſtare, ſuum quem perhibuerant, erraſſe conſpexerunt.

§. *VII.*

Collationis Locus & Leges.

AMbabus partibus Carthagine præſentibus, cùm declaraſſent coràm Donatiſtæ, interrogante Marcellino, non decere eos Cognitorem eligere alterum, qui non petiuerant primum: alio Edicto Marcel-

Marcellinus, quod & ipſe Imperator Honorius decreuerat, ſtatuit, monuitque vtriuſque partis Epiſcopos, Non ampliùs quàm ſeptenos hinc & inde, qui communi omnium ſuffragio nominarentur, mutuæ inter ſe diſceptationis habituros eſſe colloquium: totidem prætereа qui conſilio, ſi opus eſſet, adhiberentur: & quaternos alios, qui geſtis cuſtodiendis & conſcribendis præeſſent: in vniuerſum triginta ſex. Id fiebat eo fine, vt quietè & tranquillè omnia, ac ſine turbis & ſtrepitu peragerentur, ob quod etiam omnem populi conuentum arcuerat: eâque lege, vt reliqui vtriuſque partis Epiſcopi ſignatis ad ſe litteris promitterent, ratum habituros, quidquid à ſeptenis fuiſſet actitatum.

Locum etiam futuræ Collationi Thermas Gargilianas deſtinauit: quod Franc. Balduinus ait, videri fuiſſe nobile aliquod Carthagine auditorium. *geſt. Cognit. 1. cap. 10. Epiſt. 152.* Exſtat l. 2. Veterum Epigramm. quæ Pithæus collegit, Epigramma de Thermis Gargilianis, à Thraſamundo Rege renouatis, vti primæ poſtremæque verſuum litteræ indicant, THRASAMVNDVS VOTA SERENANS.

Inſtante nunc igitur Collatione, aiebat pro concione Auguſtinus: Ad Collationis locum nullus veſtrûm irruat, fratres mei. Prorſus ſi fieri poteſt, etiam per illum locum tranſitum deuitate, ne fortè aliquis contentionis & litis aditus inueniatur, vel occaſio præbeatur, & inueniant ipſam occaſionem, qui quærunt occaſionem. Maximè quoniam qui parum Deum timent, aut admonitionem noſtram paruipendunt, vel quia præſentia diligunt, debent ſaltem terrenæ poteſtatis ſeueritatem venerari. Edictum viri illuſtris publicè propoſitum legiſtis: quod quidem non propter vos propoſitum eſt, qui Deum timetis & commonitionem Epiſcoporum veſtrorum non contemnitis; ſed ne quis iſta non curet, ne quis iſta contemnat. *ſerm. 36. inter nouiſſ.* Ita nimirùm Catholici Epiſcopi Cognitori obtemperabant, qui moneri plebes iuſſerat per ſingulas Eccleſias, vt à die diſputationis ac loco omnis ſe multitudo contineret.

Ceterùm cùm partis Donati Epiſcopi exigerent proponi ſibi ab aduerſariis, quâ de cauſſa fuiſſent congregati; Cognitor diſtulit: vt ex ordine prius omnia recitarentur, quæ ante diem Collationis acta fuerant. Et recitata eſt Notoria Donatiſtarum, in qua dixerunt, Non ſibi placere, vt hi ſoli ex Epiſcopis conuenirent ad Collationis locum, quos ad ipſam cauſſam peragendam reliqui delegiſſent: ſed petiuerunt ſe omnes potiùs qui venerant adeſſe debere, vt eorum numerus appareret

reret: dicentes, quod eos aduerſarij paucos eſſe mentiti ſint. *Coll.1.cap.* 4. Verùm abſque confuſione fieri iſtud haud poterat. Nam cùm patientia diſputandi, quæ ſoli amica ſilentio eſt, omnem cateruatim agminis ſtrepitum perhorreſcat; nihil intereſt vtrùm eam congeſtio populorum, an Epiſcoporum turba præpediat: dixerat Marcellinus in Edicto ſuo. *geſt. Col.* 1. *cap.* 10.

Sed vti Donatiſtæ admirabiles erant pragmatici, magiſque verſipelles & verſuti calumniatores, quàm vlli vnquam fuerint in ſuo foro cauſſidici: qui videbantur eo dumtaxat fine Carthaginem veniſſe, vt redirent: ita quoque erant gladiatores magis ſanguinarij, quàm vlli in caſtris educati milites, qui manu potiùs quàm verbo pugnare voluiſſent. Et verò ni Marcellinus aliquis cum ſuâ apparitione adfuiſſet, periculum erat ne Collationem efficerent, qualis poſt mortem Auguſtini fuit Epheſina illa Synodus, quæ λῃστρικὴ appellata eſt. Certè non dubitaſſent Auguſtinum tractare, vt in ea Synodo Flauianum tractarunt Neſtoriani.

Credo propter has cauſſas, Honorium voluiſſe vt Marcellinus cum armata apparitione adeſſet huic Collationi: alioquin ſanè voluiſſet Auguſtinus tale præſidium abeſſe. Nam cùm Donatiſtas prouocat alio tempore: Ceſſabit, inquit, à noſtris partibus timor temporalium poteſtatum: ceſſet etiam à veſtris partibus terror congregatorum Circumcellionum. *Epiſt.* 203. Prouocanſque iam antea Criſpinum Donatiſtam: Mapalienſes, inquit, ambos nos audiant, ita vt ſcribantur quæ dicemus: & à nobis ſcripta, eis Punicè interpretentur; &, remoto timore Dominationis, eligant quod voluerint. *Epiſt.* 173.

§. VIII.

Catholicorum admiranda moderatio.

REcitatâ, vt diximus, Donatiſtarum Notoriâ, recitatæ ſunt litteræ Catholicorum quas Cognitori reſcripſerant ſicuti Edicto commonuerat: quibus inſinuant conſentire ſe ad omnia, quæ illo Edicto fuerant ordinata. In eiſdem litteris etiam ſe obſtrinxerunt & polliciti ſunt, quòd ſi in parte Donati veritas eis demonſtraretur Eccleſiæ;

cleſiæ; non ſe illic Epiſcopalem honorem quæſituros, ſed conſilium eorum ſecuturos pro ſalute Chriſtianâ: ſi autem in ſua communione potiùs veritas oſtenderetur Eccleſiæ; honores Epiſcopales eis non ſe negaturos: & hoc à ſe fieri bono pacis, vt intelligerent hi quibus hoc præſtaretur, quòd in eis Catholici non Chriſtianam conſecrationem, ſed humanum deteſtarentur errorem. Quòd ſi plebes, duos in vna Eccleſia Epiſcopos ferre non poſſent; vtriſque de medio recedentibus, ſinguli conſtituerentur Epiſcopi, ab eis Epiſcopis ordinandi qui in ſuis plebibus ſinguli inuenirentur. *Col.1 .cap.5.* Exſtant hæ litteræ in Actis Collationis *c.10. & l.de Geſt.cum Emer.*

Porrò non modò obtulerunt Catholici Donatiſtis conditionem, quam iam dixi; ſed etiam liberaliter addiderunt alteram, quam Auguſtinus ibidem refert, vnaque memorabile aliquid contigiſſe, quando de ea proponenda Catholici inter ſe deliberabant. Cùm ante ipſam Collationem, inquit, inter nos aliqui fratres de hac re colloqueremur, Quia pro pace Chriſti Epiſcopi debent eſſe, aut debent non eſſe; quod vobis fatendum eſt: circumſpicientes omnes fratres coëpiſcopos noſtros, non facilè nobis occurrebant, qui hoc vellent ſuſcipere, & de hac humilitate Domino ſacrificare. Dicebamus, vt fieri ſolet, Ille poteſt, ille non poteſt: ille conſentit hoc, ille non tolerat: loquentes magis pro ſuſpicionibus noſtris, qui corda illorum minimè videre poteramus.

Quando autem ventum eſt, vt hoc palàm fieret in Concilio vniuerſorum tam frequenti, penè trecentorum Epiſcoporum; ſic placuit omnibus, ſic exarſerunt omnes, vt parati eſſent Epiſcopatum pro Chriſti vnitate deponere, & non perdere, ſed Deo tutiùs commendare. Duo ibi vix inuenti ſunt, quibus diſpliceret. Vnus annoſus ſenex, qui hoc etiam dicere liberiùs auſus eſt: alter, voluntatem ſuam tacito vultu ſignificauit. Sed poſteaquàm illum liberiùs hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio; illo mutante ſententiam, vultum etiam ille mutauit. *l.de geſt. cum Emer.*

Ex quo patet, quàm non Donatiſtarum res Catholici concupiuerint, quamque verè pòſt Auguſtinus dixerit: Veniant ad Eccleſiam Chriſti veram, hoc eſt matrem Catholicam: ſint in illâ Clerici, ſint Epiſcopi vtiliter, qui contra illam fuerunt hoſtiliter. *Epiſt.50.* Tametſi hoc non fieret (quoniam reuera quod fatendum eſt, fieri non deberet) niſi pacis ipſius compenſatione ſanaretur. *eâd. Epiſt.* Vetus enim

 Eccleſiæ

Eccleſiæ diſciplina fuit, vt qui ex Clero in hæreſin, ſchiſma, vel idololatriam lapſi eſſent; reſipiſcentes, ad pœnitentiam quidem admitterentur; à Cleri tamen ordinatione & ſacerdotali honore prohiberentur, etiam quem priùs habuiſſent. Cuius rei teſtis quoque Auguſtinus eſt, *l. de vn. bapt. c.* 12. Verumtamen, vt iam ex eo diximus, contrarium pacis nomine ſanabatur.

Neque verò nouum hoc fuit exemplum. Nam Arrianis, qui iam aliquot annis Eccleſiæ gubernationem in Oriente occupauerant, & de ea poſſeſſione, ſi ſanari nollent, decedere abs Theodoſio iubebantur; non diſſimilis conditio fuit oblata. Sed & eodem tempore Melatius Epiſcopus Antiochenus, pacis retinendæ cauſsâ, Paullino (qui ſeparatos alioquin habebat ſuos cœtus) obtulit, vt conciliatio fieret, ſocietatem ſui Epiſcopatus: eâ lege, vt altero mortuo, alter qui ſuperſtes eſſet, in ſolidum Epiſcopus maneret.

Denique teſtatur Auguſtinus, cùm Melchiades Romanus Epiſcopus ex ſententiâ ſuorum Collegarum damnaret Donatum; Donatiſtis qui reſipiſcere vellent, ita peperciſſe, vt ſanitatis recuperandæ, inquit Auguſtinus, optionem liberam eis fecerit: paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos à Maiorino ordinatos eſſe conſtaret: ita vt quibuſcumque locis duo eſſent Epiſcopi, quos diſſenſio geminaſſet; eum confirmari vellet, qui fuiſſet ordinatus prior: alteri autem eorum plebs alia regenda prouideretur. De hac Melchiadis ſententia loquens Auguſtinus, exclamat: Quàm innocens! quàm integra! quàm prouida & pacifica! O virum optimum! ô filium Chriſtianæ pacis, & patrem Chriſtianæ plebis! *Epiſt.* 162. quod ſuo loco ſuprà retulimus.

§. IX.

Alia modeſtia Catholicorum indicia. Totius controuerſiæ capita breuiter ab iiſdem propoſita.

ACceptis iam Donatiſtarum & Catholicorum litteris, Marcellinus, quidquid vtraque pars ſcripſerat, in publicam populi notitiam tranſmiſit, vti ſe facturum ſpoponderat. *Acta Cogn. 1. cap.* 17. eo fortaſſe

fortaſſe conſilio, vt gnarus omnium populus, obſtinatos in ſchiſmate Donatiſtas tātò faciliùs deſereret, quò ſciret manifeſtiùs, quàm æquas aduerſariis, ſibi iniquas, Catholici, conditiones pacis obtuliſſent.

Adhæc conſenſerunt Catholici per litteras, vt (quod Donatiſtæ petiuerant) vniuerſi qui venerant præſentes eſſent, eo loco vbi erat futura Collatio: cùm tamen illic ex Catholicis Epiſcopis illi ſoli adeſſent, quos Edicto ſuo Cognitor definierat: vt ſi aliquis tumultus exiſteret (quod Catholici valde metuebant) non illis imputaretur qui pauciſſimi adeſſent, ſed eis potiùs qui multitudinem ſuam præſentem eſſe voluiſſent.

Iiſdem litteris Catholici puncta totius futuræ controuerſiæ breuiter complexi ſunt: putà, Eccleſiam Chriſti per vniuerſum terrarum orbem eſſe diffuſam, non compactam in vnum aliquem mundi angulum, aut gentem: Cæcilianum à traditionis crimine innocentem fuiſſe, aut ſaltem de eo minimè conuictum: Iuſſiones Imperatorias, quas pro ſe contra Donatiſtas Catholici nonnumquam impetrauerint, adeo non eſſe damnandas, vt ipſi quoque Donatiſtæ hoſtes ſuos Maximianiſtas publicis aliquando iudiciis ſint inſectati. *Collation. 1. capite 7.*

Hinc enim ſæpenumerò ſolebant facere Catholicis inuidiam, quòd in materia religionis Imperatoriam auctoritatem implorarent: poſt Primianum repetentes; *Illi portant multorum Imperatorum Sacras, nos ſola portamus Euangelia. l. poſt Collat. cap.* 31. Sacrum quippè ſicut & diuinum, eo tempore dicebatur, ait Franc. Balduinus, quidquid erat Principis. Hinc ſacræ Principum Epiſtolæ, Leges, Mandata, Reſcripta. Et *vice ſacrâ iudicare* dicebatur, qui vice Principis iudicabat, ſicut Marcellinus in hac Collatione. Itaque dici etiam poterat, *Sacer Cognitor*: & *ſacrarum Cognitionum iudex*, vt eius temporis leges loquuntur.

§. X.

Donatiſtæ tergiuerſari incipiunt.

CVm ergo quod antè Cognitor edixerat inquiſiſſet, vtrùm ſicut à Catholicis, ita etiam à parte Donati electi iam eſſent, qui ſuſ-

ceptam cauſſam peragerent; cœperunt Donatiſtæ non obſcurè tergiuerſari. Accuſabant in primis Catholicos propter prӕteritas litteras, quòd iam eſſet ab eis acta cauſſa, antequam eſſet confligentium ſtatuta perſona. Inſtabant deinde, vt priùs ageretur De tempore, De mandato, De perſonâ, De cauſsâ: tunc ad negotij merita veniretur. Nam quod tempus attinebat, iam id eſſe prӕterlapſum: & cetera de genere hoc calumnioſè & declinatoriè, quæ neque in foro iure agerentur: hoc vnum nimirum agere incipientes, vt agant nihil. *Collat.* 1. *cap.* 8.

Reſpondit Cognitor, eiuſmodi cauillos non Epiſcopalis, ſed forenſis potiùs obiectionis eſſe. Siquidem de tempore, licet eſſet ſuggerente Officio quartodecimo Kalendas Iunias completum; partem nihilominùs vtramque in Kalendas ipſas conſenſiſſe: imò etſi pars quælibet adhuc vſque non occurriſſet; duos alios menſes ſupereſſe potuiſſe, quos Imperator adiunxerat trinis Edictis fuiſſe ſeruandos.

Cùm viderent Donatiſtæ, hanc ſibi declinationem eſſe peremtam, intulerunt: Nihil ergo ſecum agi publico iure debere, ſed tantùm diuinis Scripturis. Qua de cauſſa cùm quæſiſſet Cognitor, quid vtrique parti de hac re placeret? Reſponderunt Catholici, Iam mandato ſuo, vbi electis diſputatoribus agendi modus iniunctus eſt, iſtud declarari. ibi poſſe meliùs apparere, quòd non forenſibus tergiuerſationibus, ſed magis diuinis teſtimoniis ageretur: inſtantes, tametſi reclamantibus aduerſariis, vt legeretur; quod denique factum eſt. *Collat.* 1. *cap.* 8. 9. & 10.

Sed hîc rurſus habebant Donatiſtæ quod arroderent: neque priùs quieuerunt, quàm coràm adeſſe Catholicos omnes Epiſcopos, qui mandato ſubſcripſerant, impetrarunt: quia non exiſtimabant Carthaginem tot Catholicos conueniſſe, quot fuerant ſubſcriptiones oſtenſæ. *Coll.* 1. *cap.* 12.

§. XI.

§. XI.

Catholicorum & Donatiſtarum Epiſcoporum in Collatione numerus. Inter Catholicos diſputat Auguſtinus.

Recenſitis eapropter & recognitis præſentibus Catholicis, qui ſubſcripſerant; Cognitor obtulit petens, Vt conſidentes potiùs agerent, quàm ſtantes. Donatiſtæ recuſauerunt: gratias tamen agentes, quòd talibus ſenibus obtuliſſet conſeſſum. *ibid. cap.* 13. Iuſto ſanè Dei iudicio: quòd eſſent honore ſibi oblato indigni. De quo paullò pòſt plura.

Inde mandato Donatiſtarum prolato & recitato (quo iubebantur hi, quos elegerant, agere velut aduerſus traditores, & perſecutores ſuos) recitata ſunt nomina eorum: vt conſtaret non ſolùm petentibus Catholicis, vtrùm apud Carthaginem præſentes ſubſcripſiſſent; verumetiam ad ipſorum Donatiſtarum inſtantiam, vt appareret quanto numero veniſſent.

Fuit ergo omnium ex parte Donati numerus, ducenti ſeptuaginta nouem, annumeratis etiam illis pro quibus abſentibus alij ſubſcripſerant, computato & vno defuncto, de quo videnda eſt Epiſtola 152. Catholicorum verò apud Carthaginem præſentium, ducenti octoginta ſex. Etenim in ipſo loco Collationis, ex his Catholicis qui mandato ſubſcripſerant, & qui præſentes geſtis mandauerant, hi ſoli defuerunt qui illic apud Carthaginem incommodâ valetudine tenebantur. Ex his autem quorum nomina Donatiſtarum ſubſcriptio continebat, non ſolùm illi deerant, quos apud Carthaginem ægrotare reſponderant; ſed etiam illi pro quibus abſentibus, id eſt apud Carthaginem non conſtitutis, alij ſubſcripſerant.

Quoniam itaque ſe Donatiſtæ de numeroſitate iactabant: excepto eo quòd Catholicos plures veniſſe Carthaginem conſtitit; dictum eſt à Catholicis, alios Epiſcopos centum viginti non veniſſe Carthaginem, quòd quidam eorum ſenectute, quidam infirmitate, quidam di-

uerſis neceſſitatibus eſſent impediti. Quod cùm audiſſent Donatiſtæ; reſponderunt, etiam ſuos multò plures non veniſſe: & multas apud ſe eſſe cathedras viduatas Epiſcopis: cùm tamen in Notoriâ ſuâ quam Cognitori dederant, apertiſſimè dixiſſent, vſqueadeò ſe omnes veniſſe Carthaginem, vt nec grauiſſimos ſenes ætas, nec labor potuerit deterrere: eoſque ſolos non veniſſe, quos aduerſa valetudo in ſuis ſedibus, vel in itinere tenuiſſet, &c. Sanè propter cathedras, quas Epiſcopis vacuas apud ſe eſſe dixerunt; reſponſum eſt etiam à Catholicis, ſexaginta eſſe, quibus ſucceſſores Epiſcopi nondum fuerant ordinati. *Collat.1. cap.* 14.

Quod ſi libet inquirere, quo tandem euaſerit numerus eorum, quem habuerint à ſedecim circiter annis in Concilio Bagaienſi: (in quo præter Maximianiſtas, qui propè centum antea Cebarſuſſi conuenerant, numerati ſunt trecenti nonaginta quatuor Epiſcopi Donatiſtæ) deprehendere licebit quantùm iam inde, auctore præſertim Auguſtino, Eccleſiæ Catholicæ vnitas profecerit.

Quod demum ſpectat ad eos, qui vtrimque pro diſputatione ſunt electi: à parte Catholicorum nominantur in Actis Collationis à Papir. Maſſono editis: Aurelius Carthaginenſis, Alipius Tagaſtenſis, Auguſtinus Hipponenſis, Vincentius Coluſitanus, Fortunatus Conſtantinienſis (cuius, ſub nomine Cirtenſis, meminit Auguſtinus *l.de vn. bapt.c.16.& l.2.cont.Petil.cap.99.*) Fortunatianus Siccenſis, & Poſſidius Calamenſis, Epiſcopi.

A parte verò Donatiſtarum: Primianus Carthaginenſis, Petilianus Conſtantinienſis, Emeritus Cæſarienſis, Protaſius N. Montanus Zamenſis, Gaudentius Thamugadenſis, & Adeodatus N. Epiſcopi. Ita tamen, vt ſicut hinc veluti Princeps fuit Petilianus; ita Auguſtinus illinc: vt & antea hi ſcriptis aduerſariis conflictati inter ſe fuerant, & erat in ſuo quiſque ordine præſtantiſſimus. Ceteris loco digreſſis, & remanentibus ſolummodò neceſſariis, in perendinum diem Collatio dilata eſt, vtrorumque conſenſu: quoniam præſens tum dies videbatur emenſus, *Collat.1.cap.*15.

§. XII.

§. XII.

Acta ſecunda diei: & Donatiſtarum in ſedendo ſcrupulus.

REuerſis tertio Nonas Iunij, & ingreſſis Collationis locum, puta Secretarium Thermarum Gargilianarum; obtulit conſeſſum iterùm Cognitor: deprecans vt fieret. Et mox Catholici conſederunt; Donatiſtæ autem recuſauerunt. In qua recuſatione inter cetera id quoque dixerunt, quod ſcriptum ſibi eſſet cum talibus non ſedere. Ad quod Catholici, ne moræ fierent, tunc non reſponderunt: ſed opportuniore loco, in tertij diei collatione. *Coll.2.cap.1.*

Nam cùm regeſſiſſent illud pſalmi 25. *Non ſedi in Concilio impiorum*; corporaliter eum locum interpretantes: à Catholicis reſponſum eſt; Non ergo cum eis vel intrare in locum Concilij debuiſſe, quandoquidem in eodem pſalmo ſequatur: *Et cum iniqua gerentibus non introibo. Coll.3.cap.9. & l.poſt Coll.c.5.*

Quamobrem Donatiſtas, nimiùm profectò moroſos, ſuper hoc facto taxans Auguſtinus, inquit: Medicus bonus, ægros non ſolum præſentes ſanabat, ſed & futuros etiam præuidebat. Futuri erant homines qui dicerent: Ego peccata dimitto, ego iuſtifico, ego ſanctifico, ego ſano quemcumque baptizo. Ex iſto numero & iſti ſunt, qui dicunt, Noli me tangere. Vſqueadeo ex ipſo numero ſunt, vt nuper in Collatione noſtra, quod etiam in geſtis ipſi loqui poterimus, cùm eis à Cognitore eſſet conſeſſus oblatus vt ſederent nobiſcum; reſpondendum putarent: Scriptum eſt nobis cum talibus non ſedere. Scilicet ne per contactum ſubſelliorum, ad eos velut noſtra contagio perueniret. Vide ſi non eſt: *Noli me tangere, quia mundus ſum.*

Alio autem die, vbi opportuniùs erat, commemorauimus eos huius miſerrimæ vanitatis, cùm ageretur de Eccleſiâ, quia mali in eâ non contaminant bonos: reſpondimus eis, quia ideo nobiſcum ſedere noluerunt, & dixerunt, ſe Scripturâ Dei fuiſſe commonitos, quia videlicet ſcriptum eſt: *Non ſedi in Concilio vanitatis.* diximus, ſi ideo nobiſcum

biſcum ſedere noluiſtis, quia ſcriptum eſt, Non ſedi in Concilio vanitatis; quare nobiſcum ingreſſi eſtis, cùm conſequenter ſcriptum ſit: *Et cum iniqua gerentibus non introibo.* &c. *homil.* 23. *cap.* 8.

Et quamquam hac Donatiſtarum hypocriſi ſtimulatus, eò ciuilitatis ſe demiſerit Cognitor, vt diceret, Stando ſe cogniturum; *Coll.* 2. *c.* 1. adeoque obſtinatio eorum non Catholicos ſolùm, ſed ipſum etiam iudicem, conſidere ſtantibus Epiſcopis detrectantem, ſtando fatigarint: mirum tamen eſt, tam fuiſſe ineptè moroſos, vt ſtare quàm ſedere maluerint: cùm illud reorum, hoc iudicum ſit. Nam cùm reus ſedere iubebatur, abſolutus eſſe intelligebatur: neque aliâ abſoluendi formulâ vſi erant eorum maiores in primo illo ſuo Cirtenſi Concilio, quod ſuperiori Libro exhibuimus.

Fuit profectò incredibilis quidam faſtus horum hypocritarum. Nam ſicuti, Optato referente, indignè olim tulerant, quòd *Fratres* à Catholicis appellarentur; ita quoque vocari in Collatione renuerunt. Vbi oſtendiſtis, inquit Auguſtinus, nos eſſe quibus Dominus præcepit
Eſa. 66. per Prophetam: *Dicite, Fratres noſtri eſtis, iis, qui vos oderunt, & qui vos deteſtantur*: vos verò in numero eorum eſſe, qui iſtos, quibus hoc Dominus dicit, oderunt & deteſtantur. *l.* 2. *cont. Gaud. cap.* 11.

Cùm autem Catholici exiſtimarent, ipſam controuerſiæ arcem nunc petendam; in varias & multiplices tergiuerſationes Donatiſtæ abierunt. Ac primùm petiuerunt, vt ſibi ederetur Mandatum Catholicorum: quo conſiderato, poſſent in diem conſtitutum inſtructi adeſſe: eò quòd Exceptores cum conſcriptione Geſtorum occurrere non valerent.

Et quamquam Catholici, de ſubſcribendis proſecutionibus ſuis, iam annuiſſent; Donatiſtæ ſe multùm moueri dixerunt, quòd hoc conſuetudo non haberet. Denique cauſſantes multa, iterumque reuocantes aliquid de tempore præterlapſo, vnde iam fuerat primo die tranſitum; cùm in eo hærerent, vt progredi nollent niſi editis ſibi geſtis; ſex dierum dilationem impetrarunt. *Collat.* 2. *c.* 2. & 3.

§. XIII.

§. XIII.

Donatiſtarum moræ atque effugia, Die tertio.

SExto Idus Iunias, tertio Die Collationis, ingreſſis, ac fatentibus partibus tradita ſibi Geſta; iuſſit Cognitor principale negotium iam proponi.

Id erat, vt crimina, quæ ſolebant Donatiſtæ obiicere in Eccleſiam toto orbe diffuſam, ſi poſſent, probarent. *Coll. 3. c. 1. & 2.* Etenim duo omninò erant inter Catholicos & Donatiſtas quæſtionis controuerſæ capita: primum Iuris, alterum Facti. De illo quærebatur, Vbi eſſet Eccleſia, an apud Donatiſtas, an apud Catholicos? Et quidem tanto difficilior diiudicatio fuit, quòd vtrobique ferè eadem ſonaret doctrina, & forma ſimilis conſpiceretur: *Optat. l. 5.* adeoque opus eſſet aliis indiciis, quàm Doctrinæ & Sacramentorum. De hoc: Vtrùm à Traditoribus Cæcilianus fuiſſet ordinatus: atque ipſemet Traditor?

Hæ enim fuerant ab initio cauſſæ ſuſcitati Schiſmatis. Primò, quòd Cæcilianus Traditor fuiſſet, tum, quòd cibum Martyribus in carcere exhiberi vetuiſſet. *Collat. 3. cap. 14.* Deinde, quod à Traditore Felice Aptungitano ordinatus eſſet. *ibid. & Pſ. cont. Donatiſt. litt. D.* Præterea, non exſpectauerit, vt Princeps à Principe ordinaretur. *Coll. 3. c. 16.* Quintò, quòd ab eis vocatus in Concilio comparere contemſerit. *Coll. 3. c. 14. & 16.* Denique, obiecta ſibi in eo Concilio crimina tacendo confeſſus ſit. *l. poſt Coll. c. 23.*

Quare ob eiuſmodi figmenta, totius orbis Eccleſias quæ Cæciliano communicabant, commercio ſcelerum & ſocietate criminum inquinatas aiebant, omneſque de populo Dei periiſſe, ſe ſuiſque tantummodò exceptis. Atque hinc erat, quòd *Traditorum progeniem* Catholicos appellarent, negarentque penes eos Eccleſiam eſſe, vt paullò pòſt latiùs dicemus.

Cumque iam tum iuberentur ea crimina, quæ paſſim Catholicis obiiciebant, probare; moras extemplò iniicere cœperunt: neque cauſſam agere, ſed eam vagando circumcurrere. Contendebant, vt priùs

quærerentur, Qui eſſent, qui agerent? & flagitabant vt exprimerentur, qui petiſſent ab Imperatore iſtam fieri Collationem. Volebant enim vt conſtaret, Catholicos eſſe petitores: vt ex forenſi ſcilicet iure poſſent diſcutere perſonas petitorum: cùm mandato tamen ſuo Catholici declaraſſent, non ſe petitores eſſe, ſed defenſores, aduerſus ea crimina quæ Donatiſtæ Eccleſiæ obiiciebant: imò ipſimet petiuiſſent, ne cauſſa hæc forenſibus technis, ſed ſolis diuinis Scripturis ageretur.

Poſt multam altercationem cùm recitato tandem Imperiali præcepto id vnicum pateret, Catholicos petiuiſſe Collationem, eamque eſſe conceſſam; cœperunt poſtulare preces, quibus eſſet Collatio petita. Hic cùm eis ipſe Cognitor reſpondiſſet, In pragmatico Reſcripto preces inſeri non ſolere; mandatum ſaltem Legatorum, eorumque nomina ſibi edi volebant: non alio vtique fine, quàm vt moras necterent & tempus tererent. *Collat.* 3. *c.* 2.

Inter hæc fatentibus Catholicis, Collationem ſe petiuiſſe; reſponderunt è contrà Donatiſtæ, ſe eſſe Catholicos. Sed Marcellinus interlocutus eſt, Catholicos eos appellandos, quos appellauit Imperator: Donatiſtarum nimirum aduerſarios. *Coll.* 3. *c.* 3.

Atque hæ de perſonis, tum Petitorum tum Legatorum, tum de mandato eorumdem, &c. tergiuerſationes, ſæpiſſimè recruduerunt: donec ſic eſt à Catholicis reſponſum, vt confiteri iam cogerentur Donatiſtæ, quòd ſenſim inducerentur in cauſſam: ſiue ad cauſſæ interna, vt alibi exponitur, deducerentur: quod fieri ſanè nolebant. *Collat.* 3. *c.* 3. 4. *&* 5. *& l. poſt Collat. c.* 25. Etenim mirabiliter factum eſt, vt, cùm propterea quærerent Petitoris perſonam, ne perueniretur ad cauſſam; ipſa inquiſitio petitoris, ſubitò in medium mitteret cauſſam. *Collat.* 3. *cap.* 3.

§. XIV.

Ingreſſus ad cauſſam.

QVare lectâ relatione Anulini Proconſulis ad Imperatorem Conſtantinum, quâ Petitores olim Donatiſtas fuiſſe conſtabat; rogarunt vnde foret accepta? Et reſpondentibus Catholicis, ſi dubitarent,

tarent, in Archiuo Proconſulis eſſe quærendum; futiles aliquot argutiolas obiecerunt: ac tandem etiam neſcio quâ de cauſsâ quæſierunt, Quis ordinaſſet Auguſtinum? niſi quod pronum ſit ſuſpicari, veteres calumnias (de quibus ſuprà) in promtu habuiſſe: ſed quoniam erat telum imbelle ſine ictu proiectum, cùm intrepidè reſpondiſſet Auguſtinus, à Megalio ſe ordinatum, qui tunc fuerit Primas Epiſcoporum in Numidiâ Eccleſiæ Catholicæ; intentionem ſuam in alia detorſerunt. *Coll.* 3. *c.* 7.

Iuſſerunt Litteras legi, quibus reſpondebant mandato Catholicorum, ſibi primâ & ſecundâ Collatione exhibito: ac conabantur probare, penes ſe eſſe Catholicam: quandoquidem vt aiebant, Catholica conſtare non poſſit commixtione malorum hominum: nihil interim reſpondentes ad teſtimonia ex Lege & Prophetis, & Pſalmis, & Apoſtolicis atque Euangelicis litteris deprompta; quibus oſtendebatur Eccleſia Catholica per totum mundum ab Hieruſalem, atque etiam in Africam diffuſa.

Nam quemadmodum contendebant Catholici, Eccleſiam eſſe debere *Catholicam*; ita Donatiſtæ obiiciebant debere eſſe *Sanctam*: adeò vt cùm illi vrgerent vaticinia Prophetarum, quæ Catholicam promittunt, & Euangelica atque Apoſtolica ſcripta, quæ aſſerunt; Donatiſtæ opponerent vaticinia, quæ Eccleſiam ſanctam deſcribunt, vt videri poteſt quamplurimis apud Auguſtinum locis, præter quàm in Actis.

§. XV.

Donatiſtarum Capitalis error.

IGitur inter eos quibus pertinaciter adhærebant errores, hic erat caput quodammodò ceterorum: Eccleſiam ſolis conſtare bonis, malos omnes extra eam eſſe. Contra tot Chriſti, vt cetera taceamus, parabolas, quibus futuram in Eccleſia bonorum malorumque ad ſæculi vſque finem permixtionem, euidenter ſignificauit. Sed quibus eludendis, hâc dogma ſuum correctione temperabant; vt occultos tantùm in Eccleſiâ malos, eoſque ſolos reperiri poſſe faterentur. *l.* 2. *cont. Gaud. c.* 4.

Quaſi nimirum in areâ Dominicâ non ſit manifeſta palea, atque ita conſpicua, vt vel ſola ferè appareat; triticum ita tegens & opprimens, vt videri vix poſſit.

Addebant alterum quod ſuprà indicauimus: Externâ ſocietate & communi Sacramentorum vſu, veluti contagione quâdam, pollui à malis bonos & contaminari: ideoque corporalem etiam à malis ſeceſſionem eſſe faciendam: neque vllum cum eis habendum commercium, communionem, colloquium. Hinc Scripturas, quæ de ſpirituali malorum ſocietate vel fugâ, & animorum coniunctione aut ſeparatione agunt, detorquebant ad corporalem. *Coll. 3. c. 9. l. 2. cont. Gaud. c. 5.*

Quaſi non olim Prophetæ & Apoſtoli, & ſancti quique viri atque Eccleſiæ Paſtores (interque illos Cyprianus Epiſtolâ de Lapſis) de ſæculi huius moribus grauiſſimè queſti ſint, vehementer in eos declamantes: qui tamen Salomonis aut Chriſti Templum, & Sacramentorum illic vſum habuere communem, *Epiſt. 163.* nullâ plebis ſeparatione diuiſioneque factâ, donec conſeruaretur ſanæ fidei integritas.

Sed ſtolidum prorſus erat, quod ipſa Templa, Altaria, totamque Eccleſiæ ſupellectilem, eodem veluti contagio infici contaminarique dicerent. Hinc Templa Catholicorum cremarent: Altaria ſuffoderent: ſacros Codices in ignem mitterent: aut, dum maiore compendio agere humaniùs vellent, aras raderent, eaſque cum pauimento & parietibus Baſilicarum, aquâ ſalsâ non ſine exorciſmis abluerent: exiſtimantes hoc pacto omnem ſe immunditiam ſordeſque luſtrare.

Horum teſtis eſt Optatus *l. 2. & 6.* quos meritò irridens, lauare etiam publicas plateas iubebat, quippe Catholicorum pedibus calcatas, maculataſque: quin & templi teſtudinem, imò verò & cælum ipſum & aſtra, ſi ſolus vtique contactus atque aſpectus profanare & contaminare res poſſit.

§. XVI.

§. XVI.

Alij eorumdem errores aperiuntur, ac reſutantur.

ET quoniam non incommodo loco Donatiſtarum errores, vbi omnes propè delibati ſunt, attigimus: quandoquidem eos cognoſcere plurimùm Hiſtoriæ interſit, ceteros proſequemur.

Talibus ædificij ſui iactis veluti fundamentis, ſuperſtruebant denique ea, quibus ab initio hæc omnia deſtinabantur: Eccleſias tranſmarinas Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, ceteraſque deinde quotquot erant in eâdem cauſsâ ſiue ſcienter, ſiue inſcienter coniunctæ, Cæciliani & Collegarum eius criminibus (quia illius potius quàm ſuam communionem præferendam putarent) veluti quodam contagio pollutas infectaſque eſſe: imò eidem Traditionis crimini redditas dicebant obnoxias, atque idcirco à fide & Chriſto defeciſſe: &, quod eſt conſectarium, vitandam eſſe omnibus eorum communionem.

Erant perinde hæc ipſorum, è talibus principiis educta Paradoxa: *In reliquo terrarum orbe toto, Eccleſiam defeciſſe: Tranſmarinam Eccleſiam lupanar & meretricem effectam: Eccleſiam Chriſti in ſolâ remanſiſſe Africâ: Solam Donati partem & communionem, veram eſſe Chriſti Eccleſiam: Sè ſolos ſanctos & impollutos, & Martyrum eſſe filios; ceteros omnes pollutos, impios & traditores effectos: nihil propterea commune ſibi cum eis habendum.*

Et licet hæc eſſent contra tot manifeſtas atque euidentes Scripturas, quæ Catholicam fore Eccleſiam, perque totum diffundendam orbem, liquidò promittebant; attamen præter alia reſpondere conſueuerant, eam iam pridem promiſſionem impletam: *l. de Agon. Chriſt. c. 29. l. de vnit. Eccl. c. 13.* ſed hominum peruerſitate effectum, vt ampliſſimum aliquando Chriſti regnum, in arctum nunc & anguſtum, adeoque paucitatem ſit redactum: quæ tamen paucitas, non minùs ſit in Scripturis prædicta & commendata, atque vniuerſalis ipſa, vt ſic dicam, amplitudo. Quamobrem ſolebant paucitatem interdum ſuam miro præconio iactare. *l. de vnit. Eccl. c. 7. l. 3 cont. Creſc. c. 66.* Qua in re Pelagianis præiuerunt, quibus idem poſtea placuit. *l. 2. cont. Iul. c. 10. & l. 5. c. 1.*

 Iam

Iam verò Catholicum nomen, quâ veluti perpetuâ notâ deſignari vera Eccleſia ſolet, non à gentium, locorum, & temporum vniuerſitate, ſed à Doctrinæ & Sacramentorum plenitudine atque integritate, præceptorumque Dei omnium obſeruatione, inditum eſſe dicebant. *Epiſt.* 48. *Coll.* 3. *c.* 3. Hanc autem rationem bellè ſibi ſuiſque conuenire. Vt nihil iam de Gaudentio dicam Epiſcopo Thamugadenſi, qui cùm premeretur à Catholicis, aliam eſſe huius vocis ſignificationem adſtruentibus; tandem eò recidit, vt indignabundus exclamaret: Catholicam Eccleſiam, humanum eſſe figmentum. *l.* 1. *cont. Gaudent. cap.* 23.

Porrò fatuum erat, quod vitandæ communionis prætextu (ſi non potiùs imperitiæ ſuæ, malæque cauſſæ conſcientiâ) omnem ſemper cum Catholicis congreſſum, diſputationem, imò litterarum pro eliquandâ veritate commercium, detrectarint: (vt teſtatur *Optat. l.* 1. *Auguſt. l.* 1. *cont. Parm. c.* 8. ſuper quâ proteruiâ, falsè admodum Petilianum pungit Auguſtinus. *l.* 1. *cont. Petil. c.* 19.) vel cum Primiano iactitantes, Indignum eſſe, vt in vnum conueniant filij Martyrum & progenies Traditorum: aut furioſum illud intonantes: Diſputare nolumus & rebaptizare volumus: *Epiſt.* 169. Cùm tamen Paullus non cum Iudæis tantùm; ſed Gentilibus etiam, Stoïcis & Epicureis contulerit: imò & Chriſtus Diabolo de Scripturis reſpondere non ſit dedignatus, vt ſuperiùs ex Auguſtino verbotenus retulimus, ipſique Clerici Hipponenſes iterarunt, *Epiſt.* 68.

Ceterùm quàm ſtulta fuerit & impia, hæc de communionis contagione ſententia, vel hinc poteſt intelligi; quòd ſtante eâ, iam inde à Cypriani, imò Apoſtolorum temporibus, neceſſe fuerit Eccleſiam periiſſe: quandoquidem eos cum probè ſibi cognitis malis in eaſdem conueniſſe Baſilicas, eiſdemque communicaſſe Sacramentis, conſtet: quin & Chriſtum ipſum, qui Iudam in ipsâ maximi ſui Sacramenti inſtitutione admittere, eiuſque non dubitauit facere participem. *Pſal. cont. Donat. litt. V. l. de Vnit. Eccl. c.* 14. *Coll.* 3. *c.* 8. *Epiſt.* 48.

Quorum ſi ſcelere alieniſque peccatis, quibus minimè conſentiebant, contaminati ſunt boni; iam tum ergo, Donatiſtarum ſententiâ, adeoque in ipſo ſuo exordio Eccleſia periit: atque ita, iuxta erroris eorum proprij ſequelam, Eccleſiam habere neque ipſi poterant: quandoquidem vnde orirentur, nulla eſſet; niſi dixerint, ex ſeipſis genitos ſe eſſe atque cœpiſſe, aut ſe primos Eccleſiam ædificaſſe: quod non

opinor

opinor fuiſſe auſuros. *l.3. de Bapt. c.2. l.de vn. Bapt. c.14. l.2.cont. Creſc. c. 36. l. poſt. Collat. c.29. l. 2. cont. Gaud. c.8. Epiſt.48.*

§. XVII.

Donatiſtarum Capitalis error ſecundus.

ALterum errorum caput, circa Sacramenta verſabatur: quod ſicuti à ſuperiori pendebat, ita pulchrè ſubſeruiebat toti Donatiſtarum fabulæ.

Dicebant ergo: *Sacramentorum veritatem, extra Eccleſiam non reperiri: Solos eſſe bonos, à quibus verè valideq́ conferri poßint: A malis ea pollui, vitiari, atque profanari; ideoq́ non modò hæreticorum & ſchiſmaticorum, ſed nec reliquorum quidem malorum, & criminoſorum Sacerdotum, verum eſſe qui ab eis adminiſtretur, aut conſecretur, Baptiſmum, Chriſma, Euchariſtiam, Ordinationem.*

Hinc porro educebant, quotuſquiſque vllum ab eiuſcemodi miniſtris Sacramentum accepiſſet; quia vanum id atque irritum eſſet, denuò ab Eccleſia baptizandum, confirmandum, ordinandum, conſecrandumq́ue eſſe: imò verò non ius tantùm ac poteſtatem dandi Sacramenti; ſed ipſum quoque, ritè licet priùs acceptum, perire per peccata atque deperdi.

Quare & in Cæciliani communione, cunctiſq́ue tranſmarinis Eccleſiis, inanes tantummodò exiſtere Sacramentorum vmbras: eorum veritatem in ſolâ reperiri parte Donati. Hinc ſi quis relictâ Traditorum, quos vocabant Eccleſiâ, ſociari eis deſideraret; abſque ipſorum Baptiſmate recipiendum non eſſe: cuius tamen contrarium in Feliciano & Prætextato (quondam Maximianiſtis) omnibuſq́ue ab eis baptizatis, ipſimet fecerant, ſuoque ſe mucrone iugularant.

Ob eandem cauſſam, *fratres* à Catholicis, tamquam nondum baptizatis, vocari minimè ſuſtinebant, Ethnicos eos & paganos appellantes. Quos deceptos, facere ſuos poterant; denuò baptizabant: pœnitentiam eis imponebant: infideles ſe hactenus, & nequaquam Chriſtianos fuiſſe, fateri compellebant. *l.2. cont. Creſc. c.5. l.2. de bapt. c 7.*

Adhæc Sacerdotibus, qui ad ipſos defeciſſent, poſt repetitum Baptiſmum

ptiſmum capita radebant: &, quaſi abolitâ priori ordinatione, nullam fuiſſe indicantes, ſuam deinde conferebant. Sacris Virginibus, quæ ad ipſos tranſiiſſent, rebaptizatis, velum detrahebant, capita nudabant: nudatis, cineres inſpergebant, capillos ſoluebant, aquâ ſalsâ perfundebant, nouam extorquebant profeſſionem, nouoque impoſito velo, mirabili præſtigiarum choragio, ab initio conſecrabant. Nullum denique Sacramentum inuiolatum relinquebant: ſimili ſacrilegio Baptiſteria Catholicorum profanantes, Chriſma effundentes, ſacroſanctam Euchariſtiam (dictu horrendum) canibus obiicientes.

Procul ſanè à beati Cypriani, quem auctorem iſti ſuum laudare ſolebant, modeſtiâ recedentes: qui de legitimis Sacramentorum miniſtris diuerſum à ſe ſentientes damnare, & à ſuâ communione ſubmouere non eſt auſus: neque quibuſcumque illorum peccatis, ſed ſolâ hæreſi aut ſchiſmate vitiari, atque irrita fieri Sacramenta cenſuit: legitimè verò acceptum ſemel Baptiſmum, nullo pacto docuit iterandum. *Cyprian. Epiſt. ad Iubai. Auguſt. l. 3. de Bapt. c. 10.*

§. XVIII.

Refellitur hic eorum error.

ET quamuis anteà ſubinde, ipſius Auguſtini verbis offucias eiuſmodi nebulaſque diſcuſſimus; operæ pretium nihilominus fuerit, breuiter hoc loco in gratiam Lectoris recenſere.

Atque in primis, ſi à miniſtri ſanctitate, Baptiſmi ceterorumque Sacramentorum veritas & ſanctitas pendet; ſpes nobis non tam in Chriſto, quàm in homine collocanda erit: quod profectò maledictioni Prophetarum obnoxium eſt. Si deinde per miniſtrorum iuſtitiam, Sacramentorum in nos ſanctificatio, & iuſtificationis tranſit effectus; tantò meliorem deterioremuè neceſſe eſt eſſe, quantò qui adminiſtrauit, magis minuſuè ſanctus fuerit.

At verò tota nobis hoc pacto incerta redditur ſalus, quando de miniſtri ſanctimoniâ conſtare certò numquam poteſt: fierique non rarò videamus, vt qui vir bonus exiſtimatur, improbus maluſque ſit. Imò verò toties neceſſe erit Baptiſmum repeti, quoties alicuius baptizantis crimen occultum detegi contigerit.

Et

Et quidem hinc expedire ſe viſi ſunt Donatiſtæ,ſi dicerent, Bonam vnicuique famam ſufficere: *l.3.cont.Petil.c.30.& l.2.cont.Creſc.c.17.18. & ſeqq.* ſed amplius ſe intricarunt. An enim fama mendax & falſa Baptiſmum dantis,abluere conſcientiam poteſt accipientis? Quis hoc niſi dementiſſimus dixerit? Reſtat ergo vt aut certus ſit ibi Baptiſmus; aut non ei obſtent miniſtrantium peccata. Vide *libr. 4. cont. Creſcon. cap. 12.*

Niſi fortè eò refugiendum putent, vt quoties ignoratur occulta Baptizãtium prauitas,ſecretiùs tum vel Angelus,vel Deus ipſe Baptizet. Quod ſi ita eſt; ſatiùs erit ab occultè malo baptizari, quàm verè & apertè bono: quandoquidem hîc homo; ibi Angelus, aut Deus ipſe ſit baptizaturus: Sacramento vtique, iuxta erroris Donatiſtici conſequentiam, tantò meliore, quantò ſanctior homine Angelus bonus, aut Deus eſt. Et cùm ſibi occulta ſuorum peccata præiudicare omninò nollent; neque iis vel ſe, vel Sacramenta ſua contaminari aut vitiari; totum nihilominùs terrarum orbem,ignotis,imò confictis Cæciliani criminibus, reum eſſe contendebant: pollui item & extingui apud omnes Sacramenta: nolentes equidem ſuffragari ceteris, quod ſibi ſufficere mordicùs volebant.

Atque hoc ſatis eſt ad refellendum proprium Donatiſtarum errorem. Generaliter enim, & contra Cypriani ſententiam, vnum ac breue, ſed inuictum argumentum eſt: quod Sacramenta ex Chriſti valeant inſtituto, non ex conferentium dignitate ac merito. In quibus perficiendis, manûs quidem illi ac linguæ miniſterium; ſed nudum ſolumque exhibent: Deus verò eſt, qui per Chriſti meritum ſpiritalem interiùs ſecretiuſque operetur effectum. Sic Sacramenta per ſe ſancta ſunt,vim ſanctificandi à Chriſto ſortita: cui obſtare non poteſt vlla miniſtrantium conditio aut qualitas. Nam ſicuti in Baptiſmo, de Chriſto veriſſimè dicitur: *Hic eſt qui baptizat.* per qualemcumque tandem miniſtrum, ſiue bonum,ſiue malum, ſiue hæreticum ſiue ſchiſmaticum, modò formâ legitimâque intentione vtatur; ita & in ceteris Sacramentis: vt nec melius ſit neque efficacius, quod per meliorem; nec deterius, quod ab improbo magis miniſtro collatum eſt. *libr.3.cont.Creſcon.cap.6.*

§. XIX.

Tertius Donatiſtarum error Capitalis proponitur & deſtruitur.

TErtium errorum caput erat, Perſecutio. Dicebant in primis, Neminem inuitum cogendum ad eam religionem eſſe, quam non probet. Hæreticorum nimirum commune dogma: ſed vti impium, ita errori obnoxium.

An enim quod verum rectumque eſt, nemo vmquam impugnat? An non magnoperè pertinet ad ſalutem, vt ſit ſana omnium de religione ſententia? Omninò, aiebant: dummodò neque ficta neque ſimulata ſit; non tam volentibus perſuadeatur, quàm imponatur nolentibus, & ab inuitis ſiue metu, ſiue terrore extorqueatur. Rectè. Neque enim aliud legibus agitur, quàm vt ex nolente voluntarius quiſque fiat: non, vt inuitus manens veritatem confiteatur, aliud pectore clauſum, aliud ore promtum gerens; ſed vt metu ſupplicioque admonitus, depoſitâ prauitate quod rectum eſt ſapiat, atque ex malo verè bonus reddatur. *l.2.cont. Petil.c.*84.

Quod cùm fieri vnicuique ſaluberrimum ſit atque iuſtiſſimum; quidni & reluctantes, malo quidem aliquo, ſed maiore tamen eorumdem bono, liceat adigere? Phrenetico quippè, vt ſanetur, manus alligamus etiam repugnanti: & lethargico non abſque moleſtiâ excutimus letiferum ſomnum. Iam quæ peior mors animæ, quàm libertas erroris? *Epiſt.*167. Nam de ereptâ liberi arbitrij poteſtate; communis eſt furibus, latronibus, & maleſanis omnibus querimonia.

Imperitiùs adhuc erat, quod ex dicto nunc principio colligebant: veriſſimam eam Chriſti Eccleſiam eſſe, eiuſque peculiares filios; perſecutionem quæ pateretur, non quæ faceret. *l.poſt Collat.c.*25.

Quaſi nimirum laudabiliter inferri, & perferri nequiter, perſecutio non poſſit. An enim luxurioſum filium non rectè pater ad frugem vitamque meliorem, minis & verberibus compellit? Qui ſi iuſtam perſequentis iram plagaſque ferre malit, quàm peſſimè deamatas voluptates relinquere; an ideo Eccleſiæ hic filius erit, pater non erit?

Quod,

Quod, ſi in flagitiis criminibuſque abſurdum eſt; cur non in hæreſi ac ſchiſmate, peccatis multò grauioribus?

Beatos quidem pronuntiat Chriſtus, qui perſecutionem patiuntur; ſed propter iuſtitiam. Refert prætereà plurimum, vbi perſecutionem quiſque patiatur. Nam ſi hæreticus aut ſchiſmaticus aliquis, pro Catholico dogmate fortaſſe, aut iuſtitiâ, quam tenere ſibi videatur, mortem etiam extra Eccleſiam appetat; non idcirco bonus extemplò Eccleſiæ filius, aut Chriſti Martyr futurus eſt, quemadmodum docere illos Cyprianus poterat. *l.1.Epiſt.1.l.2.Epiſt.8.l.4.Epiſt.2.* Non ergo nuda & ſimplex perſecutio, certa eſſe poteſt Eccleſiæ nota: quando & laudabiliter inferri à bonis, & nequiter ab obſtinatis perferri poſſit. Imò verò neque illaudabiliter, licet infructuosè tolerari queat, etiam ab iis, qui ſunt à Catholica Eccleſia alieni. videri poteſt *Epiſt.204.*

Sed hæc craſsè forſitan, atque imperitè dicta, deplorabantur in eis. iſtud erat immaniter nefarium, quòd excuſandi furoris ſui cauſsâ non vererentur adiungere: Ad euadendas perſequentium manus, fas eſſe ſibi mortem conſciſcere. Non ſic Chriſtus docuit, qui contra perſecutores, fugæ nobis, non mortis, præſidium reliquit: mortemque ab aliis, pietatis potiſſimùm intuitu illatam ſuſtineri fortiter iuſſit: ſed vt ſibi quiſquam inferret, nuſquam permiſit, imò vetuit etiam cùm dixit, Non occides. *Epiſt.61.*

Denique ſacrilegio plenum erat vltimum dogma: Pro Martyribus habendos colendoſque qui ſic fortiter oppetiiſſent. Non enim fortitudinis id, ſed eſt potiùs formidinis, atque impatientiæ indicium: adeoque non Martyres Chriſti ſunt, qui fieri hoc prohibet; ſed Satanæ, cui ſuggerenti nefariè obtemperant.

Haud defuere quidem inter Donatiſtas, qui hanc ſui perimendi inſaniam vehementer improbarent, aut improbare ſaltem videri vellent: vtque deinceps non fieret, Conciliis habitis vetitum eſſe dicerent: *l.3.cont.Creſc.cap.49.* ſed quorum verba adeo non conſentiebant cum iis quæ facere tum ipſi ſolebant, vt ad totius reliquæ multitudinis exemplum colerent tamquam Martyres, qui ſeipſos interemiſſent. Neque eos dumtaxat, qui inſtante iſtùc perſecutione videbantur adacti; ſed & eos è Circumcellionibus, qui poſt multam cum mulierculis, & ſanctimonialibus (quibus comitantibus per agros & villas, lymphatis ſimiles, vagabantur) crapulam & laſciuiam, de præruptis montium ſaxis præcipites ſe dabant. Quamobrem obiicit eis Auguſtinus

non ſemel, præcipitatorum vltrò cadauerum ſacrilegos cultus. *lib.*1. *cont.Petil.cap.*24.*Epiſt.*162. Certè Gaudentius præclaræ hoc mortis genus, Raziæ exemplo de libris Machabæorum, tueri non dubitauit. *l.* 1.*cont.Gaud.cap.*28. *& ſeqq.Epiſt.*61. ſicuti & eorum ſupplicia, qui pro violentiis ac latrociniis ſuis iuſtas legibus pœnas dediſſent.

Atque hi ferè ſunt Donatiſtarum errores, quibus non tantummodò ſchiſma cumularunt, verumetiam videri volebant adeo iuſtè inchoaſſe; vt ne propter eos quidem, licet graues admodum & pernicioſos, dici hæretici ſuſtinerent. *l.*2.*cont.Creſc.c.*4. Ioannes Damaſcenus, & eum ſecutus Theod. Balſamon, hunc eis quoque impingunt: vt neminem exiſtimarent ſanctorum myſteriorum fieri poſſe participem, niſi os manu tenens priùs id ſalutaret, quàm communicaret. Sed proculdubiò Hiſtoriæ ſunt ignoratione lapſi, ex priuato Lucillæ facto (de quo Optatus l.1.& nos ſuprà l.2.c.1.§.9.egimus) generale totius gregis dogma ſtatuentes. Ad Collationem redeamus.

§. XX.

Eccleſiam & Sanctam, & Catholicam eſſe.

CVm vti diximus ſuſtinerent Donatiſtæ, Eccleſiam malos permixtos habere non poſſe: ad Cypriani auctoritatem, l.3.Epiſt.3.ſibi à Catholicis obiectam, & Maximianiſtarum factum, quos cum honoribus & dignitatibus, abſque vlla luſtratione inter ſuos receperunt, nihilum reſpondere potuerunt. *Collat.*3.*c.*8.*l.poſt Collat.c.*29. Erant vtroque hoc ariete ad terram deiecti.

Quod perpendentes Patres in quinta Synodo, ex Actis Collationis recitarunt hoc fragmentum: Ex geſtis quæ apud Marcellinum V.Cl. » Tribunum & Notarium acta ſunt, c. CLXXXVII. Auguſtinus Epiſ» copus Eccleſię Catholicæ, dixit: Neque ſi mali ſunt, iudicanda eſt Dei » Eccleſia periiſſe. Sed tamen ipſorum cauſſam, tamquam fratrum no» ſtrorum ſuſcipimus: & ſi nobis oſtendi poterunt criminoſi, hodie illos » anathematizamus, non tamen propter illos Eccleſiam à Deo promiſ» ſam & exhibitam deſerimus aut relinquimus. *hæc ibi.* quæ totidem verbis continentur ſub eodem numero capitis, in Actis tertiæ Collat.

Verum-

Verumtamen nihil eſt,quod frequentiùs Auguſtinus exſequitur libris & Epiſtolis contra Donatiſtas. Atqui Donatiſtæ obtinebāt,quod etiamnum hodie hæretici: qui vt omnia miſceant, tranſiliunt inter diſputandum,intempeſtiuè admodum,ab ipsâ controuerſiâ, ad criminationem perſonarum. Nam quòd Pelagiani olim facerent idem; hæc in eos Auguſtini verba ſunt: Quod ad mores pertinet noſtros, quemadmodum viuamus, in promtu eſt eis,cum quibus viuimus. Nunc de Catholico agitur dogmate. *l.3. cont.Iul.ca.21.* Iulianus alioquin Auguſtinum taxarat,dixeratque Epicuri vias gradientem, habenas omnes,quibus cupiditates frænantur,incidere.

Poſtquam igitur,quæ iam diximus, taciti Donatiſtæ prætèriiſſent, & alia pleraque quæ vel non intellexerant,vel ne ab aliis intelligerentur, verbis ſuis obſcurare voluerunt: imò tandem aliquando compulſi eſſent fateri, contra Eccleſiam Catholicam,quæ toto terrarum orbe diffunditur,nihil ſe habere quod dicerent; (quia diuinis ſanctarum Scripturarum teſtimoniis oppreſſi erant, quibus Eccleſia deſignatur incipiens ab Hieruſalem creuiſſe per loca,in quibus Apoſtoli prædicauerunt , & nomina eorumdem locorum in ſuis Epiſtolis & Actis conſcripſerunt,& inde diffundi per ceteras Gentes; *Epiſt.152.*) voluit Cognitor, vt ea quæ Catholici recitanda dederant, ſimiliter legerentur.

Verùm intercedentibus Donatiſtis, ad eorum potiùs litteras reſponderunt,quas contra bonorum & malorum in Eccleſiâ permixtionem produxerant. Quod dum Catholici faciunt, & aduerſarios nequicquam obſtrepentes vrgent: eò tandem Catholicorum reſponſio euaſit, vt oſtenderent nihil inter ſe diſſidere Scripturas, quas pro Eccleſiæ ſanctitate, contra eius vniuerſalitatem, vt ſic loquar,Donatiſtæ protulerant: adeoque hâc ſaluâ & integrâ, bonis malos, vſque ad extremæ ſeparationis tempus, manere permixtos: in cælis tantummodò ſine rugâ & maculâ futuram. *Collat.3.cap.9.*

Quod tametſi iam demonſtratum liquidò eſſet; attamen reuoluentibus multa Donatiſtis,& inter alia: *Mundum non bene intelligi Eccleſiam, in qua ſimul & triticum & Zizania iuſſa ſunt creſcere*, & plura talia replicantibus quæ erant antè ſoluta: eò peruentum eſt, vt iam ſatis inſtructus Cognitor diceret, de iis quæ audiſſet, extremâ ſententiâ ſe iudicaturum: hoc interlocutus, vt ad primam Schiſmatis cauſſam ſermo decurreret. *Coll.3. cap 9. & 10.*

Sed hîc aduerſarij obſiſtere, dicentes: *Huius cauſſæ Chriſtum iudicem eſſe debere:* & inuidiam facientes Catholicis, *quòd hominem iudicem petiſſent.* At verò neque in cauſsâ Maximianiſtarum nuper hoc eos fiſcille, neque in Cæciliani, vt eas ſcilicet Chriſto iudici ſeruarent; ſidenter à Catholicis reſponſum eſt Hanc enim detulerunt ad Conſtantinum Imperatorem: illam ipſimet terminarunt.

Iſtud ridiculum, quod cùm perſecutionis procuratæ inuidiam à ſe Catholici amouerent, vbi Donatiſtarum Circumcelliones, ducibus Clericis, tam horrenda mala committerent, vt fidelium oculos calce & aceto excæcarent: dicerentque Donatiſtas hac crudelitatis inuentione ſuperaſſe Diabolum, qui, cùm à Deo poteſtatem in corpus Iob accepiſſet, non ei tamen oculos eruit: repoſuerunt Donatiſtæ, quod diabolum Catholici defendiſſent, quem conſtaret non ob aliud oculos huic Prophetæ reliquiſſe, quàm vt malorum omnium faceret teſtes: adeoque miſericorditer, quibus eruuntur, auferri, &c. *Collation.* 3. *cap.* 11.

Poſt hæc cùm protraheretur vltro citroque de perſecutionibus conflictatio; maluit Cognitor hæc omnia cohibere: promittens de his iudicium, poſteriore ſententiâ. Sic peracta eſt cauſſa Eccleſiæ, quam magnoperè Catholici curauerant à Cæciliani cauſsâ diſtinguere, quæ iam cœpit agitari. *ibidem.*

§. XXI.

Prima Schiſmatis cauſſa diſcuti cœpta.

Recitatæ ſunt igitur Anulini Proconſulis relationes ad Conſtantinum: quibus patuit Cæciliani per Donatiſtas accuſatio, & per eos quos Conſtantinus dederat cauſſæ Cognitores (puta Romanum & Arelatenſe Concilium) abſolutio. In quo cùm iudicij ordinem peruerti Donatiſtæ quererentur, ideo quòd Cæcilianum nondum à ſe accuſatum dicerent: reſponderent autem Catholici, plurimùm intereſſe vt fieret, ad cognoſcendam Petitoris perſonam; vt nimirùm appareret eos primitùs hominem iudicem poſtulaſſe: tandem Cognitori extorſerunt, vt, priuſquàm Acta Cæciliani abſoluerentur, legeren-

legerentur litteræ Menſurij, Cæciliani præceſſoris, ad Secundum Tigiſitanum: nec non litteræ Secundi Tigiſitani ad Menſurium, de quibus nos ſuprà *l.2. c.1. Aug. Coll. 3. c. 12. & 13.*

Quod dum fuiſſet executioni mandatum, tametſi ambæ litteræ nihil ad cauſſam pertinerent: cupientibus pergere Catholicis, in iis quæ antè legi cœperant; impetrarunt Donatiſtæ, vt priùs legeretur Concilium ferè ſeptuaginta Epiſcoporum contra Cæcilianum & Felicem eius ordinatorem, in quo vtriuſque crimina, quorum ſuperiori libro facta mentio eſt, continebantur. *Coll. 3. c.14.*

Sed contrà exhibuerunt Catholici Cirtenſe Concilium ſub Secundo Tigiſitano: è quo non ſolùm claruit, plures inter eos, qui Cæcilianum damnauerant, Traditores fuiſſe; verumetiam ipſum Secundum: eo enim fine erat Concilium iſtud à Catholicis productum, vt palàm eſſet, quales homines in abſentem Cæcilianum ſententiam dixiſſent. *Collat.3.c.15.* Reſponderunt deinde ad Carthaginenſe Concilium, quod erat à Donatiſtis productum, Non magis præiudicare Cæciliano, qui poſtea fuit abſolutus; quàm Concilium Maximianiſtarum præiudicarit Primiano, quem Donatiſtæ etiam poſtea abſoluerant.

Hîc cùm ſe Maximianiſtarum cauſsâ premi viderent Donatiſtæ; reſponderunt, *Nec cauſſam cauſſa, nec perſonam præiudicare perſona*: ſuo ſe nimirum gladio iugulantes: vt quibus poſtea, cùm Cæciliani criminibus totum mundum vellent aſpergere, & ſuam defendere ſeparationem; Catholici ſemper reſponderint: Nec cauſſa cauſſæ, nec perſona præiudicat perſonæ. *Coll. 3. c. 16.*

§. XXII.

Preſsi Donatiſtæ ſuis ſe telis induunt.

HIs enim pauciſſimis verbis totam Catholicorum cauſſam, quâ cum eis antè conflixerant, omninò inuictam eſſe firmarunt. Quid enim aliud agebamus, inquit Auguſtinus, tot teſtimoniis ſanctorum eloquiorum, tantâ auctoritate Prophetarum, Apoſtolorum, Epiſcoporum, ipſorumque aduerſariorum, demonſtrantes bonos à malis,

malis Sacramentorum communione non pollui, ſi corde, voluntate, moribus, operibus, diuerſas habeant cauſſas, gerantque perſonas? Quid enim aliud laborabamus, niſi vt appareret, Nec cauſſam cauſſæ, nec perſonam præiudicare perſonæ? Hoc ipſi breuiter, compulſi ſummâ neceſſitate, dixerunt: quia cùm à nobis diu diceretur, veritati cedere noluerunt. *l. poſt Collat. c.* 30.

Et aliubi: Multis quidem verbis ſuperfluis geſta onerauerunt: & quia non potuerunt efficere, vt cauſſa non ageretur; hoc fecerunt multum loquendo, vt quod actum eſt difficilè legeretur. Sed debent vobis etiam iſta eorum pauca verba ſufficere: ne propter neſcio quæ, neſcio quorum hominum crimina, oderitis vnitatem Eccleſiæ Catholicæ: quia ſicut ipſi dixerunt, relegerunt, ſubſcripſerunt: Nec cauſſa cauſſæ præiudicat, nec perſona perſonæ, inquit, *Epiſt.*152. *ad Cirtenſes.* Videri poteſt *l. poſt Collat. cap.* 2. *& ſeqq.* vbi validiſſimè Donatiſtas exagitat, hoc ſuometipſorum præiudicio.

§. XXIII.

Cauſſam peremtam fruſtrà Donatiſtæ erigere tentant.

VOlebant porrò Donatiſtæ, ex aliis eiuſdem Concilij Carthaginenſis Actis demonſtrare, damnatum fuiſſe Cæcilianum; ſed Catholici negarunt id inde confici poſſe, quandoquidem tota Cæciliani cauſſa fuerit per eos poſteà ad Imperatorem delata: adeoque ipſimet iudicauerint, Concilium iſtud ad eius damnationem non ſufficere. Quare legenda illa potiùs eſſe, & Cæciliani innocentiam luce clariùs apparituram.

Quod vt fieret, Donatiſtæ omninò nolebant: *Collat.*3.*c.*16. ſed aliam quæſtionem interpoſuerunt, conantes oſtendere, Cirtenſe Concilium à Catholicis ſuprà exhibitum, falſum eſſe. Primò, quòd Concilium illud habeat diem & Conſules: contra, vt aiebant, conſuetudinem Eccleſiaſticam. Secundò, quòd perſecutionis tempore non potuiſſet Concilium congregari: vide *l.* 1. *cont. Gaud. c.* 37. Quod vtrumque Catholici ſolventes; recitari interea iuſſerunt geſta apud Melchiadem

Melchiadem habita: quibus apparuit, omnium qui tunc conſederant Epiſcoporum ſententiis, & ipſius Melchiadis, Cæcilianum abſolutum atque purgatum: Donatum à Caſis nigris, qui præſens fuerat, damnatum. *Coll. 3. c. 17.*

Ad quod proinde tum Donatiſtæ conuerſi, ipſum Melchiadem cœperunt crimine Traditionis arguere, & dicere, Maiores ſuos propterea illius iudicium refugiſſe, quòd Traditor fuiſſet. Quod iuſſi probare, futiles reperti ſunt. *Ibid. c. 18.*

Tum recitato iudicio Imperatoris Conſtantini pro Cæciliano, in quo & fiebat mentio, Cæcilianum in conuentu Arelatenſi ſimiliter fuiſſe abſolutum; interrogauit Donatiſtas Cognitor, quid contrà dicerent? Libenter tenuiſſent, *Imperatorias aures prauis ſuggeſtionibus fuiſſe inflatas*: niſi reſpondiſſet Cognitor, ſe attentiſsimè aduertiſſe inter partes fuiſſe iudicatum: ſicuti, dum illis exigentibus & annuente Cognitore iudicium relegitur, clariſſimè conſtitit.

Ergò ne prorſus obmuteſcerent, cœperunt de Conſule, memoratis Imperialibus litteris calumniari, *quod ſine Conſule fuerant recitata*: vbi tamen anteà Concilium Cirtenſe, quod à Catholicis proferebatur, repudiare ipſi voluiſſent, quia Conſulem habebat. Verumtamen Cognitor interlocutus eſt, euidentiſſimis legibus definitum, Imperialia Conſtituta, etiamſi Conſules non legerentur, in dubium non vocari. *Coll. 3. c. 19.*

Interim feruente conflictatione, in aliâ chartâ illarum Imperialium litterarum inuentus eſt Conſul: quod cùm eſſet ſuggeſtum, Donatiſtæ dixerunt: Certè Conſulem habere non debuit. *Ibid. c. 20.*

§. XXIV.

Iterum iterumque concidunt.

HInc igitur repulſi, velut aliquid validiſſimum prolaturi, petierunt Optatum legi: vnde ſe probaturos dicebant, Cæcilianum ab Imperatore damnatum. Cuius cùm contrarium potiùs inter lectionem Optati appareret, Cæcilianum videlicet omnium in Concilio Romano Epiſcoporum ſententiis, innocentem eſſe pronuntiatum;

Donatiſtæ dixerunt, *hoc ſe non petiſſe recitari*: ſtomachantes aduerſus eos, qui riſum tenere non potuerant, cùm audiſſent quàm apertam contra ſemetipſos paginam protuliſſent. *Ibid. c.*20. *l. poſt Collat. cap.*31. Sed quia ipſe riſus non potuit ab exceptoribus excipi; verbis ſuis apud Acta riſos ſe eſſe teſtati ſunt. *Epiſt.*152.

Etenim cùm Catholicorum riſum veluti reprehendere volentes dixiſſent; *Audiant qui riſerunt*: lectus eſt Cognitoris iuſſu paullò altiùs Optatus: qui cùm nihil ampliùs ſcripſiſſet, quàm Cæcilianum bono pacis Brixiæ detentum; iis verbis damnationem eiuſdem contineri volebant, ſed quam Optatus extenuaſſet, imò exprimere noluiſſet: qui nihilominus apertiſſimè ſcripſerat, Cæcilianum fuiſſe purgatum. *l. poſt Coll. c.*31.

Vt dicamus interim quod res eſt, aliud intendebant Donatiſtæ, aliud ridebant Catholici. Hi exultabant legi in Optato, purgatum fuiſſe Cæcilianum, licet id minimum ſpectaret ad iudicium Conſtantini, de quo apud Optatum nihil exſtat: illi verò cupiebant inde demonſtrare damnatum, quòd bono pacis Brixiæ detentum Optatus ſcripſiſſet. Quod etſi profectò ſonet, aliam retentionis, quàm damnationis cauſſam fuiſſe, quod Catholici opponere debuiſſent; attamen neglectâ dialecticâ fortaſſe nodum, quod friuolus eſſet, riſu potiùs ſcindere, quàm reſponſione ſoluere maluerunt.

Hîc iam Petilianus, perpetuâ vocis exercitatione laſſus, impedimento raucedinis agere ſe non poſſe dixit. *Act. Coll.* 3. *c.* 541. Verùm interlocutus eſt Cognitor, cùm ſeptem adſtarent, de vnius defectu querelam eſſe non poſſe. *Ibid. c.* 543.

Iuſſi itaque à Cognitore proferre, ſi quid haberent contra iudicium Conſtantini pro Cæciliano; petiuerunt recitari ſupplicem libellum, Conſtantino à Maioribus ſuis oblatum. Quo libello tantùm abeſt vt probauerint aliquid; quin potiùs apertiſſimè monſtrauerunt, quàm falſum dixerint de damnatione Cæciliani apud Brixiam. *Collat.* 3. *c.* 21. Hiſtoriam ſuprà retulimus, l. 2. c. 3. §. 6. quæ cùm reperiri repetique abſque maiori moleſtia queat, non duximus geminandam.

Quapropter cùm Catholici dixiſſent, hoc eos contra ſemetipſos recitaſſe: dum videlicet Cæcilianum, quem à Conſtantino condemnatum probare vtique volebant, ipſius Conſtantini dicebant Antiſtitem: idemque ipſe Cognitor eſſet interlocutus; *Coll.* 3. *c.* 22. protulerun

tulerunt litteras eiuſdem Conſtantini ad Verinum Vicarium datas, vbi eos grauiter deteſtatur, ac propterea dicit de exilio relaxandos, & furori ſuo dimittendos : quia iam Deus cœperat in illos vindicare.

Verumtamen illis etiam Imperatoris litteris confirmauerunt ſe falſum dixiſſe, quod Cæcilianus ab Imperatore damnatus ſit : cùm potiùs Imperator ipſos à Cæciliano victos eſſe monſtrauerit, quando eos vehementer execratus, ideo iuſſit vt de exilio dimitterentur, vt à Deo iudice ſicut iam cœperant punirentur. *Collat. 3, c. 22. Epiſt. 152. l. poſt Collat. c. 31.*

Quod cùm Catholici aduertiſſent, imò Cognitor etiam fuiſſet interlocutus; contendebant Donatiſtæ, liberum ſaltem arbitrium earum ſibi litterarum auctoritate permittendum. Sed cùm Cognitor aliud ſibi eſſe à præſentis temporis Imperatore præceptum reſpondiſſet; ierunt in aliud, quod contra ſe itidem protulerunt. *Coll. 3. c. 22.*

§. XXV.

Denuò lapſi, tandem condemnantur.

Recitarunt litteras Conſtantini Imperatoris ad Probianum Proconſulem, abſque Conſulum notâ, quod antea reprehenderant.

His litteris iubebatur ad Comitatum Ingentius mitti, cuius confeſſione, in iudicio Proconſulis Æliani, Felix Aptungenſis, Cæciliani ordinator, à Traditionis crimine fuerat abſolutus. Conficiebant ex eis, cauſſam Cæciliani vſque ad Ingentij aduentum indeciſam manſiſſe: adeoque non ita habere vt Catholici dixerant, Cæcilianum antea à Conſtantino fuiſſe abſolutum. Atqui recitatis ipſius Conſtantini ad Probianum litteris, aliud omninò conſtitit. *Coll. 3. c. 23.*

Opportunitate hâc arreptâ, Catholici recitandam protulerunt ipſius Æliani Proconſulis relationem ad Conſtantinum : quâ ſe cauſſam Felicis audiſſe & finiſſe commemorat, aliaque quibus innocens comprobatus Felix, abſolutus eſt. Quod vbi actum fuit, interogauit Cognitor, quid contrà Donatiſtæ haberent? Qui cùm nihil profer-

rent, præter caducum iſtud de Ingentio : rogantes demonſtrari, quid poſtea eſſet geſtum : & arguentes Proconſularia geſta, tamquam gratiâ Iudicis, vel corruptelâ perſonarum infecta, & cetera quæ ſolent homines contra ea quibus vincuntur, ſuſpicioſâ querimoniâ iactitare; cùm reſponderent Catholici, firmam permanere vtriuſque Cæciliani & Felicis abſolutionem : quam contra ſi quid haberent, proferrent : *Collat. 3. c. 24.* idemque Cognitor vrgeret; cùm non ceſſarent Donatiſtæ, eadem ſæpiùs repetere atque reuoluere, neque nouum aliquid producerent: Catholici verò vt omnibus iam auditis, Cognitor ferret ſententiam : iuſſis ſecedere partibus, poſtquam vtique ſubſcripſiſſent (quod tandem Donatiſtæ ex pacto facere compulſi ſunt; *l. poſt Coll. c. 11.*) ſententiam ſcripſit, quam intromiſſis rurſus partibus recitauit : *Confutatos à Catholicis Donatiſtas, omnium documentorum manifeſtatione*, pronuntians. *Collat. 3. c. 25.*

§. XXVI.

Actorum Collationis auctoritas.

ET hoc quidem Collationis vniuerſæ breuiarium eſt, ex Auguſtini Breuiculo deſumtum : quo breuiter commemorauit quæ geſta ſunt, litteriſque comprehendit, ſecundùm tres dies, quibus cum Donatiſtis Catholici contulerant. *l. 2. Retr. c. 39.*

Sanè quod attinet id opus, fatetur Auguſtinus ſatis ſibi operoſum fuiſſe: cùm videret neminem ſe velle tanto aggeri litterarum legendo committere. *Epiſt. 158.* Donatiſtæ enim, qui cauſſam bonam non ſe habere ſciebant; id egerant primùm quantum potuerant, vt ne ipſa Collatio fieret, & vt prorſus cauſſa ipſa non ageretur. Sed quia hoc obtinere minimè potuerunt; id effecerant multiplicitate geſtorum, vt, quod actum erat, non facilè legeretur. *Præfat. Coll. 1.*

Tantæ interim auctoritatis olim hæc geſta fuiſſe refert Auguſtinus, vt ſolita fuerint annis ſingulis, apud diligentiores celebrioreſque Eccleſias, per dies ieiunij Quadrageſimalis (quando ieiunante populo plus vacabat audire) vniuerſa per ordinem de loco edito recitari, nominatim Carthagine, Conſtantinæ, Tagaſtæ & Hippone: quod

vt

vt etiam in Cæſarienſi Mauritaniæ Eccleſiâ fiat, Deuterium eius loci Epiſcopum obſtringit. *l. de Geſt. cum Emer.*

Et licet eo tempore diligentiſſimè excepta, conſcripta, collataque forent, ac ſubſcriptionibus partis vtriuſque munita: imò verò Marcellino mortuo, cùm de eorum robore dubitari à quibuſdam cœpiſſet, Honorius editâ lege, quæ extat Cod. Theod. l. 16. tit. 5. l. 55. rata firmaque eſſe iuſſiſſet (dum Iuliano Proconſuli ſcribens, ait: Notione & ſollicitudine Marcellini ſpectabilis memoriæ viri, contra Donatiſtas geſta ſunt ea, quæ tranſlata in publica monumenta, habere volumus perpetuam firmitatem. Neque enim morte Cognitoris, perire debet publica fides. Dat. III. Kalend. Septemb. Romæ, Conſtantio & Conſtante Coſſ.) adeoque diuulgata & ad Orientales Eccleſias transfuſa ſint, vt patet ex iis quæ ſuprà citauimus ex Actis Conſtantinopolitani Concilij ſecundi, quod Iuſtiniani Imperatoris tempore coiit: edacis tamen æui iniuriâ periiſſent, niſi præterito ſeculo Franc. Balduinus bonam eorum partem beneficio Ioann. Tilij Epiſcopi Meldenſis aſſecutus, poſt editam in lucem Carthaginenſis Collationis Hiſtoriam, edere pariter ſtatuiſſet; ſed morte prohibitus, eam ſpartam reliquiſſet Pap. Maſſono: qui eadem Angeli Vergetij Græci hominis, ſed Latinè doctiſſimi, operâ reproducta, typis mandari curauit, Anno Domini 1588. ſed magnâ ſui parte ad calcem mutila.

In horum igitur locum, Auguſtini quam diximus Breuiculus ſiue Epitome ſucceſſit: de qua ſcribens ad Bonifacium Africæ Comitem, Quemadmodum, inquit, in ipſa Collatione omnibus modis victi ſunt Donatiſtæ, quoniam valde prolixa ſunt geſta, & tibi aliis rebus Romanæ paci neceſſariis, occupato, multum eſt vt legantur; Breuiarium eorum tibi legi forſitan poterit, quod credo habere fratrem & Coëpiſcopum meum Optatum: aut ſi non habet, poteſt facillimè accipere de Eccleſiâ Sitifenſi, quando liber iſte iam ſuâ prolixitate curis tuis forſitan onerosus eſt. *Epiſt.* 50.

§. XXVII.

Collationis fructus.

PRonuntiatâ contra Donatiſtas ſententiâ, Marcellinus, licet fidem eis publicam ſeruari iuſſerit, quâ tutò domos quiſque ſuas repetere poſſet; attamen, non poſſe diutiùs ſe differre legum contra eos latarum executionem, profeſſus eſt: iubens idcircò vt eorum cœtus diſſoluantur, & Baſilicæ quas occupauerant, Catholicis reſtituantur. Meminit huius Poſſidius, qui rebus interfuit, dum ait, Donatiſtas ſententiâ Cognitoris notatos eſſe: & poſt eorum appellationem, vti mox dicemus, piiſſimi Regis reſponſo iuſtè inter hæreticos eſſe condemnatos. *cap.* 13.

Porrò quis Collationis fructus fuerit, idem Poſſidius prodit, dum per eam potiſſimùm effectum ait, vt palmam Deus Auguſtino dederit: & indies augeretur pacis vnitas, & Eccleſiæ confraternitas, & multi Donatiſtarum Epiſcopi ad pacem Catholicam redierint, & quiduis eo nomine à Donatiſtis paſſi ſint. *Poſſid c.* 13.

Idem Auguſtinus confirmat, vbi de hac Collatione loquens: Donatiſtas, inquit, in nomine Chriſti, in gremium Catholicum magnâ iam ex parte ſuſcepimus: ita vt penè omnes communioni Catholicæ ſociatos eſſe gaudeamus. *l. de Geſt. cum Emer.* Hos inter fuere Circumcelliones quamplurimi, vt videri poteſt *l.* 1. *cont. Gaudent. c.*29. *&* *Epiſt.* 50. Sed quoniam plures eorum inſanabiles erant, vti paullò pòſt dicemus, quibus nihil adeò Collatio profuit, vt etiam reddiderit duriores; dicendum de Donatiſtis, quod de Luciferianis eorum propè ſociis, Hieronymus ait: Vinci poſſe, perſuaderi non poſſe. *Dial. cont. Lucifer. in fine.*

Etenim qui omni rationis præſidio deſtituti, tam turpiter victi damnatique fuerant; haud acquieuêre iudicio Marcellini, ſed ab eo appellauere, calumniantes iudicem à Catholicis fuiſſe corruptum: ſicuti olim, cùm ad Conſtantinum duorum Conciliorum ſententiâ damnati prouocaſſent, & is Cæcilianum quoque abſoluiſſet, damnaſſetque Donatum; cauillati ſunt corruptum fuiſſe Imperatorem. Plura deinde alia, magiſque friuola aggeſſerunt: de quibus erit opportunior poſtea dicendi locus.

CAPVT

CAPVT XIII.

QVÆ POST COLLATIONEM EVENERVNT.

§. I.

Librorum de Ciuitate Dei occaſio.

EOdem hoc Anno, ſub ipſum Collationis tempus (vt apparet *Epiſt.* 102.) inchoauit Auguſtinus opus illud celeberrimum, cui titulum fecit, De Ciuitate Dei. Occaſionem Roma dedit, cuius euerſionem, Gothorum ſub Rege Alarico agentium irruptione anno præterito factam, deorum multorum falſorumque cultores, quos vſitato nomine Paganos vocamus, in Chriſtianam religionem referre conantes, ſolitò acerbiùs & amariùs Deum verum blaſphemare cœperant.

Vnde exardeſcens ipſe zelo domûs Dei aduerſus Paganorum blaſphemias vel errores, libros de Ciuitate Dei conſcripſit, in vniuerſum viginti duos. Qui tametſi duarum ciuitatum, quarum vna eſt Dei, altera huius mundi, exortum, excurſum, debitoſque fines contineant, nominatim duodecim poſtremi; titulum tamen à meliore acceperunt, vt de Ciuitate Dei potiùs vocarentur. Hoc opus per aliquot annos eum tenuit, eo quòd multa alia intercurrerent, quæ differri non poterant, eùmque priùs ad ſoluendum occupabant. *lib.*2. *Retract. cap.* 43.

Sanè cùm tribus prioribus libris de Ciuitate Dei, duos alios paulò pòſt addidiſſet; quibus quinque ſatis diſputarat aduerſus eos, qui propter præſentis vitæ felicitatem Deos colendos putabant, eamque felicitatem à Chriſtianis impediri opinantes, Chriſtiano nomini infeſti erant: deinceps agere inſtituit aduerſus eos, qui propter vitam poſt mortem futuram, neceſſarium exiſtimabant cultum deorum ſuorum, propter quam vitam nos Chriſtiani ſumus. *Epiſt.* 102. Dum igitur primis

mis decem libris, hoc agit, aliis duodecim iſtud quod diximus, duarum ſcilicet ciuitatum, exortum excurſum & fines: conſtat vtique, quod & quale ſit omnium argumentum.

§. II.

Paganorum vanitas, Romæ excidium in Chriſti cultum referentium. Barbaricæ ibi continentiæ exemplum.

SEd quis interim non videt, quanta fuerit iſta Paganorum temeritas, vt Romanæ vrbis cladem transfunderent in Chriſtianos, quia veri Dei cultum falſorum numinum ſacris prætuliſſent. Quidquid enim vaſtationis, trucidationis, deprædationis, concremationis, afflictionis, in iſta recentiſſimâ Romanâ clade commiſſum eſt; fecit hoc conſuetudo bellorum. Quod autem nouo more factum eſt, quod inuſitatâ rerum facie immanitas barbara tam mitis apparuit, vt ampliſſimæ Baſilicæ implendæ populo, cui parceretur, eligerentur & decernerentur, vbi nemo feriretur, vnde nemo raperetur; quò liberandi multi à miſerantibus hoſtibus ducerentur: hoc Chriſti nomini, hoc Chriſtiano tempori tribuendum quiſquis non videt, cæcus; quiſquis videt nec laudat, ingratus; quiſquis laudanti reluctatur, inſanus eſt. Abſit vt prudens quiſquam, hoc feritati imputet Barbarorum. Truculentiſſimas & ſæuiſſimas gentes ille terruit, ille frænauit, ille mi-
Pſ. 88. rabiliter temperauit, qui per Prophetam tantò antè prædixit: Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum: miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis. *l.1.de Ciuit. Dei c.7.*

Atque his inter alia profectò reſponſum eſt eis, qui hæc bella quibus mundus iſte conteritur, maximeque Romanæ Vrbis recentem à Barbaris vaſtationem, Chriſtianæ religioni tribuebant, quâ prohibentur nefandis ſacrificiis ſeruire dæmonibus: cùm potiùs hoc deberent tribuere Chriſto, quod propter eius nomen, contra inſtitutum moremque bellorum, eis, quò confugerent, religioſa & ampliſſima loca Barbari libera præbuerunt: atque in multis famulatum debitum Chriſto,

Chriſto, non ſolùm verum, ſed etiam timore confictum, ſic honorauerunt; vt quod in eos belli iure fieri licuiſſet, illicitum ſibi eſſe iudicarent. *l. 2. de Ciuit. Dei. c. 2.*

Huiuſce rei vnicum tantummodò exemplum adſcribam ex Oroſio. Diſcurrentibus, inquit, per vrbem Barbaris, fortè vnus Gothorum, idemque potens & Chriſtianus, ſacram Deo virginem, iam ætate prouectam, in quadam Eccleſiaſticâ domo reperit. Cumque ab eâ aurum argentumque honeſtè expoſceret; illa fideli conſtantiâ, apud ſe eſſe plurimum, & mox proferendum ſpopondit ac protulit.

Dumque expoſitis opibus, attonitum Barbarum magnitudine & pondere ac pulchritudine, ignotâ etiam vaſorum qualitate, intelligeret Virgo Chriſti, ad barbarum ait: Hæc Petri Apoſtoli ſacra miniſteria præſume, ſi audes. De facto tu videris. ego quia defendere non valeo, neque tenere audeo.

Barbarus verò ad reuerentiam religionis, timore Dei, & fide virginis motus; ad Alaricum hoc per nuntium retulit. Qui continuò reportari ad Apoſtoli Baſilicam, vniuerſa vt erant vaſa imperauit. Virginem etiam, ſimulque omnes qui ſe adiungerent Chriſtianos, eodem cum defenſione deduci. Ea domus à ſanctis ſedibus longo (vt ferunt) & medio interiectu vrbis aberat. Itaque magno ſpectaculo omnium, diſpoſita per ſingulos ſingula, & ſuper capita elata, palàm aurea atque argentea vaſa portantur: exſertis vndique ad defenſionem gladiis pia pompa munitur. Hymnus Deo, Romanis Barbariſque concinentibus, publicè canitur. Perſonat latè in excidio vrbis, ſalutis tuba: omneſque etiam in abditis latentes inuitat ac pulſat. Concurrunt vndique ad vaſa Petri, vaſa Chriſti: plurimi etiam Pagani Chriſtianis, profeſſione, ſi non fide admiſcentur: & per hoc tamen ad tempus, quò magis confundantur, euadunt. Quantò copioſiùs aggregantur Romani confugientes; tantò auidius circumfunduntur Barbari defenſores. O ſacra & ineffabilis diuini iudicij diſcretio! &c. *l. 7. cap. 39.*

§. III.

Alarici irruptio, opus Diuinæ miſericordiæ.

IAm, ſi Rhadagaiſus, Gothorum item Rex, adeò Paganus, vt Ioui aliiſque Diis, quotidie immolaret, qui paullò antè (anno videlicet 406.) agmine ingenti & immani, in vrbis viciniâ conſtitutus, Romanis ceruicibus imminebat: ſi ille inquam tam impius, cum tantis & tam impiis, Romam fuiſſet ingreſſus; cui (inquit Auguſtinus) pepercíſſet? quibus honorem locis Martyrum detuliſſet? in qua perſona Deum timeret? cuius non ſanguinem effuſum, cuius pudicitiam vellet intactam? Quas autẽ iſti pro Diis ſuis voces haberent? *&c.*

At verò vno die tantâ celeritate ſic victus eſt, vt ne vno quidem non dicam extincto, ſed nec vulnerato Romanorum, multò amplius quàm centum millium proſterneretur eius exercitus: atque ipſe cum filiis mox captus, pœnâ debitâ necaretur. Cùm nihilominus Deus ſtatuiſſet, irruptione Barbarorum grauiore, dignos mores hominum caſtigare: indignationem ſuam tantâ manſuetudine temperauit; vt Rhadagaiſum primò faceret mirabiliter vinci, ne ad infirmorum animos euertendos gloria daretur dæmonibus, quibus eum ſupplicare conſtabat: deinde cùm ab Alarico Roma caperetur, qui contra omnem conſuetudinem bellorum antè geſtorum, ad loca ſancta confugientes Chriſtianæ religionis reuerentiâ tueretur: ipſiſque dæmonibus, atque impiorum ſacrificiorum ritibus, de quibus Rhadagaiſus præſumſerat, ſic aduerſaretur pro nomine Chriſtiano, vt longè atrociùs bellum cum eis, quàm cum hominibus gerere videretur: ita verus Dominus gubernatorque rerum, & Romanos cum miſericordiâ flagellauit, & tàm incredibiliter victis ſupplicatoribus dæmonum, ſaluti rerum præſentium neceſſaria non eſſe illa ſacrificia monſtrauit. *l.* 5. *de Ciuit. Dei c.* 23. videri etiam poteſt. *ſerm.* 29. *de verb. Dom. cap.* 9. *&* 10.

§. IV.

§. IV.

Operi de Ciuitate Dei finis impoſitus, quando?

CEterum ſi diligenter inquiramus, quo tandem anno ſupremam manum huic operi de Ciuitate Dei impoſuerit Auguſtinus; deprehendemus vndetrigeſimum fuiſſe huius ſæculi: quia à Conſulatu Manlij Theodori, qui incidit in annum CCC. XCIX. vſque ad id tempus quo ſcribebat, numerat annos fermè triginta. *l.* 18. *de Ciuit. Dei cap. vlt.*

Quo interim tempore libros de Ciuitate Dei inchoauerat, quintumque compleuerat, dictauit etiam trium Pſalmorum Expoſitioné, nõn paruis voluminibus: Sexageſimi ſeptimi: Septuageſimi primi: Septuageſimi ſeptimi. reliqui nondum tractati neque dictati, vehementer tum etiam exſpectabantur, atque flagitabantur. *Epiſt.* 102.

Neque enim labore continuo Pſalmos expoſuit; ſed pro occaſione, nunc hunc, nunc illum: quorum deinde collatæ expoſitiones, in vnum volumen compactæ ſunt.

§. V.

De Collatione edoctus à Marcellino Imperator, leges contra Donatiſtas condit.

QVidquid Collatione geſtum fuerat, cùm Marcellinus Cognitor ad Honorium Imperatorem retuliſſet; inſequente Anno, Marcellini ſententiam Imperatoria Lex conſecuta eſt, data Rauennæ Kalendis Februarij, Honorio IX. & Theodoſio V. Auguſtis Coſſ. ad Seleucum Præfectum Prætorio. *l.* 52. *de hæret. Cod. Theod.*

Hâc Lege, diuerſis pœnis Donatiſtas multauit. Ac primum Eccleſias, earumque bona, indulgentiâ Principis, anno ſuperiori priuſquàm

Collatio ſumeret initium, ad demulcendos eorum animos, permiſſas, Catholicis reſtitui mandauit. Laïcos pecuniariis pœnis, pro conditione cuiuſque, puniuit: Clericis exilium irrogauit; eiſque Legata, Eccleſiæ Catholicæ deberi præcepit.

Ad hanc legem, reſpicere videtur Auguſtinus dum ait: Quidquid nomine Eccleſiarum partis Donati poſſidebatur, Chriſtiani Imperatores legibus religioſis ad Catholicam tranſire iuſſerunt. *Epiſt.* 50. Et quod ſpectat irrogatum exilium: Mitiora, inquit, in vos conſtituit Imperator, propter manſuetudinem Chriſtianam: exilium vobis voluit inferre, non mortem. Sed vos homines docti, conſiderantes quid debeatur merito, & quid minus ſit in ſupplicio; non de iudicio illius, ſed de veſtro additis mortem. *l.* 1 *cont. Gaud. c.* 19. Alludens ad conſuetudinem Donatiſtarum, quâ, legibus repreſſi, ſpontaneas ſibi mortes conciebant: quod poſt Collationem facere ſignanter conatus eſt Donatus Presbyter Mutugennenſis, tametſi non habuerit furor hominis ſucceſſum: quem ab errore, præclaris litteris Auguſtinus ſollicitè liberare tentauit. *Epiſt.* 204.

Ad hanc Legem referendum quoque eſt, quod Donatiſtas poſt Appellationem, piiſmi Regis reſponſo inter hæreticos condemnatos eſſe, ex Poſſidio ſuprà retulimus.

§. VI.

Neque Collatione, neque Legibus emendati Donatiſtæ.

SEd vti Collatio non omnibus; ita neque Leges, pœneque profuerunt. Teſtatur Auguſtinus tantam quorumdam duritiam fuiſſe, vt dicerent ſe inde non receſſuros, etiam demonſtratâ ſibi Catholicâ veritate, & Donatiſtarum peruerſitate. *Epiſt.* 158.

Atque hinc Circumcelliones, & Clerici nonnulli partis Donati, priſtino furore & rabie inſani, in diœceſi Hipponenſi Reſtitutum Presbyterum Catholicum, exceptum inſidiis trucidarunt: vti & Innocentium Presbyterum è domo raptum, oculo effoſſo, digitoque amputato, truncauerunt. *Epiſt.* 159.

Marcelli-

Marcellinus Tribunus, cui cauſſæ Eccleſiaſticæ erant iniunctæ, habitâ in reos quæſtione moderatâ; non extendente equuleo, non ſulcantibus vngulis, non vrentibus flammis, ſed virgarum verberibus (qui modus coërcitionis & à magiſtris Artium liberalium, & ab ipſis parentibus, & ſæpe etiam in iudiciis ſolet ab Epiſcopis adhiberi) confeſſionem ſcelerum eruerat. *Epiſt.* 159. Nihil reſtabat, quàm vt cenſeret tantâ legum ſeueritate reos plectendos, vt, qualia fecerant, talia paterentur. *eâd. Epiſt.* Idem porrò viſum iri Donato Proconſuli, pronum erat formidare: quamquam eſſet Chriſtianus, &, quantum aduerti poterat, non ad hæc cruenta procliuis. *Epiſt.* 158.

§. VII.

Auguſtinus pro Donatiſtis intercedit: Acta tamen iudicialia publicari petit.

AVguſtinus autem, cui non placebant atrocia vlla, præcipuèque mortis ſupplicia, inſtanter admodum per litteras apud Marcellinum, Donatum, & Apringium iudicem (ſub cuius ſecuris iura rei venturi erant) egit inſtantiſſimè: vt pœna ſanè illorum, quamuis de tantis, quæ iam retulimus, ſceleribus confeſſorum, & propter conſcientiam ſuam, & propter Catholicam manſuetudinem commendandam, intra mortis ſupplicium conſiſteret. *Epiſt.* 158. 127. *&* 160.

Non quò ſceleſtis hominibus, inquit, licentiam facinorum prohibeamus auferri: ſed hoc magis ſufficere volumus, vt viui & nullâ corporis parte truncati, vel ab inquietudine inſanâ ad ſanitatis otium, legum coërcitione dirigantur; vel à malignis operibus, alicui vtili operi deputentur. *Poſt pauca*: Imple, Chriſtiane iudex, pij patris officium: ſic ſuccenſe iniquitati, vt conſulere humanitati memineris: nec in peccatorum atrocitatibus exerceas vlciſcendi libidinem, ſed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem, &c. *Epiſt.* 159. *ad Marcellin.*

Apringium verò iudicem affatur his verbis: De vobis quidem dixiſſe Apoſtolum legimus, quod non ſine cauſſa gladium geratis; & miniſtri Dei ſitis, vindices in eos qui malè agunt. ſed alia cauſſa eſt

Prouinciæ, alia Eccleſiæ. Illius terribiliter gerenda eſt adminiſtratio: huius clementer commendanda eſt manſuetudo, &c. *Epiſt.* 160. *Paullò poſt*: Contende ergo bonitate cum malis. Illi ſcelere immani, membra de corpore viuo auulſerunt: tu opere miſericordi effice, vt illa quæ nefandis operibus exercebant, alicui vtili operi integra eorum membra deſeruiant, &c. *ead. Epiſt.*

Pro iiſdem Donatum, Proconſulem Africæ, ita rogat: Vnum eſt quod in tua iuſtitiâ pertimeſcimus, ne fortè, quoniam quidquid mali contra Chriſtianam ſocietatem ab hominibus impiis ingratiſque committitur, profectò grauius & atrocius eſt quàm ſi in alios talia committantur; tu quoque pro immanitate facinorum, ac non potiùs pro lenitatis Chriſtianæ conſideratione cenſeas coërcendum: quod te per Ieſum Chriſtum ne facias, obſecramus. Neque enim vindictam de inimicis in hac terrâ requirimus: aut verò ad eas anguſtias animi nos debent coarctare quæ patimur, vt obliuiſcamur quid nobis præceperit, pro cuius veritate ac nomine patimur, qui diligimus inimicos noſtros, & oramus pro eis. *Epiſt.* 127.

Potiſſima cur ſic inſtaret, cauſſa erat, quòd nollet paſſiones Seruorum Dei, quæ prodeſſe debent ad exempla patientiæ, quaſi vice talionis, paribus ſuppliciis vindicari. *Epiſt.* 158. *&* 160. Quapropter ſi nec litteris ſuis Proconſul conſenſerit; rogat, vt ſaltem hoc præſtet, vt in cuſtodiam recipiantur rei: impetraturum ſe de clementiâ Imperatoris, ne paſſiones Seruorum Dei, quæ debent eſſe in Eccleſia glorioſæ, inimicorum ſanguine dehoneſtentur. Sciebat enim in cauſſa Clericorum Anaunenſium (qui occiſi à Gentilibus Anno 400. tunc Martyres honorabantur) Imperatorem rogatum, facilè conceſſiſſe, ne illi qui eos occiderant, & capti iam tenebantur, pœnâ ſimili punirentur. *Epiſt.* 158.

Et hoc quidem à Proconſule, per Marcellinum deſiderabat impetrare: ab ipſo verò Marcellino exigit Auguſtinus, vt Acta publica, quæ erant ſuper confeſſis Donatiſtarum criminibus digeſta, populo exponerentur, ad eorum ignominiam & confuſionem, dum ait: Geſta, quæ promiſit Præſtantia tua, vehementer exſpecto, & in Eccleſiâ Hipponenſi iamiam cupio recitari, ac ſi fieri poteſt, per omnes Eccleſias etiam in noſtrâ diœceſi conſtitutas: vt audiant homines, pleneque agnoſcant confeſſores iniquitatis, non Dei timore extorquente pœnitentiam, ſed iudiciariâ diligentiâ crudeliſſimorum pectorum aperiente

riente duritiam: ſiue illorum, qui de homicidio & de excæcato ac debilitato Presbyteri corpore, confeſſi; ſiue, &c. *Epiſt.* 158.

Agens enim paullò pòſt de publicatione eorumdem Actorum per Marcellinum faciendâ, inquit: Quod ſcripſit Eximietas tua, dubitare te, vtrum in Theopropiâ (locus vt videtur, vnde ſolebant Edicta Imperatoria promulgari) debeas eadem Geſta iubere proponi; fiat, ſi poteſt illuc frequens confluere multitudo. Alioquin alius locus celebrior prouidendus eſt, non tamen vllo modo prætermittendum. *eâd. Epiſt.*

Nam quantâ impudentiâ, nullâque ſuæ dignitatis habitâ ratione, Donatiſtæ graſſarentur; aperit Auguſtinus iiſdem litteris, dum ait: Modò Macrobius Epiſcopus eorum, ſtipatus cuneis perditorum vtriuſque ſexûs, hâc atque illâc circumiit, aperuitque ſibi Baſilicas, quas poſſeſſorum quantuluſcumque timor clauſerat. *Et paucis interiectis*: Cum ipſo etiam eſt ille Donatus, Diaconus rebaptizatus: qui cum fuerit colonus Eccleſiæ, verſatus eſt in illâ cæde præcipuus. *Epiſt.* 158.

Sed non potuit tanta criminum enormitas Chriſtianam Auguſtini manſuetudinem, quæ omnem animi turbulentiam præueniebat, expugnare.

§. VIII.

De lenitate iudicum, conſilium Auguſtini.

CVm verò non vnus modò Auguſtinus, ſed alij quoque Eccleſiæ Catholicæ Antiſtites, ſolerent nonnumquam pro facinoroſis, vltimo ſupplicio afficiendis, apud Iudices intercedere; Macedonius, & ipſe iudex ius gladij habens, eumdem Auguſtinum per litteras interrogauit, Vtrum ſit acquieſcendum precibus Epiſcoporum, reis pœnam dimitti poſtulantium: præſertim ſi probabiliter coniici poſſit, eoſdem in deterius prolapſuros? *Epiſt.* 53. Cui non minori ſanè elegantiâ, quàm vbertate, reſpondit. *Epiſt.* 54. declarans, ſacerdotes piè intercedere pro promittentibus pœnitentiam Eccleſiaſticam: quin & profani iudicis ſeueritatem clementiâ temperatam eſſe debere.

Adhæc eiuſdem Macedonij lenitatem in promulgandis aduerſus Dona-

Donatiſtas Edictis vehementer commendat, dum eum refert (ad illos in vnitatem Chriſti pacemque redigendos) ſic eſſe præfatum : Pro vobis hoc agitur , pro vobis Sacerdotes incorruptæ fidei : pro vobis Imperator Auguſtus, pro vobis nos quoque eius iudices laboramus: & alia multa, quæ in eodem Edicto ita poſuiſti, vt te appareat in terreni iudicis cingulo , non parua ex parte cæleſtem Rempublicam cogitare. *Epiſt.* 52. *ad Macedonium.*

Atque ita per id tempus non Epiſcopis tantùm , ſed Iudicibus etiam commendata lenitas fuit, maximè in hæreticis puniendis: adeoq; non fruſtrà ab ipſis Donatiſtis prædicata beatæ memoriæ Genethlij Epiſcopi (Carthaginenſis, ante Aurelium opinor) manſuetudo: quòd neſcioquam conſtitutionem datam contra illos compreſſerit, & effectum habere non ſiuerit. *Epiſt.* 163.

CAPVT XIV.

PELAGIANÆ HÆRESIS INCREMENTVM.

§. I.

Pelagius in Africam venit.

HÆreſes ſuas dum Romæ Pelagius cum Celeſtio ita diſſeminat, vt iam in publicum earum peruerſitas non dubio rumore dimanaret; ſuperueniens, vt paullò antè diximus, ab Alarico Vrbis excidium, ambos hæreſiarchas in Africam fugauit.

Et quidem Pelagius tum Hipponenſi littore exceptus eſt, Auguſtino abſente: ſed cuius poſtmodum faciem ſemel atque iterum vidit, quando curâ Collationis, quam erant Catholici cum hæreticis Donatiſtis habituri, occupatiſſimus fuit. *l. de Geſt. Pel. c.* 22.

§. II.

§. II.

Celeſtij Carthagine doctrina.

INterea Celeſtius, Magiſtro ſuo tantò apertior & liberior, quantò pertinacior, doctrinæ ſuæ hæreſeoſque virus ſpargere Carthagine cœpit: ob quod omnis ibi Eccleſia diſputationibus agitabatur. Vix dubitem occaſione vſum fuiſſe, quæ rebus Donatiſticis Epiſcopos omnes implicauerat.

Erant hæc eius dogmata, ſicuti ab Auguſtino referuntur: Adam mortalem factum: qui ſiue peccaret, ſiue non peccaret, moriturus eſſet: quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum. Quod Lex ſic mittit ad regnum, quemadmodum Euangelium: quoniam ante Aduentum Chriſti fuerunt homines ſine peccato. Quoniam infantes nuper nati, in illo ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante præuaricationem. Quoniam neque per mortem, vel præuaricationem Adæ, omne genus humanum moriatur: neque per reſurrectionem Chriſti, omne genus hominum reſurgat. *l. de Geſt. Pel. c.* 11.

§. III.

Damnatus cum Pelagio Celeſtius Africâ excedit.

VT verò talia maiori auctoritate & pondere, auribus omnium animiſque Celeſtius inculcaret; ad Presbyterij gradum clàm ſurrepere conabatur: feciſſetque, niſi vnus præcipuè obſtitiſſet Paullinus nomine: qui Chriſtianâ fiduciâ, ad Epiſcoporum Carthagine iudicium hominem ſuſpectæ doctrinæ detulit.

Res acta coram Aurelio, aliiſque Africæ Epiſcopis, Auguſtino abſente: cuius Synodi vt geſta perierint; fragmentum tamen aliquod exſtat ab Auguſtino citatum, *l.* 2. *de pecc. Orig. cap.* 2. *&* 3. vt qui nimirum

ea,cùm veniſſet Carthaginem,geſta recenſuerit : *l.de geſt. Pel.cap.11.* eo demum ſucceſſu,vt à Concilio Epiſcoporum damnatus Celeſtius,reportaret dignam ſuâ peruerſitate ſententiam , quam alibi Excommunicationem appellat. *l.de geſt. Pel.c.22.l.2. Retract.c.33.*

Ita Carthagine pulſus,ſed nihilo melior effectus(magis enim conuictus, inquit Auguſtinus , & ab Eccleſia deteſtatus , quàm correctus & paratus abceſſit: *Epiſt.89.*) in Siciliam,vbi à biennio circiter Ruffinus Celeſtianorum dogmatum delineator ſatis conceſſerat , veniſſe putatur.

§. IV.

Pelagianam hæreſin ſcriptis oppugnat Auguſtinus.

TAntùm verò abfuit , vt fugatus ex Africâ Celeſtius , vnaque profectus inde Pelagius , priſtinam religionis doctrinæque pacem Africæ reſtituerint ; vt quotidianis omnia quæſtionibus perſtreperent:& Marcellinus in primis (vir non tantummodò prudens & induſtrius, vt conſtat ex iis quæ retulimus; ſed animi religioſi: nec iuris ſolùm,ſed omnium bonorum ſtudiorum appetentiſſimus , vt teſtatur Oroſ. *l.7.cap.42.*) Pelagij Celeſtiique aſſeclas,moleſtiſſimos quotidie diſputatores pateretur.

Is Auguſtinum ſcriptis litteris compellauit: qui perinde neceſſitate coactus fuit , cóntra Pelagianam hæreſin ſcribere : quam priùs , cùm opus fuerat, non ſcriptis,ſed ſermonibus & collocutionibus, quilibet ibi Epiſcoporum oppugnarat,prout debebat & poterat. *libr.2.Retract. cap.33.*

Sanè cum poſt damnatum Celeſtium , vt diximus , Carthaginem veniſſet Auguſtinus, & recenſuiſſet ea , quæ contra illum geſta ibi antea fuerant; Aurelio iubente, in Baſilicâ Cathedrali , manu geſtans Epiſtolam glorioſiſſimi Martyris Cypriani,& de hac re verba eius recitans atque pertractans , ſermonem habuit , vt error iſte nefarius de quorumdam cordibus auferretur: *l.de geſt.Pel.cap.11.* quod & reipsâ factum fuiſſe, teſtatur *Epiſt.89.q.3. ante fin.* Exſtat ille ſermo *de verb.Apoſtoli*

ſtoli 14. Carthagine habitus. Videri & alij poſſunt, *l. de Continent. c. 14. homil. 23. inter 50. c. 6. ſerm. 49. de Temp. c. 5. & c.*

Porrò quæſtiones quas Marcellinus miſerat, erant ipſa puncta hæreſeſque Celeſtij, ſuper quibus Auguſtinum interrogandum duxerat. Videlicet.

I. Vtrum ſic creatus fuerit Adam, vt etiam ſine peccati merito moreretur, non pœnâ culpæ, ſed neceſſitate naturæ? *l. 1. de peccat. mer. & rem. cap. 2. & ſeqq.*

II. Vtrum ex eius peccato quidquam ad eius poſteros propagando tranſierit, quod Sacramento Baptiſmi foret diluendum? *eod. l. cap. 10. & ſeqq.*

III. Vtrum poſſit, vel vtrum ſit, fuerit, futuruſve ſit homo ſine peccato in hac vitâ, excepto illo qui dixit: Ecce venit Princeps mundi, & in me nihil inueniet? *eod. l. cap. 39.*

Has igitur quæſtiones Auguſtinus vt ſcribendo diſſolueret, ſcripſit primùm Libros tres: quorum titulus eſt, De peccatorum meritis & remiſſione. Vbi maximè de Baptiſmo diſputatur paruulorum, propter Originale peccatum: & de Gratiâ Dei, quâ iuſtificamur, hoc eſt iuſti efficimur: quamuis in hac vitâ nemo ita ſeruet mandata iuſtitiæ, vt non ſit ei neceſſarium, pro ſuis peccatis orando, dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.* Contra quæ omnia ſentientes Pelagiani, nouam hæreſin condiderant. *l. 2. Retract. cap. 33.*

Tertio libro, reſpondet argumentis Pelagij contra Peccatum Originis: quæ in expoſitionibus breuiſſimis Epiſtolarum Apoſtoli Paulli Pelagio auctore, legerat. *libr. 3. de peccat. mer. cap. 1. v. Caſſiodor. lib. de diuin. Lect. cap. 8.*

§. V.

Pelagij & Celeſtij nomina adhuc premit.

IN his autem Libris, tacenda adhuc arbitratus eſt nomina eorum, ſic eos faciliùs poſſe corrigi ſperans: *l. 2. Retract. cap. 33.* quinimò non obſcurè laudat, cùm ſint caſtâ, ait, vitâ, moribuſque laudabiles: nec

dubitent facere quod illi diuiti, pro conſequendâ vitâ æternâ, conſilium requirenti, aſſerentique ſe iam omnia Legis impleſſe mandata, præcepit Dominus, Si vellet eſſe perfectus, venderet omnia quæ haberet, & daret pauperibus, theſaurumque transferret in cælum. *l.2. de peccat. mer. & rem. cap.16.*

Hinc & in tertio eiuſdem argumenti libro (quæ eſt Epiſtola, ſed in Libris habita, propter duos quibus eam connectendam putauit) Pelagij ipſius nomen non ſine laude aliquâ poſuit, quia vita eius à multis prædicabatur: *l.2. Retract. cap.33.* appellauitque virum ſanctum, & non paruo prouectu Chriſtianum. Denique cum aduertiſſet, quòd Pelagius non omninò aſſereret Animam eſſe ex traduce; vocat eum virum circumſpectum: vt qui rectiſſimè de re tam obſcurâ, de quâ nulla in Scripturis ſanctis certa & aperta teſtimonia poſſumus inuenire aut difficillimè poſſumus, cunctanter loquatur potiùs quàm fidenter. *l.3. de pecc. mer. & rem. cap.1. 3. & 10.*

§. VI.

Celeſtius in Siciliâ.

ALlatus in Siciliam Celeſtius, turbare mox inſulam cœpit nouitate doctrinæ. Cuius rei certior mox redditus ab Hilario Auguſtinus; quæ circa Celeſtium euenerant Carthagine, compendio admonuit: coactum nimirum confiteri propter baptizandos paruulos, quod & ipſis redemtio ſit neceſſaria: & quamquam ibi noluerit de Originali peccato aliquid expreſſius dicere; tamen ipſo redemptionis nomine, non parum ſibi præſcripſiſſe, &c. *Epiſt.89. qu.3. ante fin.*

Cumque eaſdem propè quæſtiones, quas Marcellinus propoſuerat, (imò quas Hieronymo Cteſiphon in Oriente) Hilarius ſoluendas exhibuiſſet; accuratiſſimè ad omnes Auguſtinus reſpondit. *Epiſt.89.* niſi quod plures adhuc accumulat è turbido Pelagij lacu, *Epiſtolâ 88.*

§. VII.

§. VII.

In Palæſtinâ Pelagius.

DVm in Sicilia tantiſper Celeſtius obhæret: vbi,vt veriſimile eſt, breues definitiones iſtas, vel potiùs ratiocinationes conſcripſit, ob quas dicebatur ſuis,per Syllogiſmorum ſpineta decurrere;quasque Auguſtinus libro de Perfectione iuſtitiæ, petentibus Eutropio & Paullo Epiſcopis, poſtea diſſoluit: dum,inquam,ibi obhæret; Pelagius in Palęſtinam euaſit.

Hic dum paria cum Celeſtio, vel peiora etiam facit; litteras ad Auguſtinum ſcripſit, adulationis plenas: magnoperè prædicans raras animi dotes virtutesque,quibus erat inſtructus, ac præcipuè iuſtitiam:eo arbitror fine, vt virum, cuius ingenium ſtilumque formidabat, in ſuas partes his artibus pelliceret. Fortè enim ſciebat, ſicuti à Paullino olim, ita ab Auguſtino nunc, in pretio ſe haberi, vt videre eſt. *Epiſt.* 106. *in princip.*

Vtut eſt, Pelagij litteris haſce repoſuit Auguſtinus: *Domino dilectiſſimo & deſideratiſſimo fratri Pelagio, Auguſtinus in Domino ſalutem. Gratias ago plurimùm, quod me litteris tuis explorare dignatus ſis, & certum facere de ſalute veſtra. Retribuat tibi Dominus bona, quibus ſemper ſis bonus: vt cum illo æterno viuas in æternum, Domine dilectiſſimè & deſideratiſſimè frater. Ego autem etſi in me non agnoſco præconia de me tua, quæ tuæ benignitatis Epiſtola continet; beneuolo tamen animo erga exiguitatem meam ingratus eſſe non poſſum: ſimul admonens vt potiùs ores pro me, quò talis à Domino fiam, qualem me iam eſſe arbitraris.* Et aliâ manu. *Memor noſtri incolumis Deo placeas, Domine dilectiſſime & deſideratiſſime frater.* Libro *de geſt. Pel. cap.* 26.

Atque hæ Auguſtini litteræ ſunt, quas, triennio circiter poſtquàm datæ fuerant, non abſque ambitione, in Synodo Dioſpolitanâ Pelagius produxit, vt impietatem ſuam hâc veluti laruâ obtegeret: quas tamen exponendo poſtea, Auguſtinus, declarauit non alio fine fuiſſe ſcriptas,quàm vt ab errore Pelagium reuocaret.

CAPVT XV.

AVGVSTINI MODESTIA, MINIME OMNIVM PHILODOXI.

§. I.

Scribit ad Voluſianum & Marcellinum, laudeſque ſuas reiicit.

Anno 412. INter hæc apparet ſcripſiſſe Auguſtinum, Epiſtolas duas, non breues, vt ait: vnam ad Marcellinum, alteram ad virum illuſtrem Voluſianum: *Epiſt.* 158. ſuntque in Epiſtolarum ordine (admodum certè inordinato) tertia, & quinta.

Erat Voluſianus ſummo loco natus, Melaniæ iunioris ſiue patruus ſiue auunculus: Marcellino per id tempus Carthagine familiaris, quo in Africam proficiſcente, Voluſiani mater obnixè ab eo contendit, daret operam vt Auguſtinus illic ſcriptis ſuis ac doctrinâ (toto iam orbe celebratis) filium Voluſianum ad amplexandam fidem Chriſtianam adduceret: vtpotè iam vergentem in ſenectam, atque Apollonij Thyanæi & Appuleij magorum, aliorumque Philoſophorum, hactenus ſtudioſum.

Quàm verò nihil huius materni deſiderij, tum operæ Marcellini, & Voluſiani capacitatis, neglexerit Auguſtinus, vt eum (quod tandem effectum eſt, *Baron. anno Dom.* 420.) ad Chriſti fidem adduceret; citatis antè litteris conſtare poteſt: quarum vnam eliciens ἐγκλήμασι Auguſtini Marcellinus, rurſus expetebat, vt huic obiectioni reſpondeat: Cur ſub Chriſtianis Principibus, tot tantaque mala Romanum Imperium inuaſerint? *Epiſt.* 4. quæſtionem nimirum, quam tum Auguſtinus libris de Ciuitate Dei, Marcellino inſcriptis, ſtrenuè agitabat.

Et licet tanti fecerit Voluſianus Auguſtinum, vt diceret, equidem non immeritò: *Vtcumque abſque detrimento cultûs diuini, in aliis Sacerdotibus*

bus toleratur inſcitia: at cum ad Antiſtitem Auguſtinum venitur; Legi deeſt, quidquid contigerit ignorari: ideoque famæ ipſius intereſſe, vt reſpondeat: *Epiſt.* 2. Ipſe tamen humillimus, neque ſolitus flare inanes glorias, reſcribens rogauit, vt hanc de ſe opinionem facilè præſumptam Voluſianus deponat: cumque animum quamuis erga ſe beneuolentiſſimum, ſoluat atque exuat: neque, ſi dilectionis vicem rependat, magis vlli alteri, quàm ſibi de ſe credat. *Epiſt.* 3.

§. II.

Idem facit Epiſtolâ ad Audacem.

EXſtant ſanè plura eiuſcemodi animi demiſſionis in Auguſtino teſtimonia: cuius eſt nihilominus rara concordia cum eruditione tam excellenti.

Atque inter alia, cùm Audax, vir nec mentis, vt apparet, neque oris inops, Auguſtinum (flagitâs eius ſcripta) ita affatus eſſet: *Theſaurum ſapientiæ deſideraui, ſed minùs accepi quàm volui. licet minùs non debet dici, ſed munus, quod Oraculum legis contulerit Auguſtinus, ſacrator iuſtitiæ, inſtaurator ſpiritalis gloriæ, diſpenſator ſalutis æternæ*; Epiſt. 139. Reſpondit Auguſtinus: Theſaurum ſapientiæ te deſideraſſe dixiſti, ſed minùs accepiſſe quàm voluiſti, cùm ego ex illo theſauro mendicabundâ prece quotidianam ſtipem rogem, vixquè impetrem. Oraculum autem Legis quomodo ſum, de cuius latis atque abditis penetralibus neſcio longè plura, quàm ſcio: eiuſque multiplices ſinus opacoſque receſſus adire ac penetrare non valeo ſicut volo, & me non aliud quàm minùs dignum eſſe cognoſco? Porrò ſacrator iuſtitiæ quis ego, cui me ſacratum eſſe permagnum eſt? Iam verò quod inſtauratorem ſpiritalis gloriæ me appellas, da veniam; multum cui loquaris ignoras. ipſe quippè adhuc in hâc gloriâ ſic inſtauror, vt de die in diem non ſolùm quantum accedam, ſed vtrum omnino aliquid accedam, latére me fatear. Diſpenſator planè ſalutis æternæ, cum cæteris innumerabilibus conſeruis meis ſum, &c. *Epiſt.* 140.

§. III.

§. III.

Item Epiſtolâ ad Darium.

DArius Comes, vir nobiliſſimus, luculentâ Epiſtolâ comiter Auguſtinum laudauerat. *Epiſt.263.* Tanto in ſe tanti viri & Chriſtiano affectui, eleganter comiterque ſuas repoſuit Auguſtinus: & poſtquàm oſtendit, quatenus accipiendæ ſint laudes, vt nulli ſiue vitio, ſiue vituperio ſint obnoxiæ; ſubiungit, humilitatis vtique indicio non paruo: Sume itaque, fili mi, ſume vir bone, & non in ſuperficie, ſed Chriſtianâ charitate Chriſtiane: ſume inquam libros, quos deſideraſti, Confeſſionum mearum: ibi me inſpice, ne me laudes, vltrà quàm ſum. ibi non aliis de me crede, ſed mihi: ibi me attende, & vide quid fuerim in meipſo per meipſum: & ſi quid in me tibi placuerit; lauda ibi mecum, quem laudari volui de me: neque enim me; quoniam ipſe fecit nos, & non ipſi nos, nos autem perdideramus nos, ſed qui fecit, refecit. Cum autem ibi me inueneris; ora pro me ne deficiam, ſed perficiar: ora fili, ora.

Sentio quid dicam, ſcio quid petam: non tibi videatur indignum, & quaſi vltra merita tua. Fraudabis me magno adiutorio, ſi non feceris non ſolùm tu, ſed etiam omnes qui ex ore tuo me dilexerint. Orate pro me: hoc eis, me petiuiſſe indica: & ſi multum nobis tribuitis, iuſſiſſe nos exiſtimate quod petimus: & tamen date petentibus, vel obtemperate iubentibus: Orate pro nobis. *Epiſt.264.*

§. IV.

Ad Macedonium.

MAcedonius, Iudex Cæſareus, quantoperè afficeretur Auguſtini ſapientiâ, teſtantur hæc eius verba de Libris quibuſdam quos ad eum Auguſtinus miſerat: *Explicui tuos libros: (neque enim tam languidi aut inertes erant, vt me aliud quàm ſe curare paterentur) iniecerunt manum,*

erep-

ereptumq́, aliis ſollicitudinum cauſis, ſuis vinculis illigauerunt. Ita enim mihi Deus propitius ſit, vt ego anceps ſum, quid in illis magis mirer; Sacerdotij perfectionem, Philoſophiæ dogmata, Hiſtoriæ plenam notitiam, an facundiæ plenam iucunditatem: quæ etiam imperitos ita illicere poteſt, vt donec explicent, non deſiſtant; & cum explicauerint, adhuc requirant. Epiſt. 51.

Hos libros, fuiſſe primos quinque de Ciuitate Dei, ſi quis attentè Macedonij litteras perpendat; poterit haud de nihilo ſuſpicari.

Sed Macedonio non benignè magis, quàm humiliter, reſpondit Auguſtinus: Quamuis ſapientiam quam mihi tribuis, in me non agnoſcam; tantæ tamen erga me beneuolentiæ tuæ, tamque ſinceræ, gratias ago debeoque plurimas: & meorum ſtudiorum labores tali ac tanto viro placuiſſe, delector. Multò verò ampliùs, quòd animum tuum charitate æternitatis & veritatis, atque ipſius charitatis affectum diuinæ illi cæleſtique reipublicæ, cuius regnator eſt Chriſtus, agnoſco inhiantem, video propinquantem, eiuſque potiundæ amplector ardentem. *Epiſt.* 52.

§. V.

Ad Ianuarium.

IAnuarius etiam, quia *nihil Auguſtinum latêre* exiſtimabat, pluria eum interrogauerat. Cumque prolixè ſatis, duobus libris ad ipſius interrogationes Auguſtinus reſpondiſſet, ſubdit denique: Hæc tibi, ſi ſatis eſſe ad ea quæ requiſiſti, nòn putaueris; nimis ignoras & vires, & occupationes meas.

Tantùm enim abſum ab eo, quod putaſti nihil me latere; vt nihil in Epiſtolâ tuâ legerim triſtius, quia & apertiſſimè falſum eſt; & miror quia hoc te latet, quod non ſolùm in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, ſed etiam in ipſis ſanctis Scripturis multò neſciam plura, quàm ſciam. *Epiſt.* 119. *cap.* 21.

§. VI.

Multa à ſe ignorari affirmat: atque inter hæc Animæ originem.

QVænam autem iſta ſint, non puduit eum clarè nonnumquam & ſignatè confiteri. Nam cùm ait Apoſtolus, *Siue Sedes, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates*: eſſe quidem Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates in cæleſtibus apparatibus, firmiſſimè credo, inquit, & differre inter ſe aliquid, indubitatâ fide teneo. Sed, quò me contemnas quem magnum putas eſſe Doctorem, quænam iſta ſint, & quid inter ſe differant, neſcio. Nec eâ ſanè ignorantiâ periclitari me puto, ſicut inobedientiâ, ſi Domini præcepta neglexero. *l ad Oroſ. cap.* 11. *l. Enchirid. cap.* 57.

Licet deinde perſuaſum habuerit, animam hominis immortalem & incorpoream eſſe: *l.4. de orig. an. c.* 12. omni præterea animæ, etiam paruuli infantis, neceſſariam eſſe liberationem ex obligatione peccati; eamque nullam eſſe, niſi per Ieſum Chriſtum, & hunc Crucifixum; attamen Animæ originem (licet eò propendeat quod Hieronymus ſentiebat, ſingulas animas ſingulis naſcentibus facere Deum) à ſe quærentibus fatebatur, ſicut multa alia, & hoc ſe ignorare. *Epiſt.* 28.

Qua in re, cùm idem ſæpenumerò repetiſſet; *Epiſt.* 7. 99. *&* 157. grauiter offendiſſe viſus eſt apud Vincentium Victorem, Laicum, iam tum iuuenem; (de quo nos ſuprà lib. 2. cap. 8. §. 5.) qui nihilominùs ipſe non tantummodò imperitè, verum impiè etiam de Animæ origine ſentiebat. *l.3. de orig. anim. c.2. & l.4. cap.* 1.

Vincentius ergo cùm ſcire vellet, quod ſe neſcire toties Auguſtinus faſſus erat, puta Animarum originem, quæ pòſt primum hominem datæ ſunt, vel dantur hominibus; licet in principio libri ſui, ſe imperitiæ ſuæ admodum conſcium, & doctrinæ adminiculo deſtitutum dixiſſet; attamen non tantùm ſenem iuuenis, & Epiſcopum Laicus, verumetiam hominem ſuo iudicio doctiſſimum & peritiſſimum non dubitauerat reprehendere.

Sed manſuetè reſpondit & humiliter Auguſtinus: Ego me doctiſſimum

mum ac peritiſſimum, neſcio: imò verò me non eſſe, certiſſimè ſcio. Et fieri poſſe non ambigo, vt aliquid imperito & indocto cuipiam ſcire contingat, quod aliquis doctus & peritus ignorat. Et in hoc te planè laudo, quod veritatem, etſi numquam percepiſti, certè quam putaſti, homini prætuliſti: ideo quidem temerè, quia exiſtimaſti ſcire te, quod neſcis; ſed ideo liberè, quia perſonam non veritus, elegiſti aperire quod ſentis. *l.4. de Orig. An. c 1.*

Porrò autem cum ſuam ipſi Vincentio Victori ineptiam demonſtraſſet, vt qui neſciret quomodo ſoleat vtrem homo inflare; (quem naturâ ipſius hominis exiſtimabat inflari, & naturam hominis inde nihil minus habere: quem errorem Auguſtinus confutauerat *l.3.c.4.*) ſubdit denique: Quomodo tibi committam, vt me doceas de origine Animarum, quod me neſcire confiteor; qui, quod tuis naribus atque ore ſine intermiſſione facis, vnde facias ignorabas? Et poſt pauca:

Proinde ignorantiam meam de Origine Animarum, te corripientem atque obiurgantem non moleſtè ferrem; imò inſuper & gratias magnas agerem: ſi eam mihi non ſolùm duris percuteres conuitiis, ſed veris etiam excuteres dictis. Si enim me poſſes docere quod neſcio; non ſolùm te verbis, ſed & pugnis cædentem deberem patientiſſimè ſuſtinere. *l.4. de Orig. Anim. cap.3.*

§. VII.

Doceri ſenex à iuuene cupit.

AVxilius Epiſcopus, ſed ætate iuuenis, Claſſicianum virum ſpectabilem, ob culpam (quæ ſi erat, ſola erat Claſſiciani) cum omni domo ſuâ, anathematis ſententiâ percuſſerat. A quo interpellatus Auguſtinus, ſcripſit ad Auxilium, vt ſi haberet de hac re ſententiam certis rationibus vel Scripturarum teſtimoniis exploratam; docere ſe quoque dignetur, quomodo rectè anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti vxor; aut pro Domini, ſeruus; aut quiſquam etiam in domo nondum natus, ſi eodem tempore quo vniuerſa domus eſt anathemate obligata, naſcatur, nec ei poſſit per lauacrum regenerationis in mortis periculo ſubueniri.

Id enim præterquam quod Scripturis aduerſari videatur, quas citat; numquam ſe auſum facere teſtatur, tametſi de quorumdam facinoribus aduerſus Eccleſiam perpetratis grauiſſimè permoueretur. Verumtamen ſi tibi, quàm iuſtè fiat (Auxilium alloquitur) Dominus reuelauit; nequaquam iuuenilem ætatem tuam, & honoris Eccleſiaſtici rudimenta contemno. En ad ſum: ſenex à iuuene coëpiſcopo, & Epiſcopus tot annorum à collegâ necdum anniculo, paratus ſum diſcere: quomodo vel Deo vel hominibus iuſtam poſſimus reddere rationem, ſi animas innocentes pro ſcelere alieno, ex quo nontrahunt ſicut ex Adam (in quo omnes peccauerunt) originale peccatum, ſpiritali ſupplicio puniamus. *Epiſt.75.*

Etenim ob hanc cauſſam fiebat, vt, quid alij ſentirent in re difficili, libenter exquireret, ſuo numquam ingenio præfiſus. Atque hinc inſtitit apud Paullinum, vt paullò vberius exponeret, quomodo diuinæ voluntati humana ſubdatur: *Epiſt. 65.* fateturque in Expoſitione loci cuiuſdam ſancti Paulli, malle ſe audire intelligentiores atque doctiores, quàm aperire quid ſentiat. *l.de fid: & oper.cap.16.*

§. VIII.

Interrogantem ſe, ipſe interrogat.

INter ceteras quæſtiones quas Auguſtino per Epiſtolam ſoluendas proponit Euodius, vna eſt: Quomodo eſſet intelligendum, quod in Epiſtolâ ſuâ dicit Apoſtolus Petrus, de Chriſto: *Mortificatus carne, viuificatus ſpiritu: in quo & eis qui in carcere erant ſpiritibus, veniens prædicauit:* hoc inferens quod in inferno fuerunt, & deſcendens Chriſtus omnibus Euangelizauit, omneſque à tenebris & pœnis per gratiam liberauit. *Epiſt.98.* Huius difficultatis angulos poſtquàm Auguſtinus diligenter admodum rimatus eſſet, nihil alicubi temerè pronuntians, propter loci ipſius obſcuritatem; per *mortuos* autem quibus euangelizatum eſſe Petrus ait, infideles & iniquos intellexiſſet, iuxta illud, *Dimitte mortuos vt ſepeliant mortuos ſuos;* denique ſubiungit:

Hæc Expoſitio verborum Petri, cui diſplicet; vel cui etiamſi non diſplicet, non tamen ſufficit; quærat ea ſecundum inferos intelligere.

Qui

Qui ſi valuerit illa, quibus me moueri ſuprà commemoraui, ita ſoluere, vt eorum auferat dubitationem; impartiat & mihi. *Epiſt.99.* Nam priùs in capite Epiſtolæ ſuæ dixerat: Quæſtio quam mihi propoſuiſti ex Epiſtola Apoſtoli Petri, ſolet nos (vt te latere non arbitror) vehementiſſimè commouere, Quòmodo illa verba accipienda ſint tamquam de inferis dicta. Replico ergó tibi eandem quæſtionem: vt ſiue ipſe potueris, ſiue aliquem qui poſſit inueneris; auferas de illá atque finias dubitationem meam. *ibid.*

Non enim pudebat eum, vndecumque poſſet, addiſcere aliquid. Vnde & quæſtionibus Dulcitij reſpondens: Quod attinet, inquit, ad quæſtionem Reſurrectionis, propter illos qui creduntur non eſſe morituri, ſed ex hac mortalitate ad immortalitatem ſine morte mediâ tranſituri; inquiſitio diligentior adhibenda eſt: &, ſi quid hinc abſolutum ac definitum diſputatione rationabili atque perfectâ vel audiſti, vel legiſti; vel etiam ipſe adhuc audire, aut legere, aut excogitare potueris: peto mihi mittere non graueris. Ego enim, quod confitendum eſt charitati tuæ, plus amo diſcere, quàm docere, &c. *lib. de quæſtionib. Dulcitij, qu.3.* quod idem repetit in fine libri.

§. IX.

Mauult diſcere, quàm docere.

IPſius iterùm verba ſunt: Credant qui volunt, malle me legendo, quam legenda dictando, laborare. Qui autem hoc nolunt credere, experiri autem & poſſunt & volunt; denique legendo vel meis inquiſitionibus reſpondeant, vel interrogationibus aliorum, quas (pro meâ perſonâ quam in ſeruitio Chriſti gero, & pro ſtudio quo fidem noſtram aduerſum errorem carnalium & animalium hominum munire inardeſco) neceſſe eſt me pati: & videant, quàm facilè ab iſto labore me temperem, & quanto etiam gaudio ſtilum poſſim habere feriatum. *Proœm. ll. de Trinit.*

Hinc in omnibus litteris ſuis, non ſolùm pium Lectorem, ſed etiam deſiderabat liberum correctorem: Quamquàm ſicut Lectorem meum, inquit, nolo mihi eſſe debitum; ita correctorem nolo ſibi. Ille

me non amet ampliùs, quàm Catholicam fidem: ille ſe non amet ampliùs, quam Catholicam veritatem. Sicut illi dico, Noli meis litteris quaſi Scripturis Canonicis inſeruire: ſed in illis, & quod non credebas, cùm inueneris incũctanter crede; in iſtis autem quod certum non habebas, niſi certum intellexeris, noli firmiter retinere: Ita illi dico, Noli meas litteras ex tuâ opinione vel contentione, ſed ex diuinâ lectione vel inconcuſsâ ratione corrigere. Si quid in eis veri comprehenderis, exiſtendo non eſt meum: at intelligendo & amando, & tuum ſit & meum. Si quid autem falſi conuiceris; errando fuerit meum: ſed iam cauendo, nec tuum ſit, nec meum. *eod. loco.*

§. X.

Exiſtimat, multa à ſe tradita culpari poſſe.

NEque enim negare debeo, ſicut in ipſis moribus, ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quæ poſſint iuſto iudicio & nullâ temeritate culpari; dicebat Vincentio Victori ſcribens: *lib. 4. de Orig. Animæ c. 1.* ad Simplicianum vero: Siue in iis, quibus me exercere benignè paterneque voluiſti: ſiue in aliis, quæcumque noſtra in tuas ſanctas manus fortè peruenerint: quia ſicut Dei data, ſic etiam mea errata cognoſco; non ſolùm curam legentis impendas, ſed etiam curam corrigentis aſſumas. *Epiſt. proœm. ll. ad Simpl. T. 4.*

Ego quippè fateor, me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt. Vnde ſi aliquid vel incautiùs vel indoctiùs à me poſitum eſt, quod non ſolùm ab aliis qui videre id poſſunt, meritò reprehendatur, verum etiam à me ipſo: quia & ego ſaltem videre debeo poſtea, ſi proficio: nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potiùs ignoſcendum atque gratulandum, non quia erratum eſt, ſed quia improbatum. Nam nimis peruersè ſeipſum amat, qui & alios vult errare, vt error ſuus lateat, &c. *Epiſt. 7.*

Quamobrem ait ad Paullinam: Nolo auctoritatem meam ſequaris, vt ideo putes tibi aliquid neceſſe eſſe credere, quoniam à me dicitur: ſed aut Scripturis Canonicis credas, ſi quod nondum quàm verum ſit vides; aut interiùs demonſtranti veritati, vt hoc planè videas. *Epiſt. 112. proœm.*

§. XI.

§. XI.

Catholici omnes ſcriptores, haud Canonici.

SIcuti Libris Canonicis Auguſtinus ſummam auctoritatem ac venerationem deferebat; ita non omnia omnium ſcripta in eorum numero collocanda eſſe ſciebat: à quibus ſi quando diſſentiret, ſummâ id faciebat humanitate ac reuerentiâ.

Neque enim, inquiebat, quorumlibet diſputationes quamuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas diuinas habere debemus, vt nobis non liceat saluâ honorificentiâ quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum Scripturis improbare atque reſpuere; ſi fortè inuenerimus quòd aliter ſenſerint, quàm veritas habet, diuino adiutorio vel ab aliis intellecta vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum: tales volo eſſe intellectores meorum, &c. *Epiſt.* 111.

Ego enim fateor Charitati tuæ (ſcribebat Hieronymo) ſolis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe, firmiſſimè credam. Ac ſi aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati; nihil aliud quàm vel mendoſum eſſe codicem; vel interpretem non aſſecutum eſſe, quod dictum eſt; vel me minimè intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lego; vt quantâlibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum puto, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat perſuadere potuerunt. *Epiſt.* 19. *cap.* 1. *&* 3.

§. XII.

Alios ante ſe ſcriptores citat. Ab iis quos ſcribendo offenderat, ſibi ignoſci poſtulat.

QVapropter ſicuti non iis tantùm libris, quos antea poſteaque conſcripſit, citat Patres tempore priores: (puta *ll. de Doctrinâ Chriſtianâ:*

ſtianâ : ll. de Baptiſmo contra Donatiſtas : l. 1. contra Iulianum cap. 3. & ſeqq. lib. 2. cap. 2. & ſeqq. libr. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 4. & 8. vbi partim allegat, partim meminit Irenæi, Rheticij, Olympij, Ambroſij, Innocentij, Gregorij, Baſilij Magni, Ioannis Conſtantinopolitani, Hieronymi, Hilarij, &c.) ita eo libro, quem de videndo Deo circa hoc tempus elucubrauit ad Paullinam; meminit Ambroſij ſæpiùs, atque etiam Hieronymi, eorumq; auctoritatē ſequitur. *Epiſt.* 112.

Ceterùm eiuſdem argumenti De videndo Deo, exſtat Epiſtola ad Fortunatianum: in quâ dum rogare iubet Epiſcopum quemdam (qui ſentiebat nos Deum oculis corporeis viſuros) vt ei ignoſcat, ſi quid durius & aſperius in ſe dictum accepit Epiſtolâ illâ quam dederat; præbuit iterum inſigne humilitatis Chriſtianæ exemplum.

„ Vbi ſic inter cetera: Deum, talem non eſſe (nempè corporalem, membriſque per loca diuiſibilem) omnino non ambigo, &, ne talis eſſe crederetur, illam Epiſtolam ſcripſi: in quâ dum eſſem in admonendo ſollicitus, in corripiendo nimius atque improuidus fui: nec fraternam & Epiſcopalem perſonam ſicut frater & Epiſcopus, quemadmodum fuerat dignum, cogitaui: hoc non defendo, ſed reprehendo: hoc non excuſo, ſed accuſo. Indica ei, cum quanto & quàm vero dolore de offenſione animi eius fuerim collocutus. Nouerit, quàm non eum contemnam, & quantum in illo Deum timeam, & cogitem caput noſtrum in cuius corpore fratres ſumus. *Epiſt.* 111.

CAPVT XVI.

SCRIPTA HOC ANNO CONTRA PELAGIANOS ET DONATISTAS.

§. I.

Reſpondet ad quæſtiones Honorati.

QVo interim tempore, Marcellini clementiæ reos homicidij in Reſtituto Presbytero patrati commendabat; *Epiſt.* 158. & 159. tot

tot & tantis occupationibus erat implicatus, vt Marcellino dicat: Si rationem omnium dierum & lucubrationum aliis neceſſitatibus impenſarum, tibi poſſem reddere; grauiter contriſtatus mirareris, quanta me diſtendant, quæ differri omninò non poſſunt: nec agere illa permittant, in quæ me, petendo & admonendo vrges volentem, & ineffabiliter, quia non poſſum, dolentem. Cum enim ab eorum hominum neceſſitatibus aliquantulum vaco, qui me ſic angariant, vt eos nullo modo liceat euitare, nec contemnere oporteat; non deſunt quæ dictanda præpono, ſic in articulis temporum conſtituta, vt dilationem non ferant. *Epiſt.* 158.

Hæc quæ fuerint, tum eâdem Epiſtolâ, tum alibi exponit, vbi ait: Eodem ipſo tempore, quo contra Donatiſtas vehementer exercebamur, & contra Pelagianos exerceri iam cœperamus; amicus quidam (Honoratus) miſit mihi à Carthagine quæſtiones: & rogauit vt eas illi ſcribendo exponerem. *l.* 2. *Retract. cap.* 36. Fecit: intuensque ſuprà dictam hæreſim nouam, inimicam Gratiæ Dei; ſextam ſibi Quæſtionem propoſuit, de Gratia noui Teſtamenti: de qua diſputans interpoſitâ expoſitione Pſalmi XXI. (in cuius capite ſcriptum eſt quod Dominus exclamauit in cruce, quod ille amicus in primis ei propoſuerat exponendum) omnia alia quinque diſſoluit: non hoc ordine quo erant propoſita, ſed ſicut ei diſſerenti de Gratiâ noui Teſtamenti, tamquam ſuis locis congruenter occurrere potuerunt. *eod. l. & c.*

Quid cauſſæ fuerit, cur tum priùs Honorato, quam Marcellino, ſatisfacere reſpondendo voluerit, tametſi hic illi videretur præferendus; ipſemet exponit his verbis: Charitas enim quæ tamquam nutrix fouet filios ſuos, non ordine amandi, ſed ordine ſubueniendi, infirmiores (neque enim per id tempus Honoratum fuiſſe baptizatum l. I. diximus) fortioribus anteponit: quos tales vult eſſe, quales iam illi ſunt, quos non contemnendo, ſed de his confidendo interim præterit. &c. *Epiſt.* 158. *ad Marcellin.* Nam, vti apparet, aliis dictationibus, quibus erat Marcellino ſatisfacturus, magis inardeſcebat: Cùm alioquin non eâ tantùm, quam familiariter vni alicui, ſed etiam quam matri Eccleſiæ vniuerſaliter debebat, charitate ac ſeruitute compellebatur, ſi quid per operam ipſius, Dominus, quos illi fratres fecit adiuuari iuberet, nullo modo recuſare, ſed potiùs promtâ & deuotâ voluntate ſuſcipere. vt de ſe loquitur, *l. de Catechiz. rud. c.* 1.

§. II.

Liber de Spiritu & Littera.

MArcellinus, ad quem tres libros, quorum titulus eſt De Peccatorum meritis & remiſſione, ſcripſerat; reſcripſit Auguſtino, ſe fuiſſe permotum, quòd libr. 2. cap. 6. dixerit, Fieri poſſe vt ſit homo ſine peccato, ſi voluntas eius non deſit, ope adiuuante diuinâ: quamuis nemo tam perfectæ iuſtitiæ in hac vitâ vel fuerit, vel ſit, vel futurus ſit. Quæſiuit enim, Quomodo dixerit poſſe fieri, cuius rei deſit exemplum.

Propter hanc eius inquiſitionem, ſcripſit Librum cuius eſt titulus De Spiritu & Littera: pertractans Apoſtolicam ſententiam vbi ait, *Littera occidit, Spiritus autem viuificat.* In quo Libro, inquit, quantum Deus adiuuit, acriter diſputaui contra inimicos gratiæ Dei, quâ iuſtificatur impius. *l.2.Retract.c.*37.

Et quidem Marcellini ſcrupulo reſpondens, ait: Cùm ſicut credo, non dubites numquam eſſe factum, vt per foramẽ acûs camelus tranſiret, & tamen ille hoc quoque dixit Deo eſſe poſſibile: legas etiam, duodecem millia legiones Angelorum pro Chriſto, ne pateretur, pugnare potuiſſe; nec tamen factum: legas, fieri potuiſſe vt ſemel gentes exterminarentur à terrâ quæ dabatur filiis Iſraël; Deum tamen id paullatim fieri voluiſſe: & alia ſexcenta poſſunt occurrere; quæ fieri vel potuiſſe vel poſſe fateamur, & eorum tamen exempla, quod facta ſint, proferre nequeamus. Vnde non ideo negare debemus, fieri poſſe vt homo ſine peccato ſit, quia nullus eſt hominum (præter illum qui non tantum homo, ſed etiam naturâ Deus eſt) in quo id perfectum eſſe, demonſtrare poſſimus. *l.de Spir & litt.c.*1.

Hic fortaſſe reſpondeas, Iſta, quæ commemoraui facta non eſſe & fieri potuiſſe, opera eſſe diuina: vt autem ſit homo ſine peccato, ad opus ipſius hominis pertinere: idque opus eſſe optimum, quo fiat plena & perfecta, & ex omni prorsùs parte abſoluta iuſtitia: & ideo credendum non eſſe, neminem vel fuiſſe, vel eſſe, vel fore in hac vita, qui hoc opus impleuerit, ſi ab homine impleri poteſt. Sed cogitare

tare debes, quamuis ad hominem id agere pertineat, hoc quoque munus eſſe diuinum: atque ideo non dubitare, opus eſſe diuinum. Deus eſt enim, qui operatur in vobis, ait Apoſtolus, & velle & operari, pro bona voluntate, &c.

Sed illis acerrimè ac vehementiſſimè reſiſtendum eſt, qui putant ſine adiutorio Dei, per ſe, ipſam vim voluntatis humanæ, vel iuſtitiam poſſe perficere, vel ad eam tendendo proficere. *eod l.c.2.* Nam neque liberum arbitrium quidquam, niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via: & cùm ad id quod agendum & quò nitendum eſt, cœperit non latére; niſi etiam delectet & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non bene viuitur. Vt autem diligatur; Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris: non per arbitrium liberum, quod ſurgit ex nobis; ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. *eod.l.c.3.* Doctrina quippè illa, quâ mandatum accipimus continenter rectéque viuendi; Littera eſt occidens, niſi adſit viuificans Spiritus. *eod.l.cap.4.* Quoniam Legis littera, quæ docet non eſſe peccandum; ſi Spiritus viuificans deſit, occidit: ſciri enim facit peccatum potiùs quàm caueri, & ideo magis augeri quàm minui: quia malæ concupiſcentiæ etiam præuaricatio legis accedit. *eod.l.c 5.*

Nam quod ait Apoſtolus: *Littera occidit, Spiritus autem viuificat*; non de figuratis locutionibus dictum (quamuis & illic congruenter accipiatur) ſed potiùs de lege, apertè quod malum eſt prohibente. *eod.l. & c.* vt adeo per Spiritum non equidem aliud tunc intelligatur, quàm Spiritus gratiæ, qui diffundit charitatem in cordibus noſtris, quâ & facere velimus & faciamus quod bonum eſt.

Atque ex his porrò Marcellino demonſtrat, quandoquidem & ipſa humana iuſtitia operationi Dei tribuenda ſit, quamuis non fiat ſine hominis voluntate; eius perfectionem etiam in hac vitâ eſſe poſſibilem, tametſi careat exemplo: ſicut exemplo caret tranſitus Cameli per foramen acûs. Colligitur deinde dixiſſe veriſſimè, hoc ſe libro acriter contra inimicos Gratiæ Dei, quâ iuſtificatur impius, diſputaſſe; neque tantum contra Academiæ Pelagianæ vniuerſitatem, ſed pro fidei & ſcholæ Catholicæ articulis, firmiſſima fundamenta ieciſſe. videri etiam poteſt. *l.2.cont.Aduerſ.leg. & Proph.c.7.*

§. III.

Epiſtola Octogeſima nona.

NE quis enim arbitretur, diuinæ gratiæ adiutorio, humani liberique Arbitrij momenta ſubuerti; vt dicat, non eſſe hominis opus, quod quia munere fit Dei, etiam Dei eſt; Deſinant, inquit, ſic inſanire: & ad hoc ſe intelligant habere quantum poſſunt liberum arbitrium, non vt ſuperbâ voluntate reſpuant adiutorium; ſed vt piâ voluntate inuocent Dominum. Hæc enim voluntas libera, tantò erit liberior quantò ſanior; quantò diuinæ miſericordiæ, gratiæque ſubiectior. *Epiſt.*89.

Etenim iubet Deus continentiam, & dat continentiam. Iubet per legem, dat per Gratiam: iubet per litteram, dat per Spiritum. Lex enim ſine gratiâ, facit abundare delictum: & littera ſine Spiritu, occidit. Nam voluntatis arbitrium non ideo tollitur, quia iuuatur: ſed ideo iuuatur, quia non tollitur. Qui enim Deo dicit: *Adiutor meus eſto*; confitetur ſe velle implere, quod iuſſit: ſed ab eo qui iuſſit adiutorium poſcere, vt poſſit. *eâd. Epiſt.* Iam adiuuari non poteſt, niſi qui etiam aliquid ſponte conatur: quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis, in quorum naturâ rationem voluntatemque non condidit; ſalutem noſtram Deus operatur in nobis. *l.2. de peccat. mer. & remiſſ. c.*5.

Nouerat ille legem Dei, qui dicebat, *Condelector enim legi Dei, ſecundum interiorem hominem*: & tamen adiungebat, *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Cur non dixit potius, per meum liberum arbitrium? niſi quia libertas ſine gratiâ, non eſt libertas, ſed contumacia. *Epiſt.*89. Quæ Epiſtola quia cum Libro de Spiritu & litterâ tantum non gemella eſt; paullò ante aut poſt eam, vt diximus, ſcripta eſt.

§. IV.

§. IV.

Liber de Fide & Operibus.

INterea miſſa ſunt ei à quibuſdam fratribus, Laicis quidem, ſed diuinorum eloquiorum ſtudioſis, ſcripta nonnulla : quæ ita diſtinguerent à bonis operibus Chriſtianam fidem ; vt ſine hac non poſſe, ſine illis autem poſſe perueniri ſuaderetur ad æternam vitam.

Quibus reſpondens, librum ſcripſit cuius nomen eſt, De Fide & Operibus. *Tom.*4. In hoc diſputauit non ſolùm, quemadmodum viuere debeant gratiâ Dei regenerati ; verumetiam quales ad lauacrum regenerationis admitti. *l.2.Retract.c.*38. Tota autē libri huius diſputatio tribus potiſſimum difficultatibus, ſiue quæſtionibus enodandis deſtinata eſt. quarum vna eſt, Quomodo peccantes corripiendi ſint; quandoquidem in Eccleſiâ bonis mali, tamquam tritico zizania, ſiue mundis animalibus immunda, iuxta Domini prædictionem permixti ſunt, eruntque vſque in finem ? Altera quæſtio eſt, in quâ quibuſdam viſum eſt, Fidem ſolam baptizandis eſſe tradendam: poſtea verò iam baptizatos docendos eſſe de moribus. Tertia periculoſiſſima, quâ parum conſideratâ educi poſſe videbatur, ſolam fidem in Chriſtum, licet ſceleſtiſſimè turpiſſimeque viuatur, ſufficere ad ſalutem.

De his tribus quæſtionibus, inquit, ſatis quantùm exiſtimo diſpui : demonſtrauique, ſic tolerandos in Eccleſiâ malos, vt non negligatur Eccleſiaſtica diſciplina : ſic Catechizandos eos qui Baptiſmum petunt, vt non ſolùm audiant atque ſuſcipiant quid credere, verumetiam qualiter viuere debeant: ſic promitti fidelibus vitam æternam, vt non per fidem mortuam, quæ ſine operibus ſaluare non poteſt, ad eam ſe quiſque peruenire poſſe arbitretur; ſed per illam fidem gratiæ, quæ per dilectionem operatur. *l. de fid.& oper.cap.*27.

§. V.

Donatiſtarum contra Collationem calumniæ ab Auguſtino deſtructæ.

LIbrum etiam ſcripſit grandem, ſatis quantum exiſtimat diligenter, ad ipſos Donatiſtas, poſt Collationem quam cum Epiſcopis eorum habuerant, ne ab eis ſeducerentur vlteriùs. *l. 2. Retract. cap.* 40. Eius libri meminit *Epiſt.* 158. eoque reſpondit, quibuſdam illorum vanitatibus, quas victi, vbi potuerant & quomodo potuerant, iactabant. *l. 2. Retract. c.* 40.

Calumniabantur in primis, Iudicem præmio fuiſſe corruptum: *l. poſt Coll. cap.* 1. cumque Catholicæ communionis eſſet, ſuæque Eccleſiæ fauens; non permiſerit, vt omnia pro ſuis partibus aduerſarij dicerent: *Poſſ. c.* 14. quos adeo poteſtate potiùs oppreſſerit, quam veritate. *l. de Geſt. cum Emer.*

Verùm impudentiam tantam, non minore veritatis ſpiritu Auguſtinus diſcuſſit, dum calumniam reſumens: Obiiciunt, ait, nobis, vt adhuc vos ſeducant, quòd aurum iudici dederimus, vt pro nobis contra illos ſententiam diceret. Vos dicite ſi poteſtis, quantum dare debuerimus electis defenſoribus Epiſcopis veſtris, vt tanta contra ſe pro nobis vel dicerent vel proferrent? vt ſic agerent cauſſam noſtram, ſic perimerent ſuam? Quanti emere debuimus, vt poſt verba Primiani, quibus dixerat, *Indignum eſt vt in vnum conueniant filij Martyrum & progenies Traditorum*; venirent tamen, & in vnum nobiſcum, quod indignum eſſe dixerant, conuenirent?

Quanti emere debuimus, vt more forenſium Aduocatorum, de temporibus, & diebus, de perſonis etiam, nobis præſcribere conarentur: & ſic omnibus hominibus, etiam illis qui noſtras diſputationes intelligere non poſſent, ſatis apertè monſtrarent, quàm malam cauſſam haberent, quam proferre & agere ſic timerent apud eum iudicem, cuius erga ſe benignitatem atque iuſtitiam tanto præconio laudauerant, & cuius motum aduerſus ſe nullum adhuc ſenſerant?

Quanti emere debuimus, vt ipſi deinde exigerent, non ſecum agi debere

debere forenſibus formulis,ſed Diuinis potiùs teſtimoniis,& de Scripturis ſanctis ſimiliter ſe reſponſuros eſſe promitterent? &, cùm mandatum Concilij Catholici, quod obtuleramus, recitatum eſſet,atque in eo ipſis etiam confitentibus claruiſſet,nos Eccleſiæ Catholicæ cauſſam teſtimoniis ſanctarum Scripturarum agere voluiſſe; rurſus tamquam obliti quid ſibi placere dixiſſent, ad eaſdem forenſes præſcriptiones perplexis & odioſis contentionibus remearent? Et plura eiuſcemodi: quibus oſtendit, cùm peſſimam cauſſam Donatiſtæ haberent, eam malè agendo prodidiſſe potiùs,& Catholicis arma dediſſe quibus ipſi oppugnarentur, idque nullo ab eis præmio ſiue petito ſiue accepto; quàm gnauiter defendiſſe. *l. poſt Coll.c.23.24.& 25.*

Nam poſtquam id euidenter demonſtrauit: Quid adhuc,inquit,exſpectatis,quid pro vobis pronuntiauerit Cognitor; cùm videatis,quid contra ſeipſos Epiſcoporum veſtrorum pronuntiauerit timor? Dederat certè ipſe Cognitor poteſtatem, vt alium cum ipſo quem vellent iudicem conſtituerent. Quod illi recuſarunt. Quoniam, ſi aliquem delegiſſent, mentiri vobis non poſſent, etiam à nobis ipſum fuiſſe corruptum. Sed fecerunt, quod recuſauerunt. Conſtituerunt prorſus cum illo alium Iudicem: non quemlibet extraneum, ſed intimum ſuum. Ecce ipſe timor eorum, alius iudex fuit: certè ipſe à nobis nihil accepit, & pro nobis liberè iudicauit. Non gratificatus eſt eorum perſonæ, quibus internus hærebat, de quorum ſecreto cubiculo procedebat. Et antequam cauſſa diceretur, prior iudicauit, quia eam prior in ipſorum corde cognouit, &c. *eod.l.c.26.*

Sanè ſi quid aduerſus iudicem habuiſſent;proponendum id erat antè diſputationis exordium: neque erat tam prolixè laudandus, atque fecerant non ſemel. Denique friuolum omnino fuiſſe, quòd poteſtate potiùs quàm veritate fuerint ab eo oppreſſi, vt qui, quod loquebantur, haud acceperit: conſtare inde poteſt, quia præterquam quod clepſydrâ abiectâ dicere permiſerit quidquid voluiſſent; non piguerit aliquot pòſt annis Auguſtinum, cum Emerito Cæſarienſi Epiſcopo (ex ſeptemuiris diſputatoribus vno) populo coràm inſpectante & auſcultante, nullâ pòteſtate præſente, cauſſam reuoluere, ſi acceptare aduerſarius voluiſſet. *l.de Geſt.cum Emerito.*

§. VI.

§. VI.

Altera calumnia ab eodem refutata.

POrrò autem calumnia altera, ſententiam impetebat: quam dicebant eſſe nullam, quia noctu latam. *l. poſt Collat. cap.* 12. Mirum verò ſi non fabricauerit hanc Petiliani ingenium, in forenſi rabie, & eiuſcemodi captionibus egregiè ſubactum: quique cùm collegis ſuis, totum diem cauillando eâ fraude conſumſerat, vt in tenebris omnes pariter effugerent.

Hæc igitur inter alia Auguſtinus ad Donatiſtas: Quis ferat victos homines conqueri, quòd nocte contra eos eſt prolata ſententia? quaſi non ſæpe iudices audiendi neceſsitas teneat, vt vſque ad multam partem noctis ſedere cogantur. Aut ideo non eſt verum quod dicitur, quia per noctem dicitur? *l. poſt. Coll. cap.* 12.

Nam licet priſcis olim legibus cautum extiterit, ne iudicia noctibus agerentur, iuxta illud: *Sol occaſus, ſuprema tempeſtas eſto*: & Senatûs Conſultum, ſcribente Gellio, neque ante exortum, nec poſt occaſum Solem factum, ratum fuerit; attamen non omnium decretorum eadem ratio fuit, neque ſemper illa lex ſeruata eſt. Nam & ſæpè iudices Romani imitati ſunt Areopagitas, qui non niſi noctu iudicabant: & ipſe Iuſtinianus in Nou. 82. iubet pedaneos ſuos iudices, ſedere pro tribunali à ſummo diluculo, vſque ad veſpertinum crepuſculum, ſiue vt loquitur, εἰς δείλην ὀψίαν. Neque quidquam obſtat, quin, ſi cauſſa poſtulet, iudex poſſit diutius etiam ſedere. Deniq; & teſtamenta & contractus, noctu poſſe fieri dubitandum non eſſe, lex ait, l. 22. §. pænult. de Teſtam. l. non minorem, Cod. de Tranſact. *Franc. Bald. hiſt Coll. Carth.*

Ergo poſt multa quæ ſuperiùs dixerat Auguſtinus, O ferreã, inquit, frontem! O furoris tenebras, nocturnam ſententiam iudici obiicientes, & in ſui cordis nocte palpantes, offendentes, cadentes, contra nos rabidè litigantes, & pro nobis tanta dicentes! *l. poſt Collat. cap.* 19. quæ nimirum prioribus capitibus enumerauerat. Ad extremum itaque: Nocte cauſſa finita eſt, ſed vt nox finiretur erroris: nocte dicta ſententia eſt, ſed fulgens lumine veritatis. *eod. l. cap.* 35.

Ceterùm

Ceterùm quod Donatiſtæ vim ſibi cauſſarentur illatam, eo quòd Secretario Thermarum Gargulianarum, Collationis tempore fuiſſent concluſi; ita redarguit: Incluſos, & tamquam in carcere ſe fuiſſe, conqueſti ſunt. Ibi & nos eramus. Aut vtriſque facta eſt iniuria, aut vtriſque adhibita diligentia. Sed quomodo dicemus iniuriam, quando in tam ſpatioſo & lucido & refrigerante loco nos fuiſſe recolimus? Aut quomodo erat carcer, vbi erat & iudex? Poſtremò clauſos fuiſſe nos neſciebamus; qui ſimul intùs eramus: ipſi vnde ſciunt, niſi quia fugere fortaſſe voluerunt? Sed quis non videat, quòd iſta inania, & ridenda potiùs quàm refellenda, de tali Cognitore non dicerent; ſi pro ſuâ cauſsâ poſſent validum aliquid inuenire quod dicerent? *Eod. l. &c.*

§. VII.

Cirtenſe Catholicorum Concilium.

ADéò interim hæc Donatiſtarum calumniandi audacia proteruiaque increuit, vt de remedio apponendo Patres Africani in commune conſuluerint, congregati in ſynodo Cirtenſi Numidiæ ciuitate, anni poſt Collationem menſe Iunio. Huius quidem Synodi acta, ſæculorum edacitas abſumſit, relictâ tamen ſuperſtite Epiſtolâ Auguſtini, Patrum congregatorum nomine editâ ad Donatiſtas, *Epiſt. 152.*

Attingit in eá præteritas calumnias (quibus Collationis vires, iudiciumque Marcellini fruſtrà facere moliebantur) tantâ acrimoniâ & ſale, vt non fuerit otioſum audire. Non ergo vobis dicant, inquit, quia præmio corrupimus iudicem. Quid enim aliud ſolent victi homines dicere? Aut ſi aliquid dedimus iudici, vt contra illos pro nobis pronuntiaret; ipſis quid dedimus, vt contra ſe pro nobis tanta non ſolùm dicerent, verumetiam recitarent? An fortè volunt vt eis apud vos gratias agamus, quia cùm dicunt iudicem præmio à nobis eſſe corruptum; ipſi tamen multa quæ pro nobis contra ſeipſos dixerunt & recitauerunt, gratis nobis omnia præſtiterunt? Aut certè, ſi propterea dicunt quod nos vicerint, quia meliùs egerunt Cauſſam

Cæciliani, quàm nos; hoc planè credatis illis. Nos enim duas lectiones pro illo ſufficere putaueramus, illi autem quatuor protulerunt. *Epiſt.* 152.

§. VIII.

Cirtenſes, per Auguſtinum conuerſi à ſchiſmate.

Anno 413. VT Synodi huius, ſicut diximus, Acta perierint; conſtat tamen primùm ciues Cirtenſes per Auguſtinum, à ſchiſmate ad Vnitatem Eccleſiæ conuerſos: vt videre eſt *Epiſt.* 130. quamquam ipſe pro ſolitâ humilitate & gloriæ diuinæ zelo, nihilum huius operis, id eſt conuerſionis, ſibi arroget: ſed, quantumquantum eſt, refundat in Deum. Iam enim ad ſuos redierat Auguſtinus, quando conuerſionem iſtam populi ſui Cirtenſes nuntiauerant.

Porrò cùm Cirtam, ad Synodum fortè, proficiſceretur cum collegis ſuis; placuit Fortunium Tuburſicenſem Epiſcopum Donatiſtam, in tranſitu alloqui: cetera moderatum ſatis & benignum. Diſcuſſa hic ſunt Schiſmatis præcipua capita, De Eccleſiæ per totum terrarum orbem diffuſione: De Perſecutionis tolerantia: De Baptiſmi repetitione; & talia eius generis: adeoque conuerſionis ipſius iacta veluti fundamenta, donec proximâ occaſione altiùs promoueretur, licet de ſucceſſu nihil exploratum inueniam. *Epiſt.* 163.

§. IX.

Iulianæ & Demetriadi Auguſtinus antidotum propinat, contra peſtiferam Pelagij Epiſtolam.

INter alias feminas, quarum ſalutis curam nonnumquam Auguſtinus geſſit, Iulianam & Demetriadem nobiliſſimas, matrem & filiam

liam fuiſſe, ſuprà lib. 1. c.4. confusè memorauimus. Hæ, poſt Alarici formidine relictam Romam, propè iam tertium Carthagine agebant annum, cùm Demetrias ſponſo nuptiiſque valefactis (quibus tum opulentiſſimis deſtinabatur) mutato habitu Sanctimoniam profeſſa eſt, toto pœnè admirante (vt colligi poteſt ex Epiſtola 8. Hieronymi) orbe terrarum.

Id contigit operâ potiſſimùm Auguſtini, qui Carthagine, eo fortè tempore quo cum Donatiſtis Collationi erat intentus, verbi illis miniſterium impertierat: cuius miniſterij, adiuuante gratiâ & miſericordiâ Saluatoris, in domo Iulianæ tantus fructus exortus eſt; vt humanis nuptiis iam paratis, ſancta Demetrias ſpiritalem Sponſi illius præferret amplexum, cui ſpecioſo præ filiis hominum, ad habendam (vt loquitur Auguſtinus) ſpiritûs vberiorem fecunditatem, nec ad amittendam carnis integritatem, virgines nubunt. *Epiſt.* 143.

Quam rem cum Proba & Iuliana, auia & mater Demetriadis, per litteras ſignificaſſent; eâdemque operâ velationis apophoretum, id eſt, munus in gratiam tantæ ſollemnitatis, ad Auguſtinum miſiſſent: id ſe gratiſſimè accepiſſe vti reſpondit, ita gaudij ſui magnitudinem tantæ rei nuntio percepto, teſtatus eſt. Genceroſiùs quippe elegit Aniciana (inquit) poſteritas, tam illuſtrem familiam beare nuptias neſciendo, quàm multiplicare pariendo: & in carne iam imitari vitam Angelorum; quàm ex carne adhuc numerum augere mortalium. *Epiſt.* 179.

Sicut verò anteà, vt exiſtimo, Probam præſtantiſſimam feminam orare docuerat, edito commentario de Orando Deum; *Epiſt.* 121. ita ſub hoc tempus Iulianam monuit, ſerpens Pelagiani dogmatis venenum fugere: quando datâ in Oriente ad Demetriadem Pelagius hoc anno Epiſtolâ, *l.* 1. *cont. Pelag. & Celeſt. c.* 37. hæreſeos ſuæ virulenta ſemina ſparſiſſet.

Spiritales diuitias (ſcripſerat Pelagius c. 11. Epiſtolæ ſuæ) *nullus tibi præter te, conferre poterit. In his ergo iure laudanda: in his meritò ceteris præferenda es, quæ, niſi ex te, & in te eſſe non poſſunt.* Contra quem Auguſtinus ad Iulianam: Cernis quanta in his verbis, ſit cauenda pernicies. Nam vtique quod dictum eſt: Non poſſunt eſſe iſta bona, *niſi in te*; optimè & veriſſimè dictum eſt: iſte planè cibus eſt. Quod verò ait, *Non niſi ex te*; hoc omninò virus eſt. Abſit vt hæc libenter audiat

virgo Chriſti, quæ piè intelligit propriam paupertatem cordis humani: & ideo illîc niſi Sponſi ſui donis, neſcit ornari, &c. *Epiſt.* 143.

Quamobrem illius Pelagij Epiſtolæ peſtiferas plerumque ſententias, pluribus aliis locis, *l.* 1. *cont. Pelag. & Celeſt. c.* 22. 27. 37. ſollerter Auguſtinus deſtruxit. Hanc verò Epiſtolam ſe Pelagius conſcripſiſſe iactabat, petente ſanctâ Matre Demetriadis, imò iubente, & à ſe in Tranſmarinis poſito, miro cum deſiderio animi, flagitante. *Epiſt. Pel. c.* 1. In qua perinde hæreſeos adeò ſuæ, facundiæque vela pandit; vt eam lucubratiſſimam appellet Auctor Apolog. de libero Arbit. Vnde & inter Hieronymianas locum diu habuit: at nunc meritò reiecta.

CAPVT XVII.

DONATISTARVM SYNODVS, TRIBVNO IN AFRICA DVLCITIO.

§. I.

Dulcitius Marcellino ſufficitur.

MArinus, dux exercitûs Romani aduerſus Heraclianum tyrannum, traiiciens in Africam ad perſequendos Imperij perduelles, Marcellinum, Tribunum illîc Notarium, & Collationis ſupranarratæ Cognitorem, occidi iuſſit: inſtigantibus haud dubiè Donatiſtis. Vnde is titulo Martyrij in faſtos Eccleſiaſticos relatus eſt, VIII. Idus Aprilis: meminitque illius cum ſanctâ & religioſâ memoriâ Auguſtinus *lib. de Nat. & Grat. c.* 23. *& Epiſt.* 28. Hâc Marcellini morte cùm non obſcurè Donatiſtæ triumpharent, ſibi perſuadentes vnà cum illo extincta aut breui extinguenda Acta publica, coram eo aduerſus ſe confecta: Honorius Imperator non ſolùm Marcellini Acta edito Reſcripto, vt ſupra retulimus, confirmauit; ſed recentibus etiam pœnis (quæ exſtant *Cod. Theod. l.* 55. *& l.* 54. *de hæret.*) Donatiſtas, tam

tam laïcos,quàm Epiſcopos eorumque miniſtros,coërcendos ſtatuit: eiſque pariter exſequendis DVLCITIVM Tribunum & Notarium,qui demandatam priùs Marcellino Prouinciam exciperet, in Africam deſtinauit. *l.* 2, *Retract. cap.* 59.

§. II.

Vnus, an plures Dulcitij? & , Tribuni Notarij qui?

SEd dubitari merito poteſt, vtrùm Dulcitius hic Imperialium iuſſionum exſecutor,idem ſit cum eo ad quem exſtat Auguſtini liber De octo Dulcitij quæſtionibus: in quo meminit ſe ante ea tempora ſcripſiſſe Enchiridion ad Laurentium, vrbis Romæ Primicerium, Dulcitij fratrem. *qu.* 1. *ad Dulcit. & l. Enchir.* Affirmat Baronius: non exiſtimat Henr. Grauius Annotat. ad præfat. Breuiculum Collat.

Vt hoc autem de Tribunis-Notariis dicamus, non exiguam eorum dignitatem fuiſſe, conſtare poteſt ex iis quæ Franc.Bald.habet in delibatione Hiſtoriæ Africanæ. Nã & Ambroſius Epiſt. 32. ait, miſſum ad ſe ab Imperatore Valentiniano iuniore Dalmatium, Tribunum & Notarium,qui ad conſiſtorium euocaret Ambroſium in cauſſa religionis, puta ad diſputandum cum Auxentio Arriano: & Claudianus Poëta eius temporis, Tribuni & Notarij titulo ornatur in Epitaphio,quod Romæ in foro Traiani proſtabat. Exſtat etiam l. 12. Cod. Titulus VII. de Primicerio & Notariis: vbi & de Tribunis Notariis agitur.

In Theodoſij præterea Lege ſcriptum eſt: *Præcipua eſt noſtra pietatis intentio, circa Notariorum nomen.* In lege deinde Leonis Imp. *Præclaram nobilemq́; militiam ſpectabilium Tribunorum Notariorum, diuerſis beneficiorum titulis muniendam credimus & augendam.* Quare ſicut Tribunatus, militaris eſt dignitas; ita Notarij fuiſſe videntur, qui nunc Secretarij Regum in Galliâ, inquit Balduinus: adeò vt eiuſcemodi, non Sagi tantummodò, ſed & Togæ conſultos liceat exiſtimare.

§. III.

Donatiſtarum Synodus.

PRomulgatis iam memoratis Honorij Edictis, repentè coäluit Donatiſtarum Epiſcoporum ſupra triginta conciliabulum: vbi & Petilianus fuit, qui perſecutionis tempore nec duodecim conuenire potuiſſe, in Collatione clamauerat. l. 1. *cont. Gaud. c.* 37. Atque hi quidem conſilium inire cupiebant, quo tandem modo Edictis (quibus adeò premebantur, vt ſe dicerent numquam eiuſmodi perſecutionem, [illegible]) obuiam venirent: cùm viderentur priſtinis ſe potiùs ignibus daturi (imò id reapſe facerent, ſpe potiundi nominis Martyrum apud ſuos) quàm laturi, vt in inſulas deportarentur: quod de Donatiſtarum Epiſcopis & Presbyteris, Honorius edixerat.

Hanc enim Synodi partem fuiſſe, colligi ex Auguſtino poteſt loco citato. vbi & aliud ab eis ſtatutum refert: nempe, Vt qui Catholicis inuiti communicauerint vel Epiſcoporum vel Presbyterorum; tantùm ſi ſacrificium non obtulerint, aut in populo non tractauerint, (id eſt eius temporis phraſi, ſermonem habuerint) ad veniam pertineant, & in ſuis honoribus recipiantur. Vbique nimirum ſuâ ſe ſententiâ damnantes, vt ibidem Auguſtinus oſtendit.

Atque hâc Legum ſeueritate, Imperator, quia damna quoque patrimonij, pœnaſque pecuniarias viris ac mulieribus, ſingulis pro conditione & dignitate ſua, vſque ad ſeruos & colonos verberibus coërcendos, multandoſque bonis omnibus receptores & occultatores quorumlibet Donatiſtarum, impoſuerat: ſicuti Dulcitij Executoris curâ atque vigilantiâ innumeri ex ſchiſmate, ad Eccleſiam Catholicam proximo tempore reuerſi ſunt; (vt conſtat ex Auguſtino *Epiſt.* 61.) ita iam tum etiam non vno mortis genere non pauci in ſemetipſos graſſabantur: & Catholicorum inuidiâ & odio, quas erant iuſſi reſtituere, Baſilicas incendebant, Carthagine ſignanter, vt teſtatur Auguſtinus. *l.* 1. *cont. Gaud. c.* 6.

Verùm hæc omnia, & quàm impigrè ſcilicet mandatum ſibi ab Imperatore munus Dulcitius obiuerit, & quæ inde occaſio Auguſtino oblata ſcribendi contra Gaudentium Donatiſtam; latiùs infra perſequemur. Lib. IV.

CAPVT

CAPVT XVIII.

OROSIVS AVGVSTINI DISCIPVLVS.

§. I.

Oroſij profectio ex Hiſpania in Africam, eiuſquè cauſſa.

PAVLVS OROSIVS, Flauij Oroſij filius fuit: ſanguine iunctus Flauio Dextro, qui Chronicon ſuum poſt Hieronymi mortem ei inſcripſit, genere nimirum virtute atque eruditione clariſſimo. De huius aduentu in Africam ita Auguſtinus ad Hieronymum ſcribens: Ecce venit ad me religioſus iuuenis, Catholicâ pace frater, ætate filius, honore conpresbyter noſter Oroſius, vigil ingenio, paratus eloquio, flagrans ſtudio, vtile vas in domo Domini eſſe deſiderans, ad refellandas falſas pernicioſaſque doctrinas, quæ animas Hiſpanorum multò infeliciùs quàm corpora Barbaricus gladius trucidarunt. Nam inde ad nos vſque ab Oceani littore properauit, famâ excitus, quòd à me poſſet de his quæ ſcire vellet quidquid vellet audire. *Epiſt.* 28.

Baronius hanc Oroſij profectionem refert in annum Chriſti 414. cenſetque eum cupiditate diſcendi anno vno apud Auguſtinum manſiſſe, priùs quàm Hieroſolymam ad Hieronymum nauigauit. At Biuarius *Commentario ad Chron. Dextri ad ann.* 140. altiùs repetit, putatque aliquot annos apud Auguſtinum egiſſe. Deinde cenſet Baronius miſſum Oroſium ab Eutropio & Paulo in Hiſpaniâ Epiſcopis ad Auguſtinum: At Biuarius vult eum miſſum ab Herote, Lazaro & Prudentio Epiſcopis ad Concilium Carthaginenſe, non quaſi Conciliarem Patrem ſed vt internuntij vices gereret: quod cùm ille ætatis excuſatione defugeret; atque nihilominus inſtarent Epiſcopi, cupientes

pientes eius capax ingenium Auguſtini diſciplinâ ac contubernio excoli, ac contra ſuccreſcentes hæreſes muniri; deſiderio tanti magiſtri allectum Oroſium in Africam nauigaſſe. Nos hæc in medio relinquimus.

Cauſſa porrò huius profectionis erui poteſt tum ex Auguſtini ver-
» bis ſuprà allatis; tum ex ipſius Oroſij ad Auguſtinum: Per te, inquit,
» beate pater, per te Dominus Deus noſter quos caſtigauit in gladio,
» emendet in verbo. Ad te per Deum miſſus ſum, de te per eum ſpero,
» dum conſidero qualiter actum eſt, quòd huc venirem. Agnoſco cur
» venerim, ſine voluntate, ſine neceſſitate, ſine conſenſu. De patriâ
» egreſſus ſum, occulta quadam vi actus, donec in iſtius terræ littus
» allatus ſum. Hîc demum in eum reſipui intellectum, quòd ad te ve-
» nire mandabar. Fac me ad dilectum Dominum meum idoneum ne-
» gotiatorem inuentâ margaritâ, non fugitiuum ſeruum euerſâ ſub-
» ſtantiâ, reuerti. Dilacerati grauiùs à doctoribus prauis, quàm à
cruentiſſimis hoſtibus ſumus. *Oroſius Conſultus, vlt. ad Auguſt.* & ipſe *Aug. Epiſt.* 102. Quæ ſanè verba plurimum ſibi ſuffragari, neque immeritò, exiſtimat Biuarius.

Errores porrò, de quibus quæritur Oroſius, erant Priſcilliani dogmata, Manichæis affinia: quæ videri poſſunt *l. de hæreſ. hær.* 70. *& Epiſt.* 253. & nouiſſimè à duobus Auitis in Hiſpanias allata Origenis pernicioſa doctrina. In hanc enim veluti deſierant Priſcilliani nugamenta: vtque de Trinitate, & rerum omnium Creatore Deo, aliiſque temperanter Hiſpani ſaperent; ſupererat tamen palmaris controuerſia de Animâ: quam tametſi perſuaſum eſſet credere; perſuaderi non poterat, factam eſſe de nihilo, eo quod durum & impium videretur, voluntatem Dei dicere nihil eſſe, quo volente creata eſt. *Oroſ. in Conſult. Auguſt. l. ad Oroſ. cap.* 2.

§. II.

Liber Auguſtini ad Oroſium, contra Priſcillianiſtas.

AVguſtinus non defuit officio, ſed Oroſij conſultationi ſiue commonitorio de Priſcillianiſtis, & de quibuſdam Origenis ſenſibus,

bus quos Catholica fides improbat, quantâ potuit breuitate ac perſpicuitate reſpondit, Opuſculo cui titulus eſt: Ad Oroſium, contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas. *l.2. Ret. c.44.*

Alia plura erant, quæ ex Origenis operibus deſumpta commonitorio ſuo Oroſius comprehenderat: puta, ignem æternum quo peccatores puniantur, neque eſſe ignem verum, neque æternum: ſed dictum eſſe ignem, propriæ conſcientiæ punitionem: *æternum* autem iuxta etymologiam Græcam, non eſſe perpetuum, etiam Latino teſtimonio adiecto, quia dictum ſit *in æternum*, & in ſæculum ſæculi poſtpoſuerit æterno: ac ſic omnes peccatorum animas poſt purgationem conſcientiæ, in vnitatem corporis Chriſti eſſe redituras.

Voluerunt etiam de diabolo aſſerere, ſed non præualuerunt: eo quòd cùm ſubſtantia in eo bona facta, perire non poſſit; exuſtâ in totum malitia diaboli, aliquando ſaluandam eſſe ſubſtantiam. &c. *Oroſ. ibid.* Vide *Hieronymum Epiſt. ad Auitum.* Sed quæ omnia Auguſtinus ipſe pòſt diſtinctiùs refert: teſtaturque de vaniſſimâ iſtâ impietate, aduerſus Philoſophos beatitudinem in omni rationali creaturâ alternantes (à quibus iſta didicerat Origenes) in libris de Ciuitate Dei, ſe diligentiſſimè diſputaſſe. *l. de hæreſ. hær.43.*

Quapropter quæ libro ad Oroſium breuiter refutata ſunt; latiùs validiuſque reiecta Lector inueniet *l. 21. de Ciuit. Dei, toto.* Eos verò qui ad detegendos Priſcillianiſtas, homines è mendaciis periuriiſque confuſos, fas eſſe dicerent ſimulare atque mentiri, contra Scripturæ ſacræ doctrinam; validè repreſſos *l. cont. mendacium*: de quo ſuo loco dicturi ſumus.

§. III.

Oroſius pro diſcendâ Animæ origine in Palæſtinam mittitur.

OROſius interim, qui ſolo ſanctarum Scripturarum ardore inflammatus in Africam ſiue nunc, ſiue pridem aduenerat; *Epiſt. 102.* tantiſper apud Auguſtinum manſit: cumque de Animæ origine (de quâ pariter Origenes prolixè delirauerat, docens Animas non ſe-

cus atque Angelos in cælo peccaſſe: & in corpora ad luenda ſupplicia, veluti in carcerem eſſe detruſas: quam perinde Animæ originem Auguſtinus ignorare ita ſe fatebatur, vt in quamcumque ſe partem verteret, fluctus inueniret) plures vltrò citroque ſermones habuiſſent, ſicuti colligi clarè poteſt *l. ad Oroſ. c.* 11. *&* 12. occaſionem amittere noluit, paullò pòſt ad Hieronymum illum mittendi: rogaturum quænam de Origine Animarum eius eſſet ſententia: quam nimirum quæſtionem, Oroſij ad Auguſtinum conſultatio reſuſcitaſſet. *Epiſt.* 102. Vide infrà Cap. XIX. §. VIII.

Hinc videas nihil temerè à priſcis Patribus, nihil calidè in re dubiâ effuſum: ſiquidem à Marcellino viro clariſſimo pulſatus olim Hieronymus ſuper hâc quæſtione, pulſantem delegauit ad Auguſtinum: vbi iam Auguſtinus ipſe, alterâ vice pulſantem, remittit ad Hieronymum.

§. IV.

Auctor eſt Oroſio Auguſtinus ſcribendi contra Paganos.

CVm libro vndecimo operis ſui de Ciuitate Dei, iam tum Auguſtinus inſiſteret, vt teſtis eſt ipſe Oroſius, *præfat. in Orcheſt. mundi*: imò cùm profecturo in Palæſtinam Oroſio, duos libros ſcripſiſſet ad Hieronymum Presbyterum ſedentem in Bethleem: vnum de Origine Animæ hominis; alterum de ſententiâ Iacobi Apoſtoli, vbi ait; *Quicumque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus*: de vtroque conſulens eum: ita quidem vt priorem quæſtionem quam propoſuerat, non ſolueret; de poſteriore autem quid ſibi dicendum videretur, aperiret; *l.* 2. *Retr. c.* 45. *Epiſt.* 28. *&* 29. auctor extitit Oroſio Hiſtoriæ ſcribendæ contra Paganos: quâ vanitatis damnatur ea demum opinio, quæ non aliam malorum per id tempus Imperio Romano incubantium cauſſam adferebat, quam cultûs Deorum pertinacem contemtum.

Etenim non ob aliud quàm vt hanc conuelleret, animum ad ſcribendum appuliſſe teſtatur Oroſius, præfatione operis ſui ad AVRELIVM AVGVSTINVM, vt quidem habet inſcriptio (neque enim

haſtenus Aurelium appellatum reperi) dum ait: Præceptis tuis parüi beatiſſime Pater Auguſtine : atque vtinam tam efficaciter quàm libenter, *&c. Poſt pauca.* Præceperas mihi vt aduerſus vaniloquam prauitatem eorum, qui alieni à Ciuitate Dei, ex locorum agreſtium compitis & pagis, Pagani vocantur ſiue Gentiles, quia terrena ſapiunt: qui cùm futura non quærant, præterita autem aut obliuiſcantur aut neſciant; præſentia tantùm tempora, veluti malis extra ſolitum infeſtiſſima ob hoc ſolùm quòd creditur Chriſtus & colitur Deus, Idola autem minùs coluntur, infamant. Præceperas ergo vt ex omnibus qui haberi ad præſens poſſunt, Hiſtoriarum atque Annalium faſtis, quæcumque aut bellis grauia, aut corrupta morbis, aut fame triſtia, aut terrarum motibus terribilia, aut inundationibus aquarum inſolita, aut eruptionibus ignium metuenda, aut ictibus fulminum plagiſque grandinum ſæua, vel etiam parricidiis flagitiiſque miſera, per tranſacta retrò ſæcula reperiſſem; ordinato breuiter voluminis textu explicarem: maximè cùm reuerentiam tuam, perficiendo aduerſum hos ipſos Paganos vndecimo libro inſiſtentem (quorum iam decem orientes radij, mox vt de ſpeculâ Eccleſiaſticæ claritatis elati ſunt, toto orbe fulſerunt) leui opuſculo occupari non oporteret: & ſanctus filius tuus Iulianus Carthaginenſis ſeruus Dei, ſatisfieri ſuper hac re petitioni tuæ eâdem fiducia quâ popoſciſti exigeret: dedi operam, & meipſum in primis confuſione preſſi, cui plerumque reputanti, ſupra modum exæſtuauiſſe præſentium clades temporum videbantur. *Oroſ. præfat. Oper.*

Quapropter Oroſius ſeptem libris ſuis, vt inquit Gennadius, totius penè mundi temporis calamitates & miſerias, ac bellorum inquietudines replicans; oſtendit magis Chriſtianæ obſeruantiæ eſſe, quòd contra meritum ſuum res Romana adhuc duraret, & pace, culturâ Dei, pacatum retineret Imperium. *L. de Scriptor. Eccl.*

Ceterùm triennio circiter hoc opus ſuum Oroſius abſoluit, vt erui non difficilè poteſt ex iis quæ ſubiicit ad calcem Libri 7. cap. 43.

§. V.

Idem fecere Arnobius, & ante eum Tertullianus & Cyprianus.

ID idem ſolum duxerat iam pridem aratrum ſuum Arnobius, & ipſe Afer: vt conſtat ex libris ſeptem diſputationum contra Gen-
» tes, quarum primum orditur his verbis: Quoniam comperi nonnul-
» los, qui ſe plurimum ſapere ſuis perſuaſionibus credunt, inſanire, bac-
» chari, & velut quiddam promtum ex Oraculo dicere; poſtquam eſſe
» in mundo Chriſtiana gens cœpit, terrarum orbem periiſſe, multifor-
» mibus malis affectum eſſe genus humanũ, ipſos etiam Cælites dere-
» lictis curis ſollemnibus, quibus quondã ſolebant inuiſere res noſtras,
» terratũ ab regionibus exterminatos; ſtatui pro captu ac mediocritate
» ſermonis, contraire inuidiæ, & calumnioſas diſſoluere criminationes:
» ne aut illi ſibi videantur popularia dum verba depromunt, magnum
» aliquid dicere; aut ſi nos talibus continuerimus à litibus, obtinuiſſe
» ſe cauſſam putent; victam ſui vitio, non aſſertorum ſilentio deſtitu-
» tam, &c.

Et quia Deorum cultum, pluſculis ante hæc annis (puta temporibus Valentiniani & Theodoſij) poſtliminiò reuocare voluerat Symmachus Vrbi Præfectus, miſsâ ad Imperatores relatione aduerſus Chriſtianos, pro veteri Deorum cultu, contra quam Ambroſius primùm, pòſt Prudentius (poſtrato nimirum Rhadagaiſo) duobus carminum libris egit; nunc cum Oroſio Auguſtinus, eandem Paganorum calumniandi audaciam fortiter repulerunt. Sed ante hos Tertullianum, & Cyprianum vetuſtiores hiſce Patres, in eodem campo cucurriſſe palàm eſt. *Iuſtin. Mart. quæſt. & reſponſ. l. 1. qu. 126. Tertull. in Apolog. Cyprian. ad Demetrian.*

CAPVT

CAPVT XIX.

PELAGII FRAVDES. SYNODVS DIOSPOLITANA, &c.

§. I.

Auguſtinus ſcribit de Natura & Gratia ad Timaſium & Iacobum.

DVo erant religioſi adoleſcentes, ſerui Dei, in Africâ opinor, Anno 415.
quos profugus iſthuc à Gothorum Romæ furore Pelagius, non tantùm exhortatione ſuâ, ad relinquendam ſpem quam habebant in ſæculo, continenterque viuendum, verumetiam in erroris ſui naſſam pellexerat. Erant inquam Timaſius, & Iacobus: qui cùm Pelagiano errore tandem aliquando per Auguſtini operam, Domino inſpirante, caruiſſent; protulerunt librum quendam, Pelagij eſſe dicentes: *Epiſt.* 95. vbi hominis naturam contra Dei gratiam, quâ iuſtificatur impius & quâ Chriſtiani ſumus, quantâ potuit argumentatione defendit. *L.* 2. *Retract. cap.* 42. Et quoniam impendiò rogauerant, vt ei ab Auguſtino reſponderetur; factum eſt: *Epiſt.* 95. librumque quo huic reſpondit (defendens gratiam, non contra naturam, ſed per quam natura liberatur & regitur) De naturâ & Gratiâ nuncupauit. *L.* 2. *Ret. cap.* 42.

Sanè tantam in hoc ſuo De naturâ libro Pelagius vehementiam prodiderat, vt dicat de illo Auguſtinus: Vidi hominem zelo ardentiſſimo accenſum aduerſus eos, qui cùm in ſuis peccatis humanam voluntatem debeant accuſare, naturam potiùs accuſantes hominum, per illam ſe excuſare conantur. Nimis exarſit (Pelagius) aduerſus hanc peſtilentiam, quam etiam litterarum ſæcularium auctores grauiter arguerunt, exclamantes: *Falsò queritur de naturâ ſuâ genus humanum.* Saluſt. Hanc enim prorſus iſte ſententiam, quantis potuit ingenij viribus, aggerauit. *L. de Nat. & Grat. cap.* 1.

Cùm hunc Pelagij fœtum Auguſtinus poſtea cum refutatione ſuâ ad Innocentium Pontificem Maximum miſiſſet, vt, quid eſſet Pelagius, euidenter iudicaret; *Epiſt.* 95. eo perlecto atque euoluto, reſpondit Innocentius: In illo multa blaſphemia, nihil quod placeret, nihil quod non penitùs diſpliceret; à quouis damnandum atque calcandum: cui ſimilia, niſi qui iſta ſcripſerat, nemo alter in mentem reciperet atque ſentiret. *Epiſt.* 96.

Quidquid ſit, Pelagij nomen neque hoc ſaltem volumine Auguſtinus expreſſit, ne offenſus inſanabilior redderetur: faciliùs ſe exiſtimans profuturum, ſi ſeruatâ amicitiâ adhuc eius verecundiæ parceret, cuius litteris iam parcere non debebat. *Epiſt.* 106. Verumtamen iſtius eum poſtea conſilij pœnituit: quòd vidiſſet ſe, dum Pelagio dolorem addere formidaſſet, tumorem ſilentio auxiſſe. *l. de geſt. Palaſt. cap.* 23. & 25.

§. II.

Timaſius & Iacobus Auguſtino gratias agunt.

TImaſius interim & Iacobus, opere Auguſtini recepto quod ad eoſdem miſerat, agentes gratias, reſcripſerunt, *Epiſt.* 95. quorum Epiſtolæ exemplar tale eſt:

Domino verè beatiſſimo, & meritò venerabili Epiſcopo Auguſtino, Timaſius & Iacobus in Domino Salutem.

„ ITA nos refecit & recreauit gratia Dei, miniſtrata per verbum „ tuum; vt prorſus germanè dicamus, *miſit verbum ſuum & ſanauit eos,* „ Domine beatiſſime & meritò venerabilis pater. Sanè eâ diligentiâ „ ventilaſſe Sanctitatem tuam textum eiuſdem libelli reperimus; vt ad „ ſingulos apices reſponſa reddita ſtupeamus: ſiue in his quæ refutare, de„ teſtari, ac fugere deceat Chriſtianum; ſiue in illis, in quibus non ſa„ tis inuenitur erraſſe: quamuis neſcio quâ calliditate, in ipſis quo-

que

que Gratiam Dei credidit ſupprimendam.

Sed vnum eſt quod nos in tanto beneficio afficit, quia tardè hoc « tam præclarum Dei munus effulſit: ſiquidem contigit abſentes fieri « quoſdam (Pelagium ipſum Celeſtiumque) quorum cæcitati tam præ- « cipuæ veritatis illuſtratio deberetur: ad quos, etſi tardiùs, non diffi- « dimus propitio Deo eandem gratiam peruenire, qui vult omnes ho- « mines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Nos verò etſi olim ſpiritu charitatis qui in te eſt, docti, ſubiectio- « nem eius abiiceremus erroris; in hoc etiam nunc gratias agimus, « quòd hoc quod ante credidimus, nunc aliis aperire didicimus, viam « facilitatis vberiore ſanctitatis tuæ ſermone pandente. *Et alia manu*: Incolumem beatitudinem tuam, noſtrique memorem, miſericordia Dei noſtri glorificet in æternum. *l.de Geſt.Palaſt.c.24.*

Meminit eiuſdem operis à ſe compoſiti Auguſtinus, *Epiſt.* 102. vbi id Librum grandem appellat, aduerſus Pelagij hæreſin: vnaque cum aliis, quæ tum ediderat, offert Euodio, ſi quem miſerit qui cuncta deſcribat: nec non *Epiſt.*252. quà idem ad Ioannem Hieroſolymitanum Epiſcopum (poſt Synodum Dioſpolitanam) Pelagio tum adhuc fauentem, tranſmiſit: hâc fini, vt tortuoſus coluber, qui nunc aientis,nunc negantis,ad elabendum, formam aſſumebat; capi priùs, deinde caueri poſſet: non Romæ tantùm, vbi priuſquam à Gothis occuparetur, nidulatus fuerat, ſed non vltra rediit; verum etiam Hieroſolymæ.

Idem denique hoc opus exiſtimatur eſſe de quo Hieronymus, poſtquam recenſuerat editas ab Auguſtino contra Pelagianos commentationes, (puta ad Marcellinum tres numero: quartam ad Hilarium) hæc ſubdit: Alios quoque (commentarios) tuo nomini cudere dicitur, qui necdum in noſtras venere manus. Vnde ſuperſedendum huic labori cenſeo, ne dicatur mihi illud Horatij, In ſiluam ne ligna feras. Aut enim eadem diceremus ex ſuperfluo: aut ſi noua voluerimus dicere, à clariſſimo ingenio occupata ſunt meliora. *Hieron. lib.3. cont. Pelag.* Hoc namque elogium eſt, de quo alibi Hieronymus Auguſtino ſcribens ait: Certè in Dialogo quem nupe redidi, tuæ beatitudinis, vt dignum fuerat, recordatus ſum. *Epiſt. 30. apud Auguſt.*

§. III.

§. 111.

Donatiſtæ vitilitigatores perpetui.

DOnatiſtas non ceſſaſſe à ſtudio calumniandi, ſed replicuiſſe continenter veteres nugas, quas ſuprà retulimus, iſtud indicio eſt, quod inquit Auguſtinus: Ad Emeritum Donatiſtarum Epiſcopum, qui in Collatione noſtra, quam cum illis habuimus, eorum cauſſam maximè agere videbatur; aliquantò poſt eandem Collationem, ſcripſi Librum ſatis vtilem: quoniam res quibus vincuntur, vel victi eſſe monſtrantur, commodâ breuitate complectitur. *libr. 2. Retract. cap. 46.*

Quare tametſi conſtet Emeritum hunc, inſigniter fuiſſe pertinacem in ſchiſmate & hæreſi Donatiſtarum, vt dicturi infrà ſumus; quia tamen hic Auguſtini liber intercidit, impreſsè affirmare non poſſumus, ex quo capite, Collationis robur hic Emeritus voluerit eneruare; vt neceſſe habuerit Auguſtinus, ſingulari libro proſequi res, quibus vincuntur, & victi eſſe monſtrantur.

Neque enim puto tam ſtolidum fuiſſe Emeritum, (quem Auguſtinus aiebat & bono ingenio præditum, & liberalibus diſciplinis eruditum; *Epiſt.* 164.) vt diceret quod Donatus Presbyter Mutugennenſis: Poſſe ſe cum Catholicis, de ipſis Geſtis aliquid agere, ſi omittere voluerint verba Epiſcoporum partis Donati, vbi dixerunt: *Nec cauſſa cauſſæ, nec perſona perſonæ præiudicat.* Illi enim reſpondens Auguſtinus ait: Hæc verba vis omittamus, vbi per eos neſcientes veritas locuta eſt. Sed tu dicturus es, hic eos erraſſe, & in falſam ſententiam incautiùs cecidiſſe. Nos autem dicimus hoc eos verum dixiſſe, & hoc per teipſum facillimè probamus. Si enim Epiſcopi veſtri, electi ab vniuersâ parte Donati qui cauſſam omnium ſuſtinerent, & ſi quid egiſſent, gratum & acceptum ceteri haberent; tamen in eo quod illos temerè & non rectè dixiſſe arbitraris, non vis vt tibi præiudicent: verum ergo dixerunt, *quia nec cauſſa*

cauſſa, nec perſona perſonæ præiudicat. Et ibi debes agnoſcere, quia ſi perſona tot Epiſcoporum tuorum, in illis ſeptem conſtitutorum, non vis vt præiudicet perſonæ Donati Mutugennenſis Presbyteri; quantò minus non debet præiudicare Cęciliani perſona, etiamſi mali aliquid in illo eſſet inuentum, vniuerſæ vnitati Chriſti, quæ non in vna villâ Mutugennâ concluditur, ſed toto terrarum orbe diffunditur? &c. *Epiſt.* 204.

§. IV.

Heros & Lazarus Gallicani Epiſcopi Pelagium detegunt ac deferunt.

DVm ſic Donatiſtis partim, partimq; Pelagianis exſtirpandis Auguſtinus in Occidente incumbit; Pelagius in Oriente à viris bonis, qui diſputationibus eius offenſi fuerant, ad Epiſcopale iudicium perductus eſt. Nam ſicuti ante triennium Paullinus Diaconus, Celeſtium in Africa agentem, Chriſtianâ libertate detulit; ita nunc Heros & Lazarus Gallicani Epiſcopi, admirabili zelo Chriſtianæ fidei & doctrinæ impulſi, in Palæſtinam (vbi tum degebat Pelagius) itinere ſuſcepto, eumdem accuſare decreuerunt. Feciſſentque fructu multò maximo, niſi propter grauem vnius eorum ægritudinem, ad diem Synodi occurrere, & præſentes eſſe minimè potuiſſent. *L. de Geſt. Palæſt. c.* 1. *&* 35.

Ob hanc cauſſam euênit, vt accuſationis capita complecti libello debuerint, quem porrò Eulogio Epiſcopo Cæſarienſi, eius Prouinciæ Primati, tranſmiſerunt: qui ceteris Epiſcopis conuocatis Lyddam, quæ alio nomine Dioſpolis vocatur, Synodum indixit. Conuenerunt præter Eulogium, Ioannes, Ammonianus, Porphyrius, Eutonius, Porphyrius, Fidus, Zozymus, Zoboënus, Nymphidius, Chromatius, Iouinus, Eleutherius & Clematius, *l.* 1. *cont. Iul. cap.* 5. *&* 7. numero omnes quatuordecim: inductoque in conſeſſum Pelagio, obiecta ſunt ei plurima, quæ accuſationis libello continebantur.

Erant, vt diximus, abſentes Heros & Lazarus: adeoque adſtabat

nemo, qui Pelagium reſpondentem vel mendacij vel fraudis argueret: aut verborum Latinorum vim, quæ ex Pelagij libris decerpta legebantur, accuratiùs Græcis Epiſcoporum auribus interpretaretur. Quapropter ad ſingula, quæ propoſita fuerant, Pelagius veteratoriè reſpondit. Cumque aliud mente, aliud ore circumferens, haberet in Epiſcoporum numero quoſdam quorum gratiâ fruebatur; alij verò quod erat obiectum penitiùs non perſpicerent; abſolutionem, & Eccleſiæ filij teſtimonium, ſubdolus impoſtor ſuffuratus eſt.

Hâc de cauſsâ placuit Hieronymo, eam Synodum, miſerabilem appellare: *Epiſt. 24. apud Auguſt.* quæ quidem, quod tempus ſpectat, habita eſt Honorio x. & Theodoſio vi. AA. Coſſ. menſe Decembri præcipite (vt patet ex Luciani Presbyteri libello, de Inuentione Reliquiarum S. Stephani) inciditque in Annum cccc. xv. ætatis Auguſtini ſexageſimum ſecundum, paullò ante inchoatum.

De eâdem Synodo ita cecinit Proſper:

——— Non ſegnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit, captumq́, nefandi
Dogmatis auctorem conſtrinxit lege benignâ
Commentum damnare ſuum, ni corpore Chriſti
Abiungi, & ſancto mallet grege diſſociari.
Lene quidem hoc, nimiumq́, malos toleraſſe videtur
Iudicium: ſed ſancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de ſemine prolem.
Proſpectum namq́, eſt, diuino & munere cautum,
Vt licet inſtantem declinans beſtia pœnam,
Perfidia ſecum ſenſus tenuiſſet eoſdem;
Ipſa tamen proprium germen damnando necaret:
Ore malam extinguens ſobolem, quam protulit ore.
L. de Ingrat. c. 2.

§. V.

§. V.

Acta Synodi Dioſpolitanæ nudè exhibita, abſque Auguſtini Commentario.

VErumtamen erit operæ pretium, Geſta illius Synodi ſummatim exhibere: vt magis perſpicuè tum illa Proſperi intelligantur, tum præſertim clarè cernantur, quæ per id tempus Pelagio Celeſtioque obiecta ſunt.

Cùm Synodus Dioſpolin conueniſſet, inducto, vt dixi, in conſeſſum Pelagio, inter ea quæ libello comprehenſa eidem obiecta ſunt, illud fuit primum, quod in Libro quodam ſuo ſcripſiſſet: *Non poſſe eſſe ſine peccato, niſi qui legis ſcientiam habuerit.* Quo recitato Synodus dixit: Tu hoc edidiſti Pelagi? At ille reſpondit; Ego quidem dixi, ſed non ſicut illi intelligunt. Non dixi, Non poſſe peccare, qui ſcientiam legis habuerit; ſed adiuuari per legis ſcientiam, ad non peccandum, ſicut ſcriptum eſt: Legem in adiutorium dedit illis. Hoc audito Synodus dixit: Planè aliena non ſunt quæ reſpondit. *libro de Geſt. Palæſt. cap.* 1.

Adiecit Epiſcopalis Synodus & ait: Legatur aliud Capitulum. Et lectum eſt in eodem Libro ſuo poſuiſſe Pelagium: *Omnes voluntate propriâ regi.* Quo lecto Pelagius reſpondit: Et hoc dixi propter Liberum arbitrium, cui Deus adiutor eſt eligenti bona: homo verò peccans, ipſe in culpâ eſt quaſi liberi arbitrij. Quo audito Epiſcopi dixerunt: Neque hoc alienum eſt ab Eccleſiaſtica doctrina.

Item recitatum eſt, quod in Libro ſuo Pelagius poſuit: *In die iudicij iniquis & peccatoribus non eſſe parcendum, ſed æternis eos ignibus exurendos.* Sed cum reſpondiſſet Pelagius, hoc, ſecundum Euangelium ſe dixiſſe, vbi dicitur de peccatoribus, Iſti ibunt in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam; addidit: Si quis aliter credit, Origeniſta eſt. Hoc ergo Synodus dixit, alienum non eſſe ab Eccleſia. *eod. l. c.* 3.

Obiectum eſt & illud Pelagio, tamquam in Libro ſuo ſcripſerit: *Malum nec in cogitationem venire.* Reſpondit autem, Hoc non ita poſuimus, ſed diximus debere ſtudere Chriſtianum, ne malè cogitet.

tet. Quod ſicut decuit, Epiſcopi approbarunt. *eod. l. cap. 4.*

Recitatum eſt & aliud, quod in ſuo libello ſcripſerat: *Regnum cælorum etiam in veteri Teſtamento promiſſum.* Ad quod Pelagius: Hoc & per Scripturas probari poſſibile eſt. Hæritici autem in iniuriam veteris Teſtamenti, hoc negant. Ego verò Scripturarum auctoritatem ſecutus, dixi, quoniam in Propheta Daniele ſcriptum eſt: Et accipient ſancti regnum Altiſſimi. Quâ eius acceptâ reſponſione, Synodus dixit: neque hoc alienum eſt à fide Eccleſiaſtica. *eod. l. c. 5.*

Poſt hæc obiectum eſt, quod Pelagius in eodem libro ſuo ſcripſerit: *Poſſe hominem, ſi velit, eſſe ſine peccato.* Et quod ſcribens ad Viduam, adulatoriè dixit: *Inueniat apud te pietas, quæ nuſquam inuenit locum. Inueniat vbique peregrinans ſedem iuſtitia. Veritas, quam iam nemo cognoſcit, domeſtica tibi & amica fiat. Et lex Dei, quæ ab omnibus propè hominibus contemnitur, à te ſolâ honoretur.* Et iterum ad ipſam: *O! te felicem & beatam, ſi iuſtitia quæ in cælo tantùm eſſe credenda eſt, apud te ſolam inueniatur in terris.* Et alio ad ipſam Libro, poſt Orationem Domini & Saluatoris noſtri, docens quemadmodum debeant ſancti orare, ait: *Ille ad Deum dignè eleuat manus, ille orationem bonâ conſcientiâ effundit, qui poteſt dicere: Tu noſti Domine, quàm ſanctæ & innocentes & mundæ ſint ab omni malitiâ & iniquitate & rapinâ, quas ad te extendo manus: quemadmodum munda & iuſta labia, & ab omni mendacio libera, quibus offero tibi deprecationem, vt mihi miſerearis.*

Ad hoc autem Pelagius reſpondens, ait: Poſſe quidem hominem ſine peccato eſſe, & Dei mandata cuſtodire ſi velit, diximus: hanc enim poſſibilitatem Deus illi dedit. Non autem diximus, quod inueniatur aliquis ab infantia vſque ad ſenectam, qui numquam peccauerit: ſed quoniam à peccatis conuerſus, proprio labore & Dei gratiâ, poſſit eſſe ſine peccato: nec per hoc tamen in poſterum inconuertibilis. Reliqua verò quæ ſubiecerunt; neque in libris noſtris ſunt, neque talia vnquam diximus. His auditis, Synodus dixit: Quoniam negas te talia ſcripſiſſe, anathematizas illos, qui ſic tenent? Pelagius reſpondit: Anathematizo quaſi ſtultos, non quaſi hæreticos: ſiquidem non eſt dogma. Deinde iudicauerunt Epiſcopi dicentes: Nunc quoniam anathematizauit Pelagius inſertum ſtultiloquium, rectè reſpondens hominem cum adiutorio Dei & gratia, poſſe eſſe ſine peccato; reſpondeat & ad alia capitula. *eod. l. c. 6.*

Quapropter obiecta Pelagio ſunt, quæ in Doctrinâ Celeſtij diſci-

puli eius referuntur inuenta. *Adam mortalem factum; qui ſiue peccaret ſiue non peccaret, moriturus eſſet: quoniam peccatum Adæ, ipſum ſolùm læſerit, & non genus humanum. Quoniam lex ſic mittit ad regnum, quemadmodum Euangelium. Quoniam ante aduentum Chriſti, fuerunt homines ſine peccato. Quoniam infantes nuper nati, in illo ſtatu ſunt, in quo fuit Adam ante præuaricationem. Quoniam neque per mortem vel præuaricationem Adæ, omne genus hominum moriatur: neque per reſurrectionem Chriſti, omne genus hominum reſurgat.* Hæc ita obiecta ſunt, vt etiam apud Carthaginem ab Aurelio & aliis Coëpiſcopis dicerentur audita, atque damnata, abſente tum Auguſtino.

Deinde obiecta ſunt & alia quædam capitula, commemoratione nominis Auguſtini interpoſitâ, quæ miſſa ei de Siciliâ fuerant, cùm ibi fratres Catholici huiuſmodi quæſtionibus turbarentur: quibus & reſpondit ſcripto ad Hilarium Libro, à quo erat conſultus. Iſta ſunt autem: *Poſſe hominem ſine peccato, ſi velit eſſe. Infantes etſi non baptizentur, habere vitam æternam. Diuites baptizatos, niſi omnibus abrenuntient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputari illis, neque regnum Dei poſſe eos habere.* Ad hæc ſibi obiecta, Pelagius ita reſpondit: Poſſe quidem hominem ſine peccato eſſe, dictum eſt ſuperiùs. De eo autem quod fuerint ante aduentum Domini homines ſine peccato, dicimus & nos, quoniam ante aduentum Chriſti vixerunt quidam ſanctè & iuſtè, ſecundùm Scripturarum ſanctarum traditionem. Reliqua verò & ſecundùm ipſorum teſtimonium à me dicta non ſunt, pro quibus ego ſatisfacere non debeo: ſed tamen ad ſatisfactionem ſanctæ Synodi, anathematizo illos qui ſic tenent, aut aliquando tenuerunt. Poſt hanc eius reſponſionem, Synodus dixit: Ad hæc prædicta Capitula ſufficienter & rectè ſatisfecit præſens Pelagius, anathematizans ea quæ non erant eius. *eod. l. c.* 11.

Obiectum eſt Pelagio quod diceret, *Eccleſiam hîc eſſe ſine maculâ & rugâ.* Ad quod reſpondit: Dictum eſt à nobis ſcilicet ita, Quoniam lauacro, ab omni maculâ & rugâ purgatur Eccleſia, quam velit ita Dominus permanere. Ad quod Synodus dixit: Hoc & nobis placet. *eod. l. c.* 12.

Deinde obiecta ſunt de Libro Celeſtij, quid in vnoquoque capitulo contineatur, magis ſecundùm ſenſum, quàm ſecundùm verba: quæ quidem ille latiùs exſequitur; ſed tunc ſubiicere omnia, qui libellum aduerſus Pelagium dederant, ſe non potuiſſe dixerunt. Ergo in primo

mo Capitulo Libri Celeſtij, hoc ſcriptum eſſe poſuerunt: *Quoniam plus facimus, quàm in lege & Euangelio iußum eſt.* Ad quod Pelagius reſpondit: Hoc quaſi noſtrum poſuerunt: dictum eſt verò à nobis ſecundùm Apoſtolum de Virginitate, de qua Paullus dicit: Præceptum Dei non habeo. Synodus dixit: Hoc & Eccleſia recipit. *eod. l. cap.* 13.

Hinc iam obiecta ſunt Pelagio alia Celeſtij capitula capitalia, & ſine dubitatione damnanda: quæ niſi anathematizaſſet; cum his ſine dubio fuiſſet damnatus, inquit Auguſtinus: & ſuperioribus verſibus adſtipulatur Proſper. Primùm, in tertio Capitulo ſcripſiſſe Celeſtium: *Gratiam Dei & adiutorium, non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege ac doctrinâ.* Et iterum: *Dei Gratiam ſecundùm merita noſtra darj: quia ſi peccatoribus illam det, videtur eſſe iniquus.* Et his verbis intuliſſe: *Propterea & ipſa Gratia in mea voluntate poſita eſt, ſiue dignus fierem ſiue indignus. Si enim per gratiam omnia facimus; quando vincimur à peccatis, nos non vincimur, ſed Dei gratia, qua voluit nos adiuuare omnimodò, & non potuit,* Et iterum ait: *Si gratia Dei eſt quando vincimus peccata; ergo ipſe eſt in culpâ, quando à peccato vincimur: quia omnino cuſtodire nos aut non potuit, aut noluit.* Ad iſta Pelagius reſpondit: Hæc vtrum Celeſtij ſint, ipſi viderint qui dicunt ea Celeſtij eſſe: ego verò numquam ſic tenui, ſed anathematizo, qui ſic tenet. Synodus dixit: Recipit te ſancta Synodus, ita verba reproba condemnantem. *eod. l. c.* 14.

Deinde cùm de quinto Capitulo libri Celeſtij Pelagio fuiſſet obiectum, quod affirment, *Vnumquemque hominem, omnes virtutes poſſe habere & gratias: & auferant diuerſitatem gratiarum, quam Apoſtolus docet;* Pelagius reſpondit: Dictum eſt à nobis, ſed malignè & imperitè reprehenderunt. Non enim auferimus gratiarum diuerſitatem; ſed dicimus donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere omnes gratias, ſicut Apoſtolo Paullo donauit. Ad hoc Synodus dixit: Conſequenter & Eccleſiaſtico ſenſu & ipſe ſenſiſti de dono gratiarum quæ in ſancto Apoſtolo continentur. *eod. l. & cap.*

In ſexto Capitulo Celeſtij libri poſitum, obiectum eſt: *Filios Dei non poſſe vocari, niſi omnimodò abſque peccato fuerint effecti.* In ſeptimo: *Obliuionem & ignorantiam, non ſubiacere peccato: quoniam non ſecundùm voluntatem eueniunt, ſed ſecundùm neceßitatem.* In decimo Capitulo: *Non eſſe liberum arbitrium, ſi indigeat auxilio: quoniam in propria voluntate habet vnuſquiſque aut facere aliquid, aut non facere.* In duodecimo

cimo

cimo Capitulo: *Victoriam noſtram non ex Dei eſſe adiutorio, ſed ex libero arbitrio.* Quod inferre dictus eſt his verbis: *Noſtra eſt Victoria, quoniam propriâ voluntate arma ſuſcepimus: ſicut è contrario noſtrum eſt quando vincimur, quoniam armari propriâ voluntate contemſimus.* Et de Apoſtolo Petro poſuit teſtimonium: *Diuinæ nos eſſe conſortes naturæ.* Et ſyllogiſmum facere dicitur: *Quoniam ſi anima non poteſt eſſe ſine peccato; ergo & Deus ſubiacet peccato, cuius pars, hoc eſt anima, peccato obnoxia eſt.* In decimo tertio Capitulo dicit: *Quoniam pœnitentibus venia non datur ſecundùm gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundùm merita & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordiâ. eod. l. c.* 18.

His recitatis, Synodus dixit: Quid ad hæc quæ lecta ſunt capitula, dicit præſens Pelagius Monachus? Hoc enim reprobat ſancta Synodus, & ſancta Dei Catholica Eccleſia. Pelagius reſpondit: Iterum dico; quia hæc ſecundùm ipſorum teſtimonium non ſunt mea, pro quibus, vt dixi, ſatisfactionem non debeo. quæ verò mea eſſe confeſſus ſum; hæc recta eſſe affirmo: quæ autem dixi non eſſe mea; ſecundùm iudicium ſanctæ Eccleſiæ reprobo, anathema dicens omni contrauenienti & contradicenti ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ doctrinis. Ego enim in vnius ſubſtantiæ Trinitatem credo, & omnia ſecundùm doctrinam ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ: ſi quis verò aliena ab hac ſapiat, Anathema ſit. *eod. l. c.* 19.

Synodus dixit: Nunc quoniam ſatisfactum eſt nobis, proſecutionibus præſentis Pelagij Monachi; qui quidem piis doctrinis conſentit, contraria verò Eccleſiæ fidei reprobat & anathematizat; communionis Eccleſiæ eum eſſe Catholicæ confitemur. *eod. l. c.*20.

Atque ita Synodus: magis vtique attendens ad verba coràm loquentis Pelagij, quàm ſcripta ipſius: aut certè non tam diſcutiens quid ſcripſiſſet, quàm quomodo ſe diceret ſenſiſſe. Verùm poſtea claruit eum fuiſſe mentitum, Synodumque circumueniſſe, dum aliud linguâ promeret, aliud mente tegeret, vt patet de hiſce Actis legenti Commentariolum Auguſtini: è quo hoc ſaltem manifeſtè liquet, quod ipſa hîc hæreſis damnata fuerit: *eod. l. c.* 35. & Proſper citatis antea verſibus teſtatur: quamuis eius ſeminator auctorque Pelagius, ſubdolè exierit abſolutus.

§. VI.

§. VI.

Pelagius in Synodo abſolutus, litteris Auguſtini ſe iactitat: quas pòſt Auguſtinus exponit.

PElagius igitur, vt iam non purgatus tantummodò, ſed ſplendidus etiam videri poſſet, præclarorum virorum Litteras ad ſe ſcriptas, non ſine faſtu in Synodo exhibuit: atque inter eas Auguſtini, quas ſuprà produximus: quibus ne quis vllo pacto poſſet offendi, ſic aliquando eas Auguſtinus interpretatus eſt.

Ego quidem, inquit, in Epiſtola meâ quam protulit, non ſolùm ab eius laudibus temperaui; ſed etiam quantum potuì ſine eius commotione, quæſtiones de Dei gratiâ rectè ſapere admonui. Dixi enim in ſalutatione *Dominum*, quod Epiſtolari more etiam non Chriſtianis quibuſdam ſcribere ſolemus. Nec id mendaciter: quoniam omnibus ad ſalutem quæ in Chriſto eſt conſequendam, debemus quodammodò liberam ſeruitutem.

Dixi *dilectiſſimum*, quod nunc dico, &, ſi iratus fuerit, adhuc dico: quoniam niſi erga eum dilectionem tenuero illo iraſcente; ipſe mihi magis nocebo. Dixi *deſideratiſſimum*: quoniam valde cupiebam cum præſenti aliquid colloqui: iam enim audieram contra Gratiam quâ iuſtificamur, quando hinc aliqua commemoratio fieret, apertâ eum contentione conari. Denique litterarum ipſarum breuis textus hoc indicat. Nam cùm egiſſem gratias, quòd me ſcriptis ſuis exhilaraſſet, certum faciendo de ſuâ ſalute ac ſuorum (quos vtique ſi correctos volumus, etiam corporali ſalute ſaluos velle debemus) mox ei bona optaui à Domino retribui, non ad ſalutem corporis pertinentia, ſed ea potiùs quæ putabat eſſe, vel fortè adhuc putat, in ſolo arbitrio voluntatis & propriâ voluntate poſita: ſimul optans & propter hoc vitam æternam. Deinde quia litteris ſuis, quibus reſpondebam, talia quædam in me bona multùm benignèque laudauerat; etiam ibi petiui ab eo, vt pro me oraret, quò potius à Domino talis fierem, qualem me eſſe iam crederet: vt eum ſic admonerem, contra quod ille ſapiebat, ipſam quoque iuſtitiam, quam in me laudandam putauerat,

rat, non eſſe volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.

Hoc eſt totum quod breuis illa Epiſtola continet, eâque intentione dictata eſt. Et poſt recitatam Epiſtolam: In ipſa quoque ſubſcriptione quod poſui, *vt Domino placeat*: magis hoc eſſe ſignificaui in eius gratia, quàm in ſolâ hominis voluntate: quando id nec hortatus ſum, nec præcepi, nec docui, ſed optaui. Quemadmodum verò ſi hortarer, aut præciperem, vel docerem pertinere hoc, & ad liberum arbitrium demonſtrarem, nec tamen Dei gratiæ derogarem: ita, quia optaui; Dei quidem commendaui gratiam, non tamen arbitrium voluntatis extinxi.

Vt quid ergò in iudicio protulit hanc Epiſtolam? ſecundùm quam, ſi ab initio ſapuiſſet, nullo modo fortaſſis, licet à bonis fratribus, ſed tamen peruerſitate diſputationum eius offenſis, ad Epiſcopale iudicium vocaretur. *l. de geſt. Palæſt. c.26. & 28.*

Quæ libentiùs ideo deſcripſi, quòd opuſculum de Geſtis Palæſtinis (potius quàm de geſtis Pelagij) ab hinc annis paullò amplius triginta, è Bibliothecâ Feſulanâ S. Bartholomæi Canonicorum Regularium Lateranenſium erutum, nondum vulgò exſtet.

§. VII.

Alia quæ poſt Synodum à Pelagio geſta ſunt.

SParſit & alia nonnulla, quibus ſi poſſet, innocentiam ſuam toto orbe teſtatam faceret. Geſtorum enim Synodalium tarditate procuratâ, ſcripſit epiſtolam ad amicum quemdam ſuum Presbyterum, à quo fuerat per litteras benignè admonitus, ne per eius occaſionem ſe aliquis à corpore Eccleſiæ ſepararet. Ibi inter cetera, ait: Quatuordecim Epiſcoporum ſententiâ definitio noſtra comprobata eſt, quâ diximus: *Poſſe hominem ſine peccato eſſe, & Dei mandata facilè cuſtodire ſi velit.* Quæ ſententia, inquit, contradictionis os, confuſione perfudit: & omnem in malum conſpirantem ſocietatem, ab inuicem ſeparauit. *l. de Geſt. Palæſt. c.30.* Sed mentitus eſt impoſtor. Siquidem de facilitate non peccandi, quam nunc aggerebat, nulla fuerat in hoc

iudicio quæſtio, quaſi iudicibus etiam de hoc verbo placuiſſet: de Gratia verò Dei, quam confitendo & addendo, pœnam Eccleſiaſticæ damnationis euaſerat, omninò nunc tacebat. *eod. l. c.31.*

Ex quo coniici poteſt, quàm veraciter in Synodo Dei Gratiam (quæ neque natura eſt cum libero arbitrio; neque legis ſcientia; neque tantùm remiſſio peccatorum: ſed ea, quæ ſingulis noſtris actibus neceſſaria eſt) fuerit confeſſus: quamque veraciter anathematizauerit eos, qui talia ſentirent. *eod. l. & c.* Quare non eſt de nihilo, quòd Pelagij diſcipuli, Magiſtro poſtea ſuo propter eiuſcemodi aſtutarum interpretationum nebulas (quarum nonnullas Auguſtinus refert *l.1. cont. Iulian. c.5.*) toto capite annuentes; iudicium illud Dioſpolitanum illuſum, ac tot Epiſcopos ab eo irriſos eſſe riſerint: ipſe verò fraudes fraudibus pertexerit, ne quando, aut repentè viderentur.

Nam & in chartula defenſionis ſuæ, quam ad Auguſtinum direxit per quemdam Hipponenſem ciuem & Diaconum Orientalem, fecit aliquid, quod aliter ſe haberet, quàm geſtis Epiſcopalibus (vti poſtea deprehendit Auguſtinus) contineretur. *l. de geſt. Palæſt. c.32.* Quod licet videri exiguum poſſet; attamen hanc chartulam ita concinnauerat, vt aliquarum ſententiarum Celeſtij, quas in geſtis anathematizaſſe perſpicuum erat, reſeruaſſe ſibi defenſionem videri nihilominus poſſet. Alios denique nonnullos articulos ita congeſſerat, ac ſi poſt Synodum licita adhuc eorum defenſio eſſet: cùm videlicet non dixiſſet id modò ſe ſentire ac ſapere, quod Eccleſia iudicaſſet; ſed quod in poſterum fuiſſet iudicatura. *eod. l. c.33.*

Vtque eiuſcemodi ſtrophis parum eſſet erepſiſſe iudicio, & lubrici tantùm ac degeneris animi dediſſe ſignum; cœpit mox libris quatuor de Libero arbitrio editis, cuncta quæ in Palæſtinâ Synodo damnauerat, adſtruere: *Epiſt. 106.* tantâ impudentiâ; vt & apertè peccatum Originale tolleret, & ſimul de geſtis Palæſtinæ Synodi gloriaretur. *l. 2. de pecc. Orig. c.14.* Et quamquam eodem opere Dei gratiam videri voluerit vehementer commendaſſe, ſicuti poſtea iactitauit in litteris ad Innocentium Papam, quæ ſucceſſori ipſius Zozymo traditæ ſunt, vt pòſt dicemus: attamen cum ad legem doctrinamque, & alia externa adminicula, aut Chriſtianis Ethniciſque communia, eandem retulit; ſuſtuliſſe potiùs, quàm ſanxiſſe dicendus eſt. Quare poſt abſolutam Synodum, cum repetente Africam Oroſio rectè ſcribebat

bebat

bebat ad Auguſtinum Hieronymus: Magis demus operam, vt per- «
nicioſiſſima hæreſis de Eccleſiis auferatur: quæ ſemper ſimulat pœ- «
nitentiam, vt docendi in Eccleſiis habeat facultatem: ne, ſi apertâ «
ſe luce prodiderit, foras expulſa moriatur. *Epiſt.* 20. *apud Auguſt.* Quo «
in loco pœnitentiam videtur appellare Hieronymus, eam Pelagij hypocriſin quâ Paleſtinis iudicibus abſolutionem extorſit.

Ceterùm aduerſus Hieronymum (cui non obſcurè erat infenſus, ob Dialogorum libros, quibus pleroſque amfractus hæreſeos Pelagianæ patefecerat) apertâ vindictâ, ipſe, vel ipſius aſſeclæ arſerunt. Hiſtoriam Auguſtinus attigit, ad calcem Libri De geſtis Palæſtinis, vnde eam breuiter commemorabimus.

De his, inquit, quæ poſt hoc iudicium ibi, neſcio à quo cum eo perditorum, qui valdè in peruerſum perhibentur Pelagio ſuffragari, incredibili audaciâ perpetrata dicuntur, vt Dei ſerui & ancillæ ad curam ſancti Hieronymi Presbyteri pertinentes, ſceleratiſſimâ cæde afficerentur: Diaconus occideretur: ædificia Monaſteriorum incenderentur: vix ipſum (Hieronymum) ab hoc impetu atque incurſu impiorum, in Dei miſericordiâ turris munitior tueretur: tacendum nobis potiùs video, & exſpectandum, quid illic fratres noſtri Epiſcopi, de his tantis malis agendum exiſtiment, quibus eos diſſimulare poſſe quis credat? Impia quippe dogmata eiuſcemodi hominum, à quibuſlibet Catholicis, etiam qui ab illis terris longè abſunt, redarguenda ſunt, ne vbicumque nocere poſſint, quò peruenire potuerint: impia verò facta, quorum coërcitio ad Epiſcopalem pertinet diſciplinam, vbi committuntur, ibi potiſſimùm à præſentibus, vel in proximo conſtitutis, diligentiâ paſtorali, & piâ ſeueritate plectenda ſunt. *Ita Auguſt. lib. cit. in fine.*

Quare cum ſuper hiſce malis Hieronymus, tum Euſtochium & Paulla, generoſæ ſanctæque virgines, queſtæ Innocentio Papæ eſſent, nominibus hominum cauſſaque ſuppreſſis; ſeuerâ Ioannem, Hieroſolymitanum Epiſcopum, Innocentius monitione perſtrinxit. Ioannem enim dilexiſſe Pelagium, ſatis ex Auguſtino colligitur, Epiſtolâ 252. quâ Ioannem inſtruit, quid de Dei gratia Pelagius ſentiat: ſicque monet diligendum; vt ne ab eo quem diligit, homines qui Pelagium norunt & audierunt, falli Ioannem putent. Nam & firmæ cum Pelagio amicitiæ Ioannis indicium eſt, quòd in eodem ipſo Palæ-

 ſtino

ſtino Concilio, in abſentes accuſatores Pelagij, tamquam calumniatores, Ioannes videatur inuectus. *libro de geſt. Pal. c. 16.*

§. VIII.

Argumentum Litterarum Auguſtini ad Hieronymum, ab Oroſio allatarum.

APpulerat interea in Palæſtinam Oroſius, nequaquam tamen Synodo præſens, vt ex Auguſtino patet. *l. de Geſtis Palæſt. c. 15.* & ſanctum Hieronymum adiens, quas habebat ab Auguſtino litteras porrexit. Erant vti diximus, de Animæ origine, & Iacobi Apoſtoli ſententia, Qui peccat in vno, &c.

Non erit iniucundum, candorem & humilitatem Auguſtini, in tanta eruditione, audire paucula loquentem. Infit igitur: Deum noſtrum qui nos vocauit in ſuum regnum & gloriam, & rogaui & rogo, vt hoc quod ad te ſcribo, ſancte frater Hieronyme, conſulens te de hisquæ neſcio, fructuoſum eſſe nobis velis. Quamquam enim te, multò quàm ego ſum ætate maiorem, tamen etiam ipſe iam ſenex conſulo. ſed ad diſcendum quod opus eſt, nulla mihi ætas ſera videri poteſt: quia etſi ſenes magis decet docere, quàm diſcere; magis tamen diſcere, quàm quid doceant ignorare.

Nihil equidem moleſtiùs fero in omnibus anguſtiis meis quas patior in difficillimis quæſtionibus, quàm in tam longinqua tuæ charitatis abſentia, vt vix poſſim meas dare, vel recipere litteras tuas, per interualla non dierum, non menſium, ſed aliquot annorum: cùm ſi fieri poſſet, quotidie præſentem te habere vellem, cum quo loquerer, quidquid vellem. Nec ideo tamen non debui facere quod potui, ſi non potui totum quod volui.

Ecce venit ad me religioſus iuuenis, Compresbyter noſter Oroſius, vtile vas in domo Domini eſſe deſiderans, ad refellendas falſas pernicioſaſque doctrinas, quæ animas Hiſpanorum multò infeliciùs quàm corpora, barbaricus gladius trucidarunt. Nam inde ad nos vſque ab Oceani littore properauit, famâ excitus quod à me poſſet de his quæ ſcire vellet, quidquid vellet audire. Neque

Neque nullum cepit aduentûs ſui fructum. Primò, ne de me multùm famæ crederet : deinde docui hominem quod potui : quod autem non potui, vnde diſcere poſſet admonui,atque vt ad te iret, hortatus ſum. Qua in re conſilium vel præceptum meum, cum libenter & obedienter acciperet; rogaui eum, abs te veniens, per nos ad propria remearet. Quam eius pollicitationem tenens, occaſionem mihi credidi à Domino eſſe conceſſam, qua tibi ſcriberem de his, quæ per te ſcire cupio. Quærebam enim quem ad te mitterem, nec mihi facilè occurrebat idoneus, & fide agendi, & alacritate obediendi, & exercitatione peregrinandi. Vbi ergo iſtum iuuenem expertus ſum; cum ipſum eſſe,qualem à Domino petebam, dubitare non potui. *Epiſt.* 28. Et hæc quidem de Oroſio, eiuſque itinere.

Poſt quæ, cùm quæſtionem de Anima ingeſſiſſet, atque expoſuiſſet ordine quæ firmiſſimè tenebat ipſe; retuliſſet præterea varias de hac re opiniones; ad Hieronymum rediens: Ne longum faciamus,inquit, hoc certè ſentis quod ſingulas animas, ſingulis naſcentibus, etiam modò Deus faciat. *eád. Epiſt.* & paucis interiectis : Ecce volo, vt illa ſententia etiam mea ſit : ſed nondum eſſe confirmo. *ibid.* Ac poſtea :

Doce quod teneam : & dic mihi, ſi animæ ſigillatim in ſingulis naſcentibus fiunt; vbi in paruulis peccent, vt indigeant in ſacramento Chriſti remiſſione peccati, peccantes in Adam ex quo caro eſt propagata peccati? Aut ſi non peccant; quâ iuſtitiâ Creatoris ita peccato obligantur alieno, cùm exinde propagatis membris mortalibus inſeruntur, vt eas, niſi per Eccleſiam ſubuentum fuerit, damnatio conſequatur, cùm in earum poteſtate non ſit, vt eis poſſit gratiâ Baptiſmi ſubueniri? &c. *eád. Epiſt.*

Hæc quippe ſola ratio erat, quæ procurrentem in eamdem ſententiam cum Hieronymo Auguſtini animum ſufflaminabat. Poterat alia ſoluere, quæ aduerſus hanc opinionem dicebantur : Sed cum ad pœnas ventum eſt paruulorum, inquit, magnis, mihi crede, coarctor anguſtiis, nec quid reſpondeam prorſus inuenio. Non ſolùm eas pœnas dico, quas habet poſt hanc vitam illa damnatio, quò neceſſe eſt trahantur, ſi de corpore exierint ſine Chriſtianæ gratiæ Sacramento; ſed eas ipſas quæ in hac vita dolentibus nobis verſantur ante oculos : quas enumerare ſi velim, priùs tempus quàm exempla deficient. Langueſcunt ægritudinibus, torquentur doloribus, fame & ſiti crucian-

tur, debilitantur membris, priuantur ſenſibus, vexantur ab immundis ſpiritibus. Demonſtrandum eſt vtique, quomodo iſta, ſine vlla ſua mala cauſſa, iuſtè patiantur. Non enim dici fas eſt, aut iſta ignorante Deo fieri: aut eum non poſſe reſiſtere facientibus: aut iniuſta illa vel facere vel permittere. *ibidem*: viderique poteſt. *l. 1. de peccat. mer. & remiſſ. c.* 35. 36. 37. *& ſeqq.*

Et poſt nonnulla: Sed vt omittamus & contemnamus ea, quæ breui tempore patiuntur, nec tranſacta reuocantur; numquid ſimiliter contemnere poſſumus, quòd per vnum hominem mors, & per vnum hominem reſurrectio mortuorum? Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes viuificabuntur. Per hanc enim Apoſtolicam, diuinam, claramque ſententiam, ſatis euidenter elucet, neminem ire in mortem niſi per Adam: neminem ire in vitam æternam, niſi per Chriſtum. Hoc eſt quippe *omnes* & *omnes*. Quia ſicut omnes homines per primam; hoc eſt per carnalem generationem, pertinent ad Adam; ſic omnes homines per ſecundam, id eſt per ſpiritualem generationem veniunt, quicumque ad Chriſtum perueniunt, &c. *eâd. Epiſt.*

Deinde: Huius igitur damnationis in paruulis, cauſſam requiro. Quia neque animarum, ſi nouæ fiunt ſingulæ ſingulis, video eſſe vllum in vlla ætate peccatum: nec à Deo damnari aliquam credo, quam videt nullum habere peccatum. *eâd. Epiſt.* Et aliis quibuſdam interiectis:

Quæ cum ita ſint, quærenda cauſſa eſt atque reddenda, quare damnentur animæ quæ nouæ creantur ſingulis quibuſque naſcentibus, ſi præter Chriſti Sacramentum paruuli moriantur. Damnari enim eas ſi ſic de corpore exierint, & ſancta Scriptura, & ſancta eſt teſtis Eccleſia. Vnde illa de Animarum nouarum creatione ſententia, ſi hanc fidem fundatiſſimam non oppugnat, ſit & mea: ſi oppugnat, non ſit & tua. *ibidem.* Poſt quædam:

Hæc autem difficultas etiam illos ſequitur, qui iam exiſtentes alibi animas, & ab initio diuinorum operum præparatas, à Deo mitti opinantur in corpora. Nam & ab his hoc idem quæritur: Si animæ inculpatæ, obedienter veniunt quò mittuntur; cur in paruulis, ſi non baptizati vitam iſtam finierint, puniuntur? *eâd. Epiſt.* Denique:

Illam verò opinionem, quòd ex vnâ fiant omnes animæ, nec diſcutere volo, niſi neceſſe ſit: atque vtinam iſta, de qua nunc agimus,

mus, ſi vera eſt, ſic abs te defendatur, vt hoc iam neceſſe non ſit. Quamuis autem deſiderem, rogem, votis ardentibus exoptem & exſpectem, vt per te mihi Dominus huius rei auferat ignorantiam; tamen ſi, quod abſit, minimè meruero, patientiam mihi petam à Domino Deo noſtro, in quem ſic credimus, vt ſi aliqua nobis non aperiat etiam pulſantibus, nullo modo aduerſus eum murmurare debeamus, &c. *Epiſt.* 28.

Vt enim indicat Epiſtolâ ſequenti ad Hieronymum, Potiùs hoc inquirendum eſt, quod ad agendam præſentem vitam attinet, quàm quod eſt de perſcrutandâ præteritâ, quam penitus demerſit obliuio. Eleganter enim dictum eſſe, narratur, inquit, quod huic rei ſatis aptè conuenit. Cum quidam ruiſſet in puteum, vbi aqua tanta erat, vt eum magis exciperet ne moreretur, quàm ſuffocaret ne loqueretur; acceſſit alius, & eo viſo admirans, ait: quomodo huc cecidiſti? At ille: obſecro, inquit, cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim quæras. Ita quoniam fatemur, & fide Catholicâ tenemus, de reatu peccati, tamquam de puteo, etiam paruuli infantis animam Chriſti gratiâ liberandam; ſatis eſt ei quod modum quomodo ſalua fiat nouimus, etiamſi numquam quomodo in malum illud deuenerit, nouerimus, &c. *Epiſt.* 29.

§. IX.

Ad litteras Auguſtini, non reſpondit Hieronymus.

HAnc interim quæſtionem, pro D. Hieronymi ſententiâ (in quam porrò Auguſtinus iuit) tandem Eccleſia, licet ſerò definiuit: Gregorij enim magni æuo adhuc pependiſſe indeciſam, patet apud eumdem. *l.* 7. *Epiſt.* 33. *ad Secundin.* Quapropter neque eandem Hieronymus reſpondendo aſſeruit, qua de cauſſâ incertum. Reſcripſit quidem per Oroſium, vehementer laudans duos Auguſtini libellos, quos non eruditiſſimos ſolum, ſed omni eloquentiæ ſplendore fulgentes appellat: mox ſubdens: Quidquid dici potuit, & ſublimi ingenio de Scripturarum ſanctarum hauriri fontibus, à te poſitum atque diſſertum eſt. *Epiſt.*30. *apud Auguſt.* Ex

Ex quibus perinde litteris apparet, tum reſpondendi forſitan otium non habuiſſe: quod & Auguſtinus exiſtimauit: *l. 2. Retract. c. 45.* vel, propter gliſcentes nunc Pelagianos, noluiſſe eam quæſtionem attingere: ne, ſi fortè in ſenſum ab Auguſtino contrarium in quibuſdam abiiſſet, ipſi gauderent, partium Catholicarum duces inter ſe commiſſos.

Vt vt eſt, donec in corpore Hieronymus eſſet, hoſce libros edere noluit Auguſtinus, ſperans aliquando reſponſurum: tuncque cum ipſa eius reſponſione, potiùs ederentur. Sed cum non feciſſet; defuncto Hieronymo edidit priorem librum: vt qui legit, admoneatur aut non quærere omninò quomodo detur anima naſcentibus: aut certe de re obſcuriſſima eam ſolutionem quæſtionis huius admittere, quæ contraria non ſit apertiſſimis rebus, quas de Originali peccato fides Catholica nouit in paruulis, niſi regenerentur in Chriſto, ſine dubitatione damnandis. Poſteriorem verò ad hoc, vt quæſtionis de qua ibi agitur, etiam quæ viſa ſit ei ſolutio, ipſa noſcatur. *libro 2. Retract. cap. 45.*

CAPVT XX.

STVDIVM AVGVSTINI CONTRA PELAGIVM.

§. I.

Synodus Carthaginenſis, in cauſſa Pelagij.

Anno 416. ANno poſt Synodum Dioſpolitanam, aperiente ſe mari, ſoluit ex Palæſtina Oroſius, deferens ſecum Reliquiarum partem Protomartyris Stephani recenter inuentarum, ab Auito Presbytero acceptam: & vti fuerat Auguſtino pollicitus, applicuit in Africam.

Reperit

Reperit Carthagine, ex diuerſis cauſſis congregatam Synodum ſexaginta octo Epiſcoporum, quibus litteras porrexit Herotis & Lazari: *Epiſt.* 90 edentes, ſicuti par eſt credere, Synodi Dioſpolitanæ ſucceſſum, & in ea abſolutum Pelagium: quod & ipſe Oroſius poterat ex ordine narrare.

Pelagius alioquin pernicioſè vigilans, pro ipſis geſtis ſcriptum quoddam, per quemdam Orientalem Diaconum, ciuem Hipponenſem miſerat in Africam, ad Auguſtinum, vt antea diximus; in quo, cum nihil minus eſſet quàm geſta Synodi; digeſſerat defenſionem ſuam, qua ſe dixit obiectis reſpondiſſe Gallorum. Nam & huic ſcripto per Epiſtolam Auguſtinus reſpondit, quam ad Innocentium Pontificem, poſt Synodum Mileuitanam miſit, Pelagio deſtinandam. Sic enim eam legere potiùs, non dedignabitur, inquit: magis in illâ eum qui miſit, quàm qui ſcripſit attendens. *Epiſt.* 95, *&* 252.

Lectis Herotis & Lazari litteris, quarum formam ad Synodales ſuas, Innocentio Pontifici paullò pòſt directas, ſubdendam curarunt Patres Carthaginenſes; Pelagium & Celeſtium, auctores nefarij prorſus, & ab omnibus anathematizandi erroris, itidem aduerterunt. Vnde factum eſt vt recenſendum peterent, quod ante fermè quinquennium, ſuper Celeſtij nomine apud Eccleſiam Carthaginenſem fuiſſet actitatum. Quo recitato, quamuis iudicatio manifeſta conſtaret, quod illo tempore Epiſcopali iudicio exciſum hoc vulnus tantum ab Eccleſia videretur; attamen id communi deliberatione cenſuerunt, & eiuſmodi perſuaſionis auctores, quamuis in Aſia alicubi ad Presbyterium idem Celeſtius poſtea perueniſſe diceretur, niſi hæc apertiſſimè anathematizauerint, ipſos anathematizari oportere: vt ſi ipſorum non potuerit; ſaltem eorum qui ab eis decepti ſunt, vel decipi poſſunt, cognitâ ſententiâ quæ in eos lata eſt, ſanitas procuretur.

Hoc ita geſtum Innocentio ſummo Pontifici intimandum duxerunt: vt ſtatutis Synodi ab ſe habitæ, Sedis etiam Apoſtolicæ adhiberetur auctoritas, pro tuenda ſalute multorum, & quorumdam peruerſitate corrigenda. Ea propter pòſt addunt: Si Pelagius, Epiſcopalibus geſtis, quæ in Oriente confecta dicuntur, Sedi Apoſtolicæ iuſtè viſus fuerit abſolutus; errorem tamen ipſum & impietatem, quæ iam multos aſſertores habet per diuerſa diſperſos, etiam auctoritate eiuſdem Sedis anathematizandum eſſe. *Epiſt.* 90. Hanc enim hæreſin, fundamenta Chriſtianæ fidei euertere conari, non dicunt ſolùm, ſed demonſtrant, eâdem Epiſtolâ.

 §. II.

§. II.

Synodus item Mileuitana.

PEr idem tempus, atque ob cauſſam eandem, Synodus quoque Mileuitana conuênit, cui Auguſtinus, alijque ſexaginta Epiſcopi interfuerunt: qui imitantes Carthaginenſis Prouinciæ coëpiſcopos ſuos, expoſuerunt & ipſi per litteras, quàm ſit illa hæreſis perniciosa, quamque maturè obuiam eundum, ne latiùs proſerpat. Nam vt alia omittamus, aiunt, quæ contra ſanctas Scripturas plurima diſſerunt (Pelagiani;) hæc duo, quibus omninò totum quod Chriſtiani ſumus, nituntur euertere, quæ fidelia corda ſuſtinent: Non eſſe rogandum Deum, vt contra peccati malum, atque ad operandam iuſtitiam, ſit noſter adiutor: &, Non opitulari paruulis ad conſequendam vitam æternam, Chriſtianæ gratiæ Sacramentum? Hæc, inquiunt, tanta ſunt, vt omninò diſſimulari non poſſint. *Epiſt. 92.*

§. III.

Pelagius ab Innocentio damnatur.

VTriuſque Synodi litteras, cum aliis item quinque Epiſcoporum, quæ Carthagine ſcriptæ ſunt (vt iſtuc è ciuitate Mileuitana, debuerit Auguſtinus mox aduenisse.) Iulius Epiſcopus, ad Innocentium Pontificem maximum, Romam detulit: quibus omnibus anno ſequente, Honorio & Conſtantio Coſſ. quinto & ſexto Kalend. Februarij, Innocentius per eumdem Iulium reſpondit: & collaudatâ Synodorum vigilantiâ, doctrinam nefariam cum auctoribus ſuis manifeſtè damnauit.

Damnationis formula ſic habet: Pelagium Celeſtiumque, id eſt inuentores vocum nouarum, quæ ſicut dixit Apoſtolus, ædificationis nihilum, ſed magis vaniſſimas conſueuerunt parere quæſtiones, Eccle-

Eccleſiaſticâ communione priuari, Apoſtolici vigoris auctoritate cenſemus, donec reſipiſcant de Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ſecundùm ipſius voluntatem: eoſque interim Dominico ouili non recipi, quoad ipſi peruerſæ viæ ſecuti tramitem, deſerere noluerint. *Epiſt.* 93. Et paullò pòſt: Hæc igitur fratres cariſſimi, in ſupradictos maneat fixa ſententia. Abſint atriis Domini: careant cuſtodia paſtorali: ne duarum ouium dira contagia, ſerpant forſitan per vulgus incautum, rapacique lupus corde lætetur, intra ouile Dominicum tantas ouium fuſas cateruas, dùm à cuſtodibus diſſimulanter habetur vulnus duarum. *ead. Epiſt. itemq́; 91. 95. 96. 97.*

Quod verò iudicium attinet Palæſtinum, ſententiam ſuam aperit Innocentius, dum ait: Nobis nec perſuaderi poteſt, eum eſſe purgatum, quamuis ad nos, à noſtris quibuſdam laicis, ſint geſta perlata, quibus ille auditum ſe crederet & abſolutum. Quæ vtrùm vera ſint, dubitamus: quòd ſub nulla illius proſecutione venerunt; nec eorùm aliquas accepimus de hac re litteras, apud quos iſtius rei iſte præſtitit cauſſas. *Epiſt.* 96.

Sic Pelagius Celeſtiuſque damnati ſunt ab Innocentio, inſtantiâ Synodorum Africanarum, quarum ſe ferulæ profugus vterque & in Oriente agens, ſubduxerat, vt propterea imploranda fuerit Sedes Apoſtolica, toto præſidens orbe terrarum. Quò facit, quod Proſper cecinit:

——— Peſtem ſubeuntem prima recidit,
Sedes Roma Petri: quæ Paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis,
Relligione tenet. Poëm. de Ingrat. c. 2.

Deque Synodis Africanis, quarum iam ante meminimus:

Tu cauſſam fidei flagrantiùs Africa noſtra
Exſequeris: tecumq́; ſuum iungente vigorem
Iuris Apoſtolici ſolio, fera viſcera belli
Conficis, & lato proſternis limite victos.
Conuenere tui de cunctis vrbibus almi
Pontifices, geminoq́; ſenum celeberrima cœtu,
Decernis quod Roma probet, quod regna ſequuntur.
eod. l. & c.

Hæc dum aguntur, dedit Auguſtinus litteras ad Hilarium, quibus peſſimam Pelagij doctrinam, breuiter licet, diſtinctiſſimè contraxit:

traxit: *Epiſt.* 94. meminitque bini Prouincialis Concilij, de quo hactenus, tum ibi, tum *Epiſt.* 47. *&* 106. fateturque ad omnia, quæ Innocentio Pontifici miſſa fuerant, eo illum modo reſcripſiſſe, quo fas erat atque oportebat Apoſtolicæ Sedis antiſtitem. *Epiſt.* 106.

Eodem accedit ſermo 2. de Verb. Apoſt. vbi ad extremum ait: Quod ergò dictum eſt de Iudæis, hoc omnino in iſtis (Pelagianis) videmus. Zelum Dei habent. Teſtimonium illis perhibeo quia zelum Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam. Quid eſt non ſecundùm ſcientiam? Ignorantes enim Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Fratres mei compatimini mecum. Vbi tales inueneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, & reſiſtentes ad nos perducite. Iam enim de hac cauſſa, duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam. Inde etiam reſcripta venerunt. Cauſſa finita eſt: error vtinam aliquando finiatur. Ergo vt aduertant, monemus: vt inſtruantur, docemus: vt mutentur, oremus. *cit. ſerm. cap.* 10.

§. IV.

Auguſtino cura data Pelagij peſſumdandi.

CVmque ſagaciter animaduertiſſent Synodorum Carthaginenſis & Mileuitanæ Patres, Pelagianam hæreſin clam ſerpendo, magna quotidie incrementa ſumere; ad reprimendum illius impetum, communibus ſuffragiis Auguſtinum deſignarunt, qui, vt erat perſpicaciſſimo ingenio, deligeret è Scripturarum ſanctarum armamentario validiſſimas machinas, quibus iſtorum humani arbitrij decomtorum, Gratiæque diuinæ contemtorum ſuperbiam, ſolo æquaret.

Id teſtantur Eccleſiaſtica geſta, quæ pòſt confecta ſunt, dum coram Clero populoque Hipponenſi, Eradium ſibi ſucceſſorem Auguſtinus nominauit. Dixit enim: Noſtis ante aliquot annos quid facere voluerim, & non permiſiſtis. Placuit mihi & vobis, propter curam Scripturarum, quam mihi fratres & patres mei coëpiſcopi, duobus Conciliis, Numidiæ & Carthaginis, imponere dignati ſunt, vt per quinque dies nemo mihi moleſtus eſſet. Geſta confecta ſunt: placuit: acclamaſtis: Recitatur placitum veſtrum, & acclamatio veſtra: paruo

tempore ſeruatum eſt circa me, & poſtea violenter irruptum eſt: & nonpermittor ad quod volo vacare. Ante meridiem, & poſt meridiem, occupationibus hominum teneor. *Epiſt.* 110.

Atque ex his quadamtenus patet, quot & quanta ſanctiſſimo viro negotia, caput & latus circumſilierint: quando eo ne quidem caſu & negotio, permiſſus eſt diebus pauculis eſſe otioſus. Libet idcirco in hanc meſſem nonnihil excurrere, vt pauculas ſaltem ſpicas colligamus.

CAPVT XXI.

AVGVSTINI VARIÆ OCCVPATIONES.

§. I.

Ægrè à Diuinis ad ſæcularia negotia abſtrahitur.

ERat tum moris deriuati ab Apoſtolis, & non vnâ Chriſtianorum Imperatorum lege firmati: imò nouiſſimè Honorio Aug. IV. & Eutichiano Coſſ. *l.* 7. *de Epiſcopal. Audient. Cod. Iuſtinian.* vt cauſſas ſuorum Epiſcopi audirent atque deciderent. Ea res Auguſtinum tantumnon obruit. Nam quantum inde tædij hauſerit, paret, dum ait:

Maligni exercent ad facienda mandata, à ſcrutandis autem auocant, non ſolùm cum perſequuntur, aut litigare nobiſcum volunt; verumetiam cum obſequuntur & honorant: & tamen ſuis vitioſis & negotioſis cupiditatibus adiuuandis vt occupemur, & eis noſtra tempora impendamus efflagitant: aut certè infirmos premunt, vt cauſſas ſuas ad nos deferre compellant. Quibus dicere non audemus: dic homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos? Con-

ſtituit enim talibus cauſſis, Eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores, in foro prohibens iurgare Chriſtianos. Ne illis quidem, qui non aliena rapiunt, ſed ſua cupidè repetunt, dicimus: Cauete ab omni cupiditate: conſtituentes eis ante oculos hominem, cui dictum eſt, Stulte, hâc nocte auferetur à te anima tua: quæ præparaſti, cuius erunt? Quia & quando dicimus, non recedunt, nec declinant à nobis: ſed inſtant, vrgent, tumultuantur, extorquent, vt ipſis potiùs ad iſta quæ diligunt; quàm ſcrutandis Dei mandatis, quæ diligimus, occupemur.

O! quanto tædio turbarum turbulentarum, & quanto deſiderio Diuinorum eloquiorum, dictum eſt, *Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.* Ignoſcant obedientes fideles, qui pro ſuis ſæcularibus cauſſis nos rarò quærunt, & iudiciis noſtris facillimè acquieſcunt, nec nos conterunt litigando, ſed obtemperando potiùs conſolantur. Certè propter eos qui & inter ſe pertinaciter agunt, & quando bonos premunt, noſtra iudicata contemnunt: faciuntque nobis perire tempora, rebus eroganda diuinis; certè inquam, propter iſtos, & nobis liceat exclamare, in hac voce corporis Chriſti: Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei. *ſerm.* 24. *in Pſalm.* 118.

Ob eiuſmodi quotidianas moleſtias, alibi dicebat: Dominum Ieſum in cuius nomine ſecurus hæc ago, teſtem inuoco ſuper animam meam, quoniam quantum attinet ad meum commodum, multò mallem per ſingulos dies, certis horis, quantùm in bene moderatis monaſteriis conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & certas horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de Diuinis litteris agendum, liberas; quàm tumultuoſiſſimas perplexitates cauſſarum alienarum pati de negotiis ſæcularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis quibus: nos moleſtiis idem affixit Apoſtolus, non vtique ſuo, ſed eius, qui in eo loquebatur arbitrio. *l. de op. Monach. cap.* 29.

§. II.

§. II.

Cauſſas audit, & dirimit.

QVid de his rebus prodat Poſſidius, audiamus. Nam poſtquam Apoſtoli Paulli ſententiam retuliſſet, cuius vigore decretum eſt, vt ſi quis fidelium aduerſus alterum negotium haberet, id potiùs decidi apud ſanctos pateretur, quàm apud iniquos: (ex quâ deinde iudicandi poteſtas, ad Epiſcopos peruenit; *Bar. anno* 57.) ſubdit: Interpellatus Auguſtinus à Chriſtianis, vel à cuiuſcumque ſectæ hominibus, cauſſas audiebat diligenter ac piè: cuiuſdam ſententiam ante oculos habens, dicentis ſe malle inter incognitos, quàm inter amicos cauſſas audire: eo quòd de incognitis, pro quo arbitratâ ęquitate iudicaretur, amicum poſſet acquirere: de amicis verò vnum eſſet, contra quem ſententia proferretur, perditurus.

Et eas aliquando vſque ad horam refectionis, aliquando autem totâ die ieiunans, ſemper tamen noſcebat & dirimebat: intendens in eis Chriſtianorum momenta animorum, quantum quiſque vel in fide, boniſque operibus proficeret, vel ab iis deficeret. Atque compertis rerum opportunitatibus, diuinæ legis veritatem partes docebat, eamque illis inculcabat: & eos quo adipiſcerentur vitam æternam, edocebat & admonebat: nihil aliud quærens ab iis, quibus ob hoc vacabat, niſi tantùm obedientiam & deuotionem Chriſtianam, quæ & Deo debetur & hominibus: peccantes coram omnibus arguens, vt ceteri timorem haberent.

Et faciebat hoc, tamquam ſpeculator à Domino conſtitutus Domui Iſraël: prædicans verbum, atque inſtans opportunè importunè: arguens, hortans, increpans, in omni longanimitate & doctrina: præcipuèque operam dans inſtruere eos, qui eſſent idonei & alios docere. *Poſſid. c.* 19.

§. III.

Charitas Auguſtini erga ſuos.

QVantâ enim erga omnes, ſed potiſſimum Hipponenſes ſuos, charitate flagraret, nimis quàm manifeſtè patet, vbi ait: Quid autem volo? quid deſidero? quare loquor? quare hic ſedeo? quare viuo, niſi hac intentione vt Chriſto ſimul viuamus? Cupiditas mea iſta eſt, honor meus iſte eſt, gloria mea hæc eſt, gaudium meum hoc eſt, poſſeſſio mea iſta eſt. Sed ſi me non audieritis, & tamen ego non tacuero; animam meam liberabo: ſed nolo ſaluus eſſe ſine vobis. *homil.* 28. *inter* 50. *c.* 2. Quamobrem cum admonuiſſet populum ſuum, abſtinere à lacerandis Dei ſeruis, quorum merces falſis detractionibus creſcit, ſed creſcit etiam pœna detrahentibus; ſubiungit: Nolumus cum detrimento veſtro magnam habere mercedem. Minùs ibi habeamus, & tamen vobiſcum ibi regnemus. *ſerm.* 50. *de diuerſ.*

Ad beatitudinem æternam omnes adducere, iam ab initio conuerſionis vnicum ipſius deſiderium fuit, ideoque pridem dixerat: Domine Deus meus, intende orationi meæ, & miſericordia tua exaudiat deſiderium meum, quoniam non mihi ſoli æſtuat, ſed vſui vult eſſe fraternæ charitati: & vides in corde meo quia ſic eſt, vt ſacrificem tibi famulatum cogitationis & linguæ meæ, & da quod offeram tibi. *l.* 11. *Conf. c.* 2. Quò facit, quod adhuc altiùs ante hæc tempora dixerat Nebridius: Itane eſt, mi Auguſtine, fortitudinem ac tolerantiam negotiis ciuium præſtas? Necdum tibi redditur illa exoptata ceſſatio? Quæſo qui te tam bonum homines interpellant, credo neſciunt quid ames, quid concupiſcas. Nullúſne tibi eſt amicorum, qui eis amores referat tuos? Nec Romanianus, nec Lucinianus? me certè audiant: ego clamabo, ego teſtabor, te Deum amare, illi ſeruire, atque inhærere cupere. *Epiſt.* 114. Id autem tum iudicauit perfectiùs fieri, ſi cum vtilitate proximi eſſet coniunctum: alioquin ſibi ſoli vixiſſet in deſerto loco, non & aliis: vt ſuperiùs demonſtrauimus, *ex l.* 10. *Conf. c.* 43. Ceterum quis Lucinianus hic fuerit, fateor me ignorare: quamquam eum eſſe putem, cuius adhuc meminit *l.* 2. *cont. Academ. c.* 3. *& Epiſt.* 116.

Atque ob hanc indubiè cauſſam, bonorum omnium profectibus & ſtudiis fauens erat, & exultans: indiſciplinationem piè ac ſanctè tolerans fratrum, ingemiſcenſque ſuper iniquitatibus malorum, ſiue illorum qui intra Eccleſiam, ſiue eorum qui extra Eccleſiam ſunt conſtituti: Dominicis lucris ſemper gaudens, & damnis mœrens. *Poßid. c.* 13.

Rogatus quoque à nonnullis, in eorum temporalibus cauſſis Epiſtolas ad diuerſos dabat. Sed hanc ſuam à melioribus rebus occupationem, tamquam angariam deputabat, ſuauem ſemper habens de iis quæ Dei ſunt, vel allocutionem, vel collocutionem fraternæ ac domeſticæ familiaritatis. *Poßid. c.*19. Inter eiuſcemodi Epiſtolas cenſeri poſſunt, *Epiſt.* 215. 219. 228. 229. 230. 231. 235. 241. *&c.*

§. IV.

Neque omnium cauſſas ſuſcipit: neque alicuius inuerecundè agit.

SEd neque interim promiſcuè ac temerè ſuſcipiebat in ſuam curam, alieni cuiuſlibet negotij ſuffragium. Nouimus enim, inquit Poſſidius, à ſuis eum cariſſimis litterarum interceſſum apud ſæculi poteſtates poſtulatum, non dediſſe: dicentem cuiuſdam ſapientis ſeruandam eſſe ſententiam, de quo ſcriptum eſſet, quòd multa ſuæ famæ contemplatione amicis non præſtitiſſet. Et illud nihilominus ſuum addens: Quoniam plerumque poteſtas quæ præſtat, premit.

Cum verò intercedendum eſſe, rogatus videbat; tam id honeſtè ac temperatè agebat, vt non ſolùm oneroſus ac moleſtus non videretur, verumetiam mirabilis exiſteret. Nam dum exortâ neceſſitate, ſuo more apud quemdam Africæ Vicarium, nomine Macedonium, pro ſupplice litteris interueniſſet, atque ille paruiſſet; hoc modo reſpondit: Miro modo afficior ſapientiâ tuâ, & in illis quæ edidiſti, & in iis quæ interueniens pro reis, mittere non grauaris. Nam & illa tantum habent acuminis, ſcientiæ, & ſanctitatis, vt nihil ſupra ſit: & hæc tantum verecundiæ, vt niſi faciam quod mandas, culpam penes

me remanere, non in negotio eſſe diiudicem, Domine meritò venerabilis, & ſuſpiciende pater.

Non enim inſtas, quod plerique homines iſtius loci vi faciunt, vt quodcumque ſollicitus petitor voluerit, extorqueas; ſed quod tibi à iudice tot curis obſtricto petibile viſum fuerit, admones, & rogas ſubſeruiente verecundiâ, quæ maxima difficilium inter bonos efficacia eſt. Proinde ſtatim commendatis effectum deſiderij tribui: nam ſperandi viam, antè patefeceram. *Epiſt.* 51. *Poſſ. c.*20.

§. V.

Matrimonium & Militiam, numquam aut rarò ſuadet.

ET quamquàm beatum Ambroſium imitatus, tria hæc ſeruanda non tantummodò diceret, ſed ipſe quoque exactè ſeruaret: Vt Vxorem nulli vmquam poſceret: vt militare volentem, militiæ ducibus haud commendaret: vt ne conuiuium adiret inuitatus in patria: redditâ ſingulorum cauſsâ, cur ſic agendum exiſtimaret; *Poſſid. c.* 27. attamen vbi procurandæ ſalutis alicuius aut publici boni ratio popoſciſſet, dabat non inuitus in ea materia ſalubre conſilium.

Sic puellam quandam Chriſtianam, quæ tum in ea erat ætate, vt, ſi voluntatem nubendi haberet, nulli adhuc dari vel promitti deberet; Pagano adoleſcenti tradi non probat: *Epiſt.* 233. *&* 234.

Sic Bonifacium virum ſpectabilē, elatâ coniuge, omnes actus publicos, quibus tum occupatus erat, relinquere cupientem, & ſe in otium ſanctum conferre, atque in ea vita viuere, in qua ſerui Dei Monachi viuunt; vnà cum Alipio reuocauit à propoſito, oſtendendo quantum prodeſſet Chriſti Eccleſiis quod Bonifacius agebat, ſi eâ ſolâ intentione ageret, vt defenſæ ab infeſtationibus barbarorum quietam & tranquillam vitam agerent, ſicut dicit Apoſtolus, in omni pietate & caſtitate. Ipſe autem ex hoc mundo nihil quæreret, niſi ea quæ neceſſaria eſſent huic vitæ ſuſtentandæ, ſuæ ac ſuorum: accinctus balteo caſtiſſimæ continentiæ, & inter arma corporalia ſpiritualibus armis tutiùs fortiuſque munitus. *Epiſt.*70.

Bonifacium enim licitè militare poſſe, iam antè ſecurum reddiderat,

rat, inſtruxeratque Auguſtinus, dum ait: Noli exiſtimare neminem Deo placere poſſe, qui in armis bellicis militat. In his erat ſanctus Dauid, cui Dominus tam magnum perhibuit teſtimonium. In his etiam plurimi illius temporis iuſti. In his erat & ille Centurio, qui Domino dixit, Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic vade & vadit, & alij veni & venit, & ſeruo meo fac hoc & facit. De quo & Dominus: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël, &c.

Maioris quidem loci ſunt apud Deum, qui omnibus iſtis ſæcularibus actionibus derelictis, etiam ſummâ continentiâ caſtitatis ei ſeruiunt; ſed vnuſquiſque ſicut Apoſtolus dicit, proprium donum habet à Deo, alius ſic, alius autem ſic. Alij ergo pro vobis orando, pugnant contra inuiſibiles inimicos: vos pro eis pugnando, laboratis contra viſibiles barbaros, &c.

Ornet mores tuos pudicitia coniugalis: ornet ſobrietas & frugalitas. Valde enim turpe eſt, vt, quem non vincit homo, vincat libido: & obruatur vino, qui non vincitur ferro. Diuitiæ ſæculares ſi deſunt, non per mala opera quærantur in mundo: ſi autem adſunt, per bona opera ſeruentur in cælo. Animum virilem & Chriſtianum nec debent, ſi accedunt, extollere: nec debent frangere, ſi recedunt, &c. *Epiſt.* 205.

Verumtamen vt fateamur quod res eſt, conſilij iſtius Bonifacio dati, poſtea, viſis euentis, pœnituit Auguſtinum, vt colligi poteſt *eâd. Epiſt.* 70. vbi ſic inter cætera: Si coniugem non haberes, dicerem tibi quod & Tubunis diximus, vt & in ſanctitate continentiæ viueres: adderem, quod tunc fieri prohibuimus, vt iam te ab iſtis rebus bellicis abſtraheres, & ei vitæ vacares in ſocietate Sanctorum, cui tunc vacare cupiebas, vbi in ſilentio pugnant milites Chriſti, non vt occidant homines, ſed vt expugnent principes & poteſtates & ſpiritualia nequitiæ, id eſt, diabolum & angelos eius, *&c.*

CAPVT XXII.

S. STEPHANI RELIQVIÆ ET MIRACVLA.

§. I.

Oratoria S. Stephano ab Auguſtino aliiſq; Epiſc. exſtructa.

ALlatas ab Oroſio in Africam S. Stephani Proto-martyris reliquias, præeuntibus Epiſcopis, populus Chriſtianus ſummopere veneratus eſt, Recondendis iis, Euodius in primis Vſali, Poſſidius Calamæ, Auguſtinus Hippone Oratoria ſiue Altaria excitarunt. *l. 22. de Ciuit. Dei c.* 8. Ea tum Memoriæ vocabantur: quod eorum opinor nomina quæ gerebant, æternitati conſecrarent. Videri poteſt, *l. de Cura pro mort. c.* 4. Pluribus aliis locis, eadem Protomartyris religio propagata eſt: à Proiecto, ad Aquas Tibilitanas: à Lucillo, in Caſtello Synicenſi: in agro etiam Anduritano: exſtatque Auguſtini Epiſtola ad Quintianum, qua ſignificat eaſdem reliquias, deferentibus Dei famulabus Gallâ & Simpliciolâ ſe mittere, vt pariter honorentur. *l. 22. de Ciuit. Dei c.* 8. *Epiſt.* 103.

Pietatem populi, magna repente Miraculorum multitudo ſubſecuta eſt: quæ tum Auguſtinus deſcripſit, tum iis libris continentur, qui de Miraculis S. Stephani, Euodij nomen præferunt, ſiue ab eo, ſiue, quod magis apparet, ad eum conſcripti. *Append. Tom.* 10.

In horum aliquot recitandis, libet Auguſtini verbis vti, ita ſcribentis: Quid faciam? Vrget huius operis implendi promiſſio: non hic poſſum omnia commemorare quæ ſcio: & proculdubio plerique noſtrorum cum hæc legent, dolebunt me tam multa prætermiſiſſe, quæ vtique mecum ſciunt. Quos iam nunc vt ignoſcant rogo: & cogitent

gitent quàm prolixi laboris ſit facere, quod me hîc non facere ſuſcepti operis neceſſitas cogit. Si enim miracula ſanitatum (vt alia taceam) ea tantummodò velim ſcribere, quæ per hunc Martyrem, id eſt, glorioſiſſimum Stephanum, facta ſunt in coloniâ Calamenſi, & in noſtrâ; plurimi conficiendi ſunt libri, nec tamen omnia colligi poterunt, ſed tantùm de quibus libelli dati ſunt, qui recitarentur in populis. Id namque fieri voluimus, cùm videremus antiquis ſimilia diuinarum ſigna virtutum, etiam noſtris temporibus frequentari, & ea non debere multorum notitiæ deperire. *l. 22. de Ciuit. Dei cap. 8.* Recitat interim nonnulla, quæ diuerſis locis edita ſunt.

§. II.

Miracula Vſali patrata.

ATque in primis Vſali, quæ colonia Vticæ vicina eſt, vbi Proto-martyri Stephano memoria ante alias omnes, ab Epiſcopo Euodio videtur erecta; cum multa præclara per eumdem Martyrem facta eſſent, etſi libellorum dandorum non fuiſſet ibi hactenus conſuetudo; tum recenter Petronia clariſſima femina, magno atque diuturno, in quo Medicorum adiutoria cuncta defecerant, languore, mirabiliter ſanata erat: cuius rei Petronia, hortante Auguſtino ibi tunc præſente, ex voluntate Euodij, libellum qui in populo recitaretur, obedientiſſimè dedit.

In quo poſuit etiam, quod non reticet Auguſtinus & ſanationis miraculo attexitur. A quodam Iudæo dicebat ſibi perſuaſum, vt annulum capillatio cingulo inſereret, quo ſub omni veſte ad nuda corporis cingeretur: qui annulus haberet ſub gemma lapidem, in renibus inuentum bouis. Hoc alligata quaſi remedio, ad ſancti Martyris limina veniebat. Sed profecta à Carthagine, cum in confinio fluminis Bagradæ, in ſua poſſeſſione manſiſſet; ſurgens vt iter perageret, ante pedes ſuos illum iacentem annulum vidit: & capillatiam zonam quâ fuerat alligatus, mirata tentauit. Quam cum omninò ſuis nodis firmiſſimis, ſicuti fuerat, comperiſſet adſtrictam; crepuiſſe atque exſiliiſſe annulum ſuſpicata eſt: qui etiam ipſe cum integerrimus fuiſſet inuentus; futuræ ſalutis quodammodò pignus, de tanto miraculo ſe

accepiſſe præſumſit: atque illud vinculum ſoluens, ſimul cum eodem annulo proiecit in flumen. *eod. l. & c.* Plura Vſali patrata, videri poſſunt *ll. de Mirac. S. Stephani*, quos paullò antè citauimus.

§. III.

Miracula Calamæ patrata.

CAlamæ, vbi & ipſa memoria prius quàm Hippone eſſe cœpit, crebriùs tum dabantur Miraculorum libelli, & incredibili multitudine Hipponenſes ſuperabant.

Eucharius Presbyter ex Hiſpania, Calamæ habitans, veteri morbo calculi laborabat: per memoriam ſupradicti Martyris, quam Poſſidius illò aduexit Epiſcopus, ſaluus factus eſt.

Fuit ibi vir in ordine ſuo primarius, nomine Martialis, æuo iam grauis, & multum à religione abhorrens Chriſtianâ. Habebat ſanè fidelem filiam, & generum eodem anno baptizatum. Qui cùm eum ægrotantem multis & magnis precibus & lacrymis rogarent, vt Chriſtianus fieret, prorſus abnuit, eóſque à ſe turbidâ indignatione ſubmouit. Viſum eſt genero eius, vt iret ad memoriam S. Stephani, & illic pro eo quantum poſſet, oraret, vt Deus illi daret mentem bonam, quâ credere non differret in Chriſtum. Fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & ſinceriter ardente pietatis affectu. Deinde abcedens, aliquid de altari florum quod occurrit, tulit, eíque cùm iam nox eſſet, ad caput poſuit. Tunc dormitum eſt: & ecce ante diluculum clamat, vt ad Epiſcopum curreretur, qui tum fortè erat apud Hipponem. Cùm ergo audiſſet eum abſentem, venire Presbyteros poſtulauit. Venerunt, & ſtatim ſe credere dixit. Admirantibus atque gaudentibus omnibus baptizatus eſt. Hic, quamdiu vixit, in ore habebat: Chriſte accipe Spiritum meum: cum hæc verba beatiſſimi Stephani, quando lapidatus eſt à Iudæis, vltima fuiſſe neſciret, quæ huic quoque vltima fuerunt. Nam non multò pôſt etiam ipſe defunctus eſt.

Sanati ſunt illic per eundem Martyrem etiam Podagrici duo, vnus ciuis, peregrinus vnus. Sed ciuis omnimodò: peregrinus autem per reuelationem, quid adhiberet quando doleret, audiuit: & cùm hoc fecerit, dolor continuò conquieſcit. *l. 22. de Ciuit. Dei, c. 8.*

§. IV.

§. IV.

Miracula Hippone patrata.

CVmque hæc ſcriberet Auguſtinus, nondum biennium erat, ex quo apud Hipponem Regium cœperat eſſe S. Stephani memoria: & multis, quod certiſſimum erat, non datis libellis, de iis quæ mirabiliter erant facta; illi ipſi qui tum dati erant, ad ſeptuaginta fermè numerum peruenerant. videri poteſt *ſerm.* 29. 30. *&* 31. *de diuerſ.* præterquam *l.* 22. *de Ciuit. Dei c.* 8. quem cum circa vitæ ſuæ finem perfecerit, ut alibi diximus, colligi poteſt quantillo tempore pro tanto miraculorum numero, S. Stephani memoria apud Hipponenſes fuerit.

Igitur apud Hipponem, Baſſus quidam Syrus, ad memoriam eiuſdem Martyris orabat pro ægrotante & periclitante filiâ, eoque ſecum veſtem eius detulerat: cum ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nuntiarent. Sed cùm orante illo, ab amicis eius exciperentur; prohibuerunt eos illi dicere, ne per publicum plangeret. Qui cum domum rediſſet iam ſuorum eiulatibus perſonantem, & veſtem filiæ quam ferebat, ſuper eam proieciſſet; reddita eſt vita.

Rurſus ibidem apud nos Irenæi, cuiuſdam collectarij, filius, ægritudine extinctus eſt. Cumque corpus iaceret exanime, atque à gementibus & plangentibus exequiæ pararentur; amicorum eius quidam inter aliorum conſolantium verba ſuggeſſit, vt eiuſdem Martyris oleo corpus perungeretur. Factum eſt: & reuixit.

Itemque apud nos vir Tribunitius Eleuſinus, ſuper memoriam Martyris, quæ in ſuburbano eius eſt, ægritudine exanimatum poſuit infantulum filium ſuum: & poſt orationem quam cum multis lacrymis ibi fudit, viventem leuauit.

Denique vnum eſt, quod apud nos factum, non maius quàm illa quæ dixi, ſed tam clarum atque illuſtre Miraculum, vt nullum arbitrer eſſe Hipponenſium, qui hoc non vel viderit, vel didicerit: nullum qui obliuiſci vllâ ratione potuerit. Decem quidam fratres, quorum ſeptem ſunt mares, tres feminæ, de Cæſarea Cappadociæ, ſuorum ciuium non ignobiles, maledicto Matris (recenti Patris eorum obitu

obitu deſtitutæ) quæ iniuriam ſibi ab eis factam acerbiſſimè tulit, tali pœnâ ſunt diuinitus coërciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum. In qua fœdiſſima ſpecie, oculos ſuorum ciuium non ferentes, quaquauerſum, cui ire viſum eſt, toto pœnè vagabantur orbe Romano.

Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & ſoror, Paullus & Palladia, multis aliis locis miſeriâ diffamante iam cogniti. Venerunt autem ante Paſcha fermè dies quindecim: Eccleſiam quotidie, & in ea memoriam glorioſiſſimi Stephani frequentabant: orantes vt iam ſibi placaretur Deus, & ſalutem priſtinam redderet. Et illic, & quacumque ibant, conuertebant in ſe Ciuitatis aſpectum. Et nonnulli qui eos alibi viderant, cauſſamque tremoris eorum nouerant, aliis, vt cuique poterant indicabant.

Venit & Paſcha: atque ipſo die Dominico manè, cùm iam frequens populus præſens eſſet, & loci ſancti cancellos, vbi Martyrium erat, idem iuuenis orans teneret; repentè proſtratus eſt, & dormienti ſimillimus iacuit: non tamen tremens, ſicut etiam per ſomnium ſolebat. Stupentibus qui aderant, atque aliis pauentibus, aliis dolentibus, cum eum quidam vellent erigere, nonnulli prohibuerunt, ſed potiùs exitum exſpectandum eſſe dixerunt. Et ecce ſurrexit, & non tremebat, quoniam ſanatus erat: ſtabat incolumis, intuens intuentes. Quis ergo intuentium ſe tenuit à laudibus Dei? Clamantium, gratulantiumque vocibus Eccleſia vſquequaque completa eſt.

Inde ad me curritur vbi ſedebam iam proceſſurus: irruit alter quiſque poſt alterum: omnis poſterior, quaſi nouum, quod alius prior dixerat nuntiantes. Meque gaudente, & apud me gratias Deo agente, ingreditur etiam ipſe cum pluribus: inclinatur ad genua mea, erigitur ad oſculum meum. Procedimus ad populũ: plena erat Eccleſia: perſonabat vocibus gaudiorum: Deo gratias, Deo laudes, nemine tacente, hinc atque hinc clamantium. Salutaui populum, & rurſus eadem feruentiore voce clamabat. Facto tandem ſilentio, Scripturarum Diuinarum ſunt lecta ſolemnia. Vbi autem ventum eſt ad mei ſermonis locum, dixi pauca pro tempore, & pro illius iucunditate lætitiæ. Magis enim eos in opere diuino quandam Dei eloquentiam, non audire, ſed conſiderare permiſi. Nobiſcum homo prandit, & diligenter nobis omnem ſuæ ac maternæ fraternæque calamitatis indicauit hiſtoriam. Sequenti itaque die poſt Sermonem redditum,

tum, narrationis eius libellum in craſtinum populo recitandum promiſi: *l.22. de Ciuit. Dei c.* 8. Exſtat hic Paulli libellus, poſt Sermonem 31. de diuerſ.

Quod cùm ex Dominico Paſchæ die tertio fieret in gradibus exedræ, in qua de ſuperiore loquebar loco; feci ſtare ambos fratres, cum eorum legeretur libellus. Intuebatur populus vniuerſus ſexûs vtriuſque, vnum ſtantem ſine deformi motu: alteram membris omnibus contrementem. Et qui ipſum non viderant, quid in eo diuinæ miſericordiæ factum eſſet, in eius furore cernebant. Videbant enim quid in eo gratulandum, quid pro illâ eſſet orandum.

Inter hæc recitato eorum libello, de conſpectu populi abire eos præcepi: & de tota ipſa cauſsâ, aliquantò diligentiùs cœperam diſputare: cum ecce me diſputante, voces aliæ de memoria Martyris, nouæ gratulationis audiuntur. Conuerſi ſunt eò qui me audiebant, cœperuntque concurrere. Illa enim vbi de gradibus deſcendit in quibus ſteterat; ad ſanctum Martyrem orare perrexerat. Quæ mox vt cancellos attigit; collapſa ſimiliter velut in ſomnum, ſana ſurrexit. Videri poteſt etiam *ſermo* 33. *de diuerſ.*

Dum ergo requireremus quid factum fuerit, vnde iſte ſtrepitus lætus extiterit; ingreſſi ſunt cum illa in Baſilicam vbi eramus, adducentes eam ſanam de Martyris loco. Tum verò tantus ab vtroque ſexu admirationis clamor exortus eſt, vt vox continuata cum lacrymis, non videretur poſſe finiri. Perducta eſt ad eum locum, vbi paullò antè ſteterat tremens. Exultabant eam ſimilem fratri factam, cui doluerant remanſiſſe diſſimilem. Et nondum fuſas preces ſuas pro illa; iam tamen præuiam voluntatem, tam citò exauditam eſſe cernebant. Exultabant in Dei laudem voces ſine verbis, tanto ſonitu, quantum aures noſtræ ferre vix poſſent. Quid erat in cordibus exultantium, niſi fides Chriſti, pro quâ Stephani ſanguis effuſus eſt? *l.22. de Ciuit. Dei c.* 8. Quæ aliis locis patrata ſunt, refert ibidem.

§. V.

Miracula alibi patrata.

I. ANDVRI. Andurus, nomen eſt fundi, vbi Eccleſia eſt, & in eâ memoria Stephani Martyris. Puerum quendam paruulum, cum in area luderet, exorbitantes boues qui vehiculum trahebant, rotâ obtriuerant, & confeſtim palpitauit exſpirans. Hunc mater arreptum, ad eandem memoriam poſuit: & non ſolùm reuixit, verumetiam illæſus apparuit.

Sanctimonialis quædam in vicina poſſeſſione, quæ Caſpaliana dicitur, cùm ægritudine laboraret ac deſperaretur; ad eandem memoriam tunica eius allata eſt: quæ antequam reuocaretur, illa defuncta eſt. Hâc tamen tunicâ operuerunt cadauer parentes, & recepto ſpiritu, ſalua facta eſt.

II. AQVIS TIBILITANIS. Hîc Epiſcopo afferente Proiecto reliquias Martyris glorioſiſſimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus & occurſus. Ibi cæca mulier, vt ad Epiſcopum portantem pignora ſacra duceretur, orauit: flores quos ferebat dedit, recepit, oculis admouit, protenus vidit. Stupentibus qui aderant præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlteriùs non requirens.

III. PAGO SYNICENSI. Memorati memoriam Martyris, quæ poſita eſt in Caſtello Synicenſi, quod Hipponenſi Coloniæ vicinum eſt, eiuſdem loci Lucillus Epiſcopus, populo præcedente atque ſequente, portabat: fiſtula, cuius moleſtiâ iam diu laborauerat, & familiariſſimi ſui medici qui eam ſecaret, opperiebatur manus; illius piæ ſarcinæ vectatione repente ſanata eſt. Nam deinceps eam in ſuo corpore non inuenit. *l. 22. de Ciuit. Dei. c. 8.*

Et quandoquidem occupatus ibi eſt enarrandis Miraculis, quæ vt mundus in Chriſtum crederet, facta ſunt, & fieri mundo credente non deſinunt; plura alia recitat quæ nos prætermimus: qui tantummodò hæc deligenda putauimus, ad panegyrin Reliquiarum S. Stephani ab Oroſio allatarum.

§. VI.

§. VI.

Quid de Miraculis ſenſerit Auguſtinus.

SEd neque iſto tantummodò libro meminit talium operum, aſt ſæpiùs alibi: *l. 9. Conf. c. 7. l. de Vnit. Eccl. c. 19.* vt non de nihilo limitandum putarit & declarandum, quod libro de Vera Religione, iam olim conſcripto, dixerat his verbis, c. 25. *Nec Miracula illa in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne anima ſemper viſibilia quæreret: & eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit.* Cùm verum id quidem eſſe aſſerat: (non enim nunc vſque cùm manus imponitur baptizatis, ſic accipiunt Spiritum ſanctum, vt loquantur linguis omnium gentium: aut nunc vſque ad vmbram tranſeuntium prædicatorum Chriſti, ſanantur infirmi: & ſi qua talia tunc facta ſunt, quæ poſtea ceſſaſſe manifeſtum eſt) ſed non ſic tamen accipiendum eſt quod dixit, vt nunc in Chriſti nomine fieri Miracula nulla credantur. Nam & ego ipſe, inquit, quando iſtum ipſum librum ſcripſi, ad Mediolanenſium corpora Martyrum, in eadem ciuitate cæcum illuminatum fuiſſe iam noueram: & alia nonnulla, qualia tam multa etiam iſtis temporibus fiunt, vt nec omnia cognoſcere, nec ea quæ cognoſcimus enumerare poſſimus. *libro 1. Retract. cap. 13.*

Referri namque huc poteſt, quod eo tum tempore ſiue in more ſiue in religione poſitum erat, vt, ſi quis criminis accuſatus, non adeò plenè conuinceretur, vt poſſet damnari; neque probaretur iuſtus, vt abſolui: mitti conſueuiſſe huiuſcemodi tum reum, tum actorem, ad ſepulchra ſanctorum Martyrum, quæ per id tempus Miraculis clarebant: præſtito ibidem iuramento, ius ſuum aut innocentiam palàm edituros. Id enim Auguſtinus ipſe fieri iuſſit in cauſsâ tum perplexâ, neque ſatis ad excutiendum liberâ, quæ continetur *Epiſt. 137.* meminitque ibidem ſimilis Mediolani conſuetudinis.

§. VII.

Aliquot Hiſtoriæ memorabiles, ex Auguſtino deſumtæ.

SEd & profert exempla nonnumquam, quæ vicem ſupplere miraculi poſſunt, ſui raritate atque excellentiâ. Nos è multis paucula eius verbis adducemus.

PRIMA. Dicam quid fecerit pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum conſtitutis: tam pauper, vt proſcholos eſſet Grammatici, ſed planè Chriſtianus: quamuis ille eſſet Paganus Grammaticus, melior ad velum quàm ad Cathedram. Inuênit ſacculum, niſi fortè me numerus fallit, cum ſolidis fermè ducentis. Memor legis, propoſuit pittacium publicè: reddendum enim ſciebat, ſed cui redderet ignorabat. Propoſuit pittacium publicè: Qui ſolidos perdidit, veniat ad locum illum: & quærat hominem illum. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, inuento & lecto pittacio venit ad hominem: &, ne fortè quæreret alienum, quæſiuit ſigna, interrogauit ſacculi qualitatem, ſigillum, ſolidorum etiam numerum. Et cùm omnia illi fideliter reſpondiſſet; reddidit quod inuenerat. Ille autem repletus gaudio & quærens vicem rependere, tamquam decimas obtulit ſolidos viginti: qui noluit accipere. Obtulit vel decem: noluit accipere. Saltem rogauit vel quinque acciperet: noluit ille. Stomachabundus homo proiecit ſacculum: nihil perdidi, ait. Si non vis aliquid à me accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fratres mei, quale certamen! qualis pugna, qualis conflictus! theatrum mundus, ſpectator Deus. Victus tandem ille, quod offerebatur accepit. Continuò totum pauperibus erogauit: vnum ſolidum in domum ſuam non dimiſit. *Serm.* 19. *de verb. Apoſt. c.* 7.

II. Vtrùm quod ait Apoſtolus, *Mulier non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir; ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier*; poſſit in tantum valere, vt permittente vxore quæ maritalis corporis poteſtatem habet, poſſit vir cum alterâ, quæ nec aliena vxor ſit, nec à viro diſiuncta, concumbere? Sed non ita eſt exiſtimandum, ne hoc

etiam

etiam femina, viro permittente facere poſſe videatur, quod omnium ſenſus excludit.

Quamquam nonnullæ cauſſæ poſſint exiſtere, vbi & vxor mariti conſenſu, pro ipſo marito hoc facere debere videatur: ſicut Antiochiæ factum eſſe perhibetur, ante quinquaginta ferme annos, Conſtantij temporibus. Nam Acindinus tunc Præfectus, qui etiam Conſul fuit, cùm quemdam libræ auri debitorem fiſci exigeret, neſcio vnde commotus (quod plerumque in iſtis poteſtatibus pernicioſum eſt, quibus quod libet licet, aut potius putatur licere) comminatus eſt iurans & vehementer affirmans, quod ſi certo die quem conſtituerat, memoratum aurum non exſolueret, occideretur.

Itaque cùm ille teneretur immani cuſtodiâ, nec ſe poſſet debito illo expedire; dies metuendus imminere & propinquare cœpit. Et fortè habebat vxorem pulcherrimam, ſed nullius pecuniæ, quâ ſubuenire poſſet viro. Cuius mulieris pulchritudine cùm quidam diues eſſet accenſus, & cognouiſſet maritum eius in illo diſcrimine conſtitutum; miſit ad eam, pollicens pro vna nocte, ſi ei miſceri vellet, ſe auri libram daturum.

Tum illa, quæ ſe ſciret non habere ſui corporis poteſtatem, ſed virum ſuum; pertulit ad eum, dicens, paratam ſe eſſe pro marito id facere, ſi tamen ipſe coniugalis corporis Dominus, cui tota illa caſtitas deberetur, tamquam de re ſuâ vellet id fieri. Egit ille gratias, & vt fieret imperauit: nullo modo iudicans adulterinum eſſe concubitum, quod & libido nulla, & magna mariti charitas, ſe volente & iubente, flagitaret.

Venit mulier ad villam illius diuitis: fecit quod voluit impudicus: ſed illa corpus non niſi marito dedit, non concumbere, vt ſolet, ſed viuere cupienti. Accepit aurum. Sed ille qui dedit, fraude ſubtraxit quod dederat: & poſuit ſimile ligamentum cum terra. Quod vbi mulier iam domi poſita, inuenit; proſiluit in publicum, eâdem mariti charitate clamatura quod fecerat, quâ facere coacta eſt: Interpellat Præfectum: fatetur omnia: quam fraudem paſſa eſſet, oſtendit.

Tum verò Præfectus primò ſe reum, quòd ſuis minis ad id ventum eſſet, pronuntiat: tamquam in alium ſententiam diceret, de Acindini bonis auri libram fiſco inferendam: illam verò mulierem, Dominam in eam terram, vnde pro auro terram accepiſſet, induci.

 Nihil

Nihil hîc in alteram partem diſputo: liceat cuique æſtimare quod velit. Non enim de diuinis auctoritatibus depromta hiſtoria eſt: ſed tamen narrato hoc facto, non ita reſpuit hoc ſenſus humanus, quod in illa muliere, viro iubente commiſſum eſt; quemadmodum anteà, cùm ſine vllo exemplo res ita poneretur, horruimus. *l. 1. de ſerm. Dom. in Mont. c. 16.*

III. Pro certo, cùm Mediolani eſſemus, audiuimus, quod cùm debitum repeteretur à quodam, defuncti patris cautione prolatâ, quod filio neſciente, à patre iam fuerat perſolutum: contriſtari homo grauiſſimè cœpit atque mirari, quòd ei pater moriens non dixerit quid deberet, cùm feciſſet etiam teſtamentum.

Tunc ei nimis anxio apparuit idem pater in ſomnis, & vbi eſſet repoſitum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicauit. Quo inuento iuuenis atque monſtrato, non ſolùm falſi debiti calumniam propulſauit, ſed etiam paternum recepit chirographum, quod pater non receperat quando eſt perſoluta pecunia.

Hîc itaque putatur anima hominis curam geſſiſſe pro filio, & ad eum veniſſe dormientem: vt docens quod ignorabat, à magnâ eum moleſtiâ liberaret. *l. de cur. mort. ag. c. 16.*

IV. Quartum eſt, quo monet hortaturque Chriſtianos, vt pro eis qui graſſante bellorum tumultu, ab hoſtibus aut barbaris in captiuitatem abducuntur, ac potiſſimum ſanctis, non ceſſent ingemiſcere ad Deum, & quærere quantum poſſunt, quantumque Deus permittit, quid de illis ſit factum, vel quæ poſſint accipere ſolatia?

Nam Sitifenſis ante paucos annos, Seueri Epiſcopi neptis ſanctimonialis, à barbaris ducta eſt, & per mirabilem Dei miſericordiam, cum honore magno ſuis parentibus reſtituta eſt. Domus enim illa barbarorum, vbi captiua ingreſſa eſt; ſubitâ cœpit dominorum infirmitate iactari: ita vt omnes ipſi barbari, tres niſi fallor, vel amplius, fratres, periculoſiſſima infirmitate laborarent.

Quorum mater animaduertit puellam Deo deditam, & credidit quòd eius orationibus, ſui filij poſſent ab imminentis iam mortis periculo liberari. Petiuit vt oraret pro eis: pollicens, quòd ſi ſalui facti eſſent, eam ſuis parentibus redderent.

Ieiunauit illa & orauit, & exaudita continuò eſt. Ad hoc enim factum erat, quantùm exitus docuit. Ita illi tam repentino Dei beneficio ſalute perceptâ, mirantes eam & honorantes, quod eorum mater promiſerat impleuerunt. *Epiſt. 122.* V. De-

V. Denique vt oſtendat non rectè exiſtimari Saram,ideo ab Abimelecho corruptam, quoniam ſomnio eſt ab eius commixtione prohibitus: quaſi nonniſi poſt concubitum dormire potuiſſet, (de qua re videri etiam poteſt *quæſt.26.in Gen.*) dicam, inquit, quod factum eſt in Mauritaniâ Sitiphenſi: neque enim Deus ſanctorum, non eſt ipſe etiam nunc Deus.

Viduam in propoſito continentiæ conſtitutam,Celtichius quidam Catechumenus, iuuenis rapuit, vt haberet vxorem. Antequam concumberet preſſus ſomno, & territus ſomnio, Sitifenſi Epiſcopo eamdem vehementiſſimè requirenti, reuocauit intactam. Viuunt adhuc de quibus loquor. Ille baptizatus, & ipſo in ſe facto miraculo conuerſus ad Dominum, ad Epiſcopatum mirabili probitate peruenit: illa, in ſanctâ viduitate perſiſtit. *l. de octo Dulcit.quæſt. q.7.* Hiſce contentus, pluribus ſuperſedeo.

§. VIII.

Vſus panis Eulogiæ *Auguſtino aliiſq; probatus, & frequentatus.*

NOlo tamen omittere vel in tranſitu dicere, quod affectum charitatis inflammat, frequentatum fuiſſe iam olim ab Auguſtino morem, mittendi ad abſentes, & viciſſim recipiendi Eulogias, ſiue Panem benedictum. Etenim Paullinus Nolanus Epiſcopus, & Auguſtinus Alipiuſque,ex Africâ in Campaniam, & ex Campaniâ in Africam, Eulogias ſibi tranſmiſerunt.

Et quidem Paullinus: Panem vnum, quem vnanimitatis indicio miſimus charitati tuæ;rogamus accipiendo benedicas. *Epiſt.* 31. Et Auguſtinus ad Paullinum: Panem quem miſimus,vberior benedictio fiet dilectione accipientis veſtræ benignitatis. *Epiſt.* 34. Rurſus Paullinus ad Alipium: Panem vnum ſanctitati tuæ, Vnitatis gratiâ, miſimus, in quo etiam Trinitatis ſoliditas continetur. Hunc Panem, Eulogiam eſſe tu facies, dignatione ſumendi. *Epiſt.* 35. Idem ad Romanianum: Ne vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de buccellato (*Biſcotto* vulgo) Chriſtianæ expeditionis, in cuius procinctu

cinctu quotidie ad fragilitatis annonam militamus; Panes quinque tibi, pariter & filio noſtro Licentio miſimus: non enim potuimus à benedictione ſecernere, quem cupimus eâdem nobis gratiâ penitùs annectere. *Epiſt.* 36.

Ceterùm Eulogiæ, ſeu Panis benedicti, in quem nunc occaſione rerum variarum & miraculorum incidimus, ipſe quoque, Auguſtinus alibi meminit, dum ait: Non vniuſmodi eſt ſanctificatio. Nam & Catechumenos, ſecundùm quemdam modum ſuum, per ſignum Chriſti & orationem manûs impoſitionis puto ſanctificari: &, quod accipiunt, quamuis non ſit Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quàm cibi quibus alimur: quoniam ſacramentum eſt. *l.* 2. *de Pecc. mer. & rem. cap.* 26.

CAPVT XXIII.

DAMNATI PELAGIVS ET CELESTIVS, PRÆSIDIVM A FRAVDIBVS QVÆRVNT.

§. I.

Auguſtini Epiſtola ad Paullinum: & ad Aurelium de Geſtis Palæſtinis liber.

Anno 417. ET quoniam ad Paullinum Epiſcopum lapſa nunc oratio eſt; Innocentio Pontifice ad meliorem vitam tranſlato (quod contigit Anno quadringenteſimo decimoſeptimo, quinto Kal. Auguſti) ſcripſiſſe videtur eam Paullino Epiſtolam Auguſtinus, quæ eſt ordine Centeſima ſexta: in qua contra Pelagium luculentè demonſtrat, Gratiam non ſecundùm merita noſtra dari, quæ ipſa ſunt Dei dona gratuita, ſed ſolâ Dei miſericordiâ: eâque fieri, vt paruulus vnus Baptiſmo regeneretur, alius relinquatur in maſsâ perditionis: inſcrutabili quidem, ſed iuſto Dei iudicio.

Sic

Sic enim oſtenditur, quid vaſis miſericordiæ per non debitam, ſed veram gratiam, hoc eſt gratuitam, conferatur. Nam cùm per liberum arbitrium primi hominis, in condemnationem vniuerſa maſſa defluxerit; proculdubio, quòd ex eâ fiant vaſa in honorem, non ipſius iuſtitiæ, quæ gratiam nulla præceſſit; ſed Dei miſericordiæ: quod verò in contumeliam; non iniquitati Dei, quæ abſit vt ſit apud Deum, ſed iudicio deputandum eſt.

In eâdem enumerat, quidquid in nuperâ Palæſtinâ Synodo Pelagio eſt obiectum: de quâ is damnatus exiiſſet, niſi, quæ obſcurare non potuit, ipſe damnaſſet. Ex quibus colligitur Acta Synodi Palæſtinæ, quæ pridem ſummopere Auguſtinus deſiderauerat, iam tum fuiſſe aſſecutum: vt perinde exactè doceat quid Pelagium fateri neceſſe ſit, vt cum Catholicâ Eccleſiâ in primis, & Epiſcopalis illius auctoritate iudicij conſentiat. *Epiſt.* 106.

Cùm ergo, vti iam diximus, in Auguſtini manus, Concilij Palæſtini quatuordecim Epiſcoporum geſta veniſſent; ſcripſit de his librum: ne Pelagio veluti abſoluto, eadem quoque dogmata putarentur iudices approbaſſe, quæ ille niſi damnaſſet, nullo modo ab eis, niſi damnatus, exiſſet. *l.* 2. *Retract. c.*47.

Librum hunc Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo inſcripſit: *l. de pecc. Orig. c.* 14. qui tametſi nuncupari vulgo ſoleat, De Geſtis Pelagij; aptiùs tamen inſcribitur, De Geſtis Palæſtinis, vt ipſe Auguſtinus loco citato nominat: è quo corrigendus Poſſidij deſcriptor, Indiculi c. 4. vbi habet: Contra Geſta Pelagij.

§. II.

Celeſtius Romam venit, vt ſe purget.

Pelagius interea & Celeſtius nihil non agebant, vt vbique Catholici haberentur. Et hic quidem iam in Aſia, vti diximus, Presbyter factus, Romam venit, vbi Innocentio Zozymus ſucceſſerat. Ibi tum Celeſtius non tam de Concilij Carthaginenſis contra ſe iudicio (à quo ante quinquennium damnatus prouocauerat) quàm nouiſſimo Innocentij, querebatur. Nempe:

In eo omnia, Herote & Lazaro auctoribus, calidè peracta. Nullum ſibi de quibus accuſabatur, vmquam fuiſſe cum prædictis ſermonem: neque antequàm de ſe ſciberent viſu fuiſſe compertos. Lazarum iam in tranſitu cognitum: Herotem verò etiam ſatisfactione interpoſitâ, quòd ſecùs de ignoto & abſente ſenſiſſet, à ſe cum gratia receſſiſſe.

Quibus perinde Zozymus acceptis, licet maioribus vinculis Eccleſiaſticorum, vt ait, negotiorum diſtraheretur, ne diutiùs tamen cauſſæ Celeſtij exſpectatio penderet; poſthabitis omnibus, in Baſilica S. Clementis cognitione habitâ, omnia quæ priùs fuerant Acta diſcuſſit.

Et primùm intromiſſo Celeſtio, libellum, quem is obtulerat, fecit recitari. Huius libelli exſtant tantummodò quædam fragmenta, apud Auguſtinum: *l. de pecc. Orig. c.* 5. in quibus licet manifeſtè negaret peccatum Originale; ne propterea tamen haberetur hæreticus, ſic fuerat præfatus: Si fortè vt hominibus quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit, veſtrâ ſententiâ corrigatur. *eod. l. c.6.*

Quam eius prælocutionem tenens Venerabilis Papa Zozymus, egit cum homine, quem falſæ doctrinæ ventus inflauerat, vt ea, quæ illi à Paullino Diacono fuerant obiecta, damnaret: atque vt Sedis Apoſtolicæ litteris, quæ à ſanctæ memoriæ ſuo præceſſore manauerant, præberet aſſenſum. *eod. l. c.7.* Erant obiecta Paullini, propter quæ in iudicio Epiſcopali, habito Carthagine anno poſt Collationem cum Donatiſtis (vbi non interfuit Auguſtinus) excommunicationem Celeſtius meruerat: quæque quadriennio pòſt in Carthaginenſi item Synodo recenſita, cauſſam Innocentio dederant vt eum damnaret.

Is Paullinus, fuit Mediolanenſis Eccleſiæ quondam Lector: qui à Venerio Simpliciani in cathedrâ Epiſcopali ſucceſſore in Africam deſtinatus, vt deficientis ibi Cleri numerum augeret, Carthagine apud Fortunatum Diaconum conſedit, & rogatu Auguſtini, Ambroſij Epiſcopi vitam conſcripſit, vt ipſemet in eâ teſtatur. ac primus doctrinæ ſagacitate, Celeſtiani erroris toxicum odoratus, hominem apud Epiſcoporum tribunal accuſatum Carthagine atque conuictum, anathematis ſententiâ feriri procurauit. *Baron. Anno* 401.

Porrò iam Celeſtius, cùm Originale peccatum, de quo antea Carthagine dubitauerat, in libello ſuo apertè deſtrueret; vt videri po-

teſt *l. de Pecc. Orig. c. 6.* idcirco Innocentij litteris, Anni quadringenteſimi decimi ſeptimi initio datis ad Patres Synodi Carthaginenſis & Mileuitanæ, vrgebatur aſſentire. Quid fit? Noluit Celeſtius Paullini Diaconi obiecta damnare: ſed, cùm beati Papæ Innocentij litteris non eſſet auſus obſiſtere, *ſe omnia quæ Sedes illa damnaret, damnaturum eſſe* promiſit. *eod. l. & c.* videri etiam poteſt *l. 2. ad Bonif. c. 3.*

§. III.

Audit Celeſtium Zozymus Papa: & in Africam ſcribit.

OB hoc Zozymus, plus in Celeſtium potuiſſe calumniam, quàm innocentiam ratus; quæcumque geſſerat, Africanis Epiſcopis per litteras transfudit: eâdemque illos operâ non perfunctoriè perſtrinxit, quòd aures tam faciles Heroti & Lazaro, factioſis hominibus, præbuiſſent: qui nimirum contra fas in Galliâ ſibi ſacerdotia vindicaſſent, vnde porrò fuerant, non ſecus atque communione, ſubmoti. Subiungit: vt intra ſecundum menſem, aut veniant qui præſentem redarguant aliter ſentire quàm libellis & confeſſione contexuit; aut nihil, poſt hæc tam aperta & manifeſta quæ protulit, dubij, Sanctitas veſtra reſediſſe cognoſcat. *Ita Zozymus in Epiſtola ad Epiſcopos Africæ.* Denique Paullinum Diaconum adeſſe iubet: quem fugâ ſibi conſuluiſſe, fama per Celeſtium ſparſa vulgauerat.

Vt verò ex his appareat, clementer admodum & leniter cum Celeſtio Zozymum egiſſe; à vinculis tamen Excommunicationis, inquit Auguſtinus, nondum eſt creditus eſſe ſoluendus: ſed interpoſito duorum menſium tempore, donec reſcriberetur ex Africa, reſipiſcendi locus ſub quâdam medicinali ſententiæ lenitate, conceſſus eſt. Quoniam reuera, ſi, depoſitâ peruicaciæ vanitate, quod promiſerat vellet attendere, & eaſdem litteras, quibus ſe conſenſurum eſſe reſponderat, diligenter legeret; ſanaretur, *l. de pecc. Orig. c. 7.*

§. IV.

Pelagius abſens ſe purgare ſatagit.

IAm & ipſe Pelagius, in Synodo Palæſtina abſolutus, cùm percepiſſet quid contra ſe in Africa gereretur; quoad potuit conatus eſt, vt quemadmodum Palæſtinos iudices præſentes, ita & Innocentium falleret abſentem: ſicque vtriuſque Concilij Africani vim eluderet, quam ſciebat ab Innocentij ſupremo ſolio pendêre. Optimum itaque conſilium exiſtimauit, congerronis Celeſtij aſtutiam imitari: imò ſuperare aſtu maiore.

Romam litteras ſuas mittere ſatis arbitratus, perſonam Orienti reſeruauit: vnde vniuerſo orbi doctrinæ lucem, qui tunc in Palæſtinam frequens aduentabat, veluti phoſphorus aliquis radiaret. Adiunxit & libellum fidei, non minori, quàm fuerant eius Litteræ, fraude conſutum: ex quo perinde ater an albus fuerit, haud facile queas dignoſcere. Hunc Librum cum Litteris præfatis ad Innocentium Pontificem deſtinauit; quem cum in corpore non inueniret, ſancto Papæ Zozymo datus eſt. *l. de pecc. Orig. c.* 17 *&* 21.

Vt verò hic fidei libellus exſtet (quem impoſtores nonnulli fecerunt Epiſtolam decimamſeptimam Hieronymi, ſub titulo: Symboli Explicatio ad Damaſum: immò quod magis admireris, capite calceque immutatis, ſermonem Auguſtini centeſimum nonageſimum primum de Tempore) ita Litteræ vel interierunt, vel alicubi etiamnum latent. Licet tamen ex fragmentis, quæ producuntur ab Auguſtino, ſenſum earum quadamtenus eruere.

§. V.

Litterarum Pelagij fragmenta.

„ SVnt, inquit Pelagius, de quibus me homines infamare conantur:
„ vnum, quòd negem paruulis Baptiſmi Sacramentum: & abſque redem-

redemtione Chriſti, aliquibus regna cælorum promittam. *l. de grat.* “
Chriſti c. 30. Numquam verò vel impium aliquem hæreticum audi- “
ui, qui hoc de paruulis diceret. Quis enim ita Euangelicæ lectionis “
ignarus eſt, qui hoc non modò affirmare conetur, ſed qui vel leuiter “
dicere, aut etiam ſentire poſſit? Deinde quis tam impius, qui paruu- “
los exſortes regni cælorum eſſe velit, dum eos baptizari, & in Chri- “
ſto renaſci putat? Scripturâ dicente: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &* “
Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quis ille tam impius, “
qui cuiuſlibet ætatis paruulo interdicat communem humani generis “
redemtionem, & in perpetuam certamque vitam renaſci vetet eum, “
qui natus eſt ad incertam? *l. de pecc. Orig. c.* 18.

Aliud eſt: Quòd ita dicam poſſe hominem vitare peccatum, “
vt Dei excludam auxilium: & in tantum libero confidam arbitrio, “
vt gratiæ repudiem adiutorium. *l. de Grat. Chriſti c.* 30. Hîc interpo-
ſitis inuidioſis contra ſuos inimicos querelis, ita loquitur: Ecce ad “
beatitudinem tuam Epiſtola iſta me purget, in qua purè atque ſimpli- “
citer, ad peccandum & ad non peccandum, integrum liberum arbi- “
trium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus diuino “
ſemper adiuuatur auxilio. *eod. l. c.* 31.

Hîc cum quædam de hominis conditione, & ad peccandum & non
peccandum naturali eius poteſtate interpoſuiſſet, adiunxit: Quam li- “
beri arbitrij poteſtatem dicimus in omnibus eſſe generaliter, in Chri- “
ſtianis, Iudæis, atque Gentilibus. In omnibus eſt liberum arbitrium æ- “
qualiter per naturam: ſed in ſolis Chriſtianis iuuatur à gratiâ. In illis “
nudũ & inerme eſt conditionis bonum; in his verò quæ ad Chriſtum “
pertinent, Chriſti munitur auxilio. Illi ideo iudicandi atque damnan- “
di ſunt, quia cùm habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem “
venire poſſent, & Dei gratiam promereri; malè vtuntur libertate “
conceſsâ: hi verò remunerandi ſunt, qui bene libero vtentes arbi- “
trio, merentur Domini gratiam, & eius mandata cuſtodiunt *eod. l. & c.*

Deinde cum ad librum fidei ſuæ, iuſſiſſet tranſire Lectorem; de “
aliis Opuſculis ſic ſubiungit: Legant illam Epiſtolam, quam ad ſan- “
ctum virum Paullinum Epiſcopum ante duodecim ferè annos ſcrip- “
ſimus, quæ trecentis fortè verſibus nihil aliud quàm Dei gratiam & “
auxilium confitetur: noſque nihil omninò facere poſſe ſine Deo. “
eod. l. c. 35.

Legant etiam ad ſanctum Conſtantium Epiſcopum: vbi breuiter ,,

» quidem, ſed planè libero hominis arbitrio, Dei gratiam auxilium-
» que coniunxi. *eod. l. c.* 36.

» Legant etiam quam ad ſacram Chriſti Virginem Demetriadem, in
» Oriente conſcripſimus: & inuenient nos ita hominis laudare natu-
» ram, vt Dei ſemper gratiæ addamus auxilium. *eod. l. c.* 37.

» Legant etiam recens meum Opuſculum, quod pro libero nuper
» arbitrio edere compulſi ſumus: & agnoſcent, quàm iniquè nos nega-
» tione gratiæ infamare geſtierint, qui per totum pœnè ipſius textum
» operis, perfectè atque integrè & liberum arbitrium confitemur,
» & gratiam. *eod. l. cap.* 41.

§. VI.

Sicut Litteræ Pelagij, ita formula fidei erroribus infecta.

ET hæc quidem litterarum Pelagij fruſta ſunt, quas datâ operâ tam ambigue conſcripſerat, ſicuti locis citatis Auguſtinus oſtendit; vt quâ parte Cãtholicæ videntur, eâ venenum hæreſeos occultent.

Eodem artificio confecta erat Fidei formula: totidemque verbis oppugnabat Catholicam Fidem, quot putabatur aſſerere. Confitetur in eâ, Animas à Deo dari, ab ipſoque factas eſſe, *l. 4. ad Bonif. c. 2.* vt, negato traduce, animas inquinari in ipſa conceptione non poſſe, & Chriſti animæ animas paruulorum æquales eſſe, crederetur.

Nihil homini præceptum, dicit eſſe impoſſibile: *l. de grat. & lib. arb. c. 16.* vt iuſtitiæ perfectio, & vita immaculata ſine peccato tranſigi poſſe putaretur.

Dei filium carnis neceſſitate mentitum negat: *l. 1. ad Bonif. c. 12. & l. 3. c. 6.* vt eum non veniſſe in ſimilitudinem carnis peccati, & conſequenter nullam eſſe carnem peccati, conuinceret.

In cælo nos diffitetur habituros eſſe virtutes, quas hic habere neglexerimus: *l. 3. ad Bonif. c. 7. & l. 4. c. 7.* vt iuſtitiam in hac vita tantam, quanta eſt Beatorum, adſtrueret.

Errare dixit eos, qui cum Manichæis dicerent, Peccatum vitari non

non poſſe : & cum Iouiniano, Nos non poſſe peccare ; *l. 1. oper. imp.* vt duos fidei articulos clam ſubuerteret : vnum quo Auguſtinus docuerat, Non omnia peccata in hac vita nos poſſe vitare : alterum, Gratiam ita agere voluntatem, vt non peccet.

Hominem fatetur & peccare poſſe,& non peccare : *eod. l.c.* 48. *& ſeqq.* eumque ſemper eſſe liberi arbitrij ; *l. de geſt. Pal. c.* 18.*& l.* 1. *ad Bonif.c.* 15. vt eo quaſi duplici telo, quo hæreſis iſta ſemper vſa eſt,omnem adiutorij diuini neceſſitatem euerteret. Has enim Pelagij fraudes, tum citatis locis, tum alijs pluribus, detexit Auguſtinus & refellit.

§. VII.

Pelagio Hypocriſis ſua tantumnon ſuccedit.

HIſce innocentiæ Pelagij ſonantibus bullis, Praylij (Epiſcopi Hieroſolymitani, qui Ioanni ſucceſſerat) litteræ præibant: quibus cauſſæ ipſius adſtipulator enixiùs interueniebat. Quamobrem lectis Pelagij litteris, tanta eſt Romæ orta lætitia ; vt dicat Zozymus in Epiſtolâ ad Africanos ; datâ vndecimo Kalendas Octobris : Vtinam vllus veſtrum, dilectiſſimi fratres, recitationi litterarum intereſſe potuiſſet! Quod ſanctorum virorum, qui aderant,gaudium fuit! quæ admiratio ſingulorum ! Vix fletu quidam ſe & lacrymis temperabant. Talem etiam abſolutæ fidei, infamari potuiſſe ! Eſtnè vllus locus,in quo Dei gratia vel adiutorium prætermiſſum ſit ? *&c.*

Deinde grauiter inuehitur in Herotem & Lazarum, quos, tamquam improbos iam olim calumniatores fratrum ſuorum Epiſcoporum, & communione ſubmotos accuſat : quòd, vbi de Epiſcopatu Brixij Turonenſis abdicando ageretur, maria terraque luſtrarentur, nec vlla ſuffragia prætermitterent : vbi verò innocentium (vt quidem exiſtimabat Zozimus) Pelagij atque Celeſtij fama percelleretur, otioſi ac delicati ſiue accuſatores ſiue teſtes, (in vtroque enim fallentibus, nomen infame eſt) in cubilibus & lectulis, ſuis litteris abuterentur : & totam Africam, vniuerſumque tranquillum Catholicæ ſerenitatis, duæ iſtæ peſtes ad ſuas libidines obnubilarent.

Magnæ quoque Africanos Epiſcopos leuitatis arguit, quòd famæ

 dum-

dumtaxat, & litteris Herotis ac Laxari, itemque Timaſij & Iacobi ſcripta quædam tamquam Pelagij Auguſtino tradentium, aſſertionibus credidiſſent: quòd non deceret Epiſcopalem auctoritatem, ad leuium ſuſurronum ſcripta pendere. Hæc & alia Zozymus apud Baron. Anno 417. circumuentus ſcilicet à nequiſſimis impoſtoribus: quorum calliditatem, ſimulatam profeſſionem, & mendacia, aliud corde aliud ore geſtantium, nondum penitùs nouerat.

Cumque his ſuis litteris Zozymus, illas etiam Pelagij, formulamque fidei ipſius, in Africam tranſmiſiſſet: quantumcumque ſe ſpecioſâ orthodoxæ fidei laruâ, & ſimulatæ ſubiectionis in omnibus quæ ſentiebant, ipſe Pelagius Celeſtiuſque induiſſent; non tamen antè iudicati ſunt Excommunicationis vinculo, quo fuerant per Innocentium innodati, poſſe exſolui, quàm Africanum Epiſcoporum Concilium reſcripſiſſet.

Quæ tum igitur gerebantur ab hoc pari verſipellium hæreticorum, non abſque cauſſa Poſſidium impulerunt, vt diceret, conatos fuiſſe perfidiam ſuam Sedi Apoſtolicæ per ſummam ambitionem perſuadere. *Poſsid. c.18.*

§. VIII.

Pelagius detegitur ab Africanis Patribus: & damnatur.

ALlatis interea in Africam Zozymi ſignificationibus, vnâ poſt alteram; Patres Africani non immeritò turbati, ſub finem Anni vt apparet Quadringenteſimi decimiſeptimi Carthaginem confluxerunt: datiſque ad Zozymum litteris obteſtati ſunt, vt in priſtino ſtatu omnia permitteret, donec accuratiùs de ſummâ rei tantæ perſcriberent. Miſſis paullò pòſt per Marcellinum Subdiaconum litteris, ſubinfenſo ſe animo tuliſſe indicant, quòd nimis credulus, fidem in omnibus Celeſtio Zoſymus commodaſſet.

Anno 418. De quo Zozymus quamquàm per litteras Anni ſequentis Martio menſe datas, ſe purgaret; ipſi nihilominus eiuſdem anni initio, Honorio x I I. & Theodoſio v I I I. AA. Coſſ. Carthagine congregati

gati (numero ducenti quatuordecim, vt teſtatur Proſper *l. cont. Collat. c.* 10.) omnibus circa Celeſtium & Pelagium diligenter riteque diſcuſſis; eas litteras conſcripſerunt, quas deinde Pelagianæ hæreſis damnatio conſecuta eſt.

Sanè præter ea verba aut ſenſum, quem litteris fuiſſe comprehenſum teſtatur Auguſtinus, (puta: Non ſufficere hominibus tardioribus & ſollicitioribus, quòd ſe generaliter Innocentij Epiſcopi litteris conſentire Celeſtius fatebatur; ſed apertè eum debere anathematizare, quæ in ſuo libello praua poſuerat: ne, ſi id non feciſſet, multi parum intelligentes, magis in libello eius illa fidei venena à Sede Apoſtolica crederent approbata, propterea quòd ab illa dictum erat, eum libellum eſſe Catholicum: quàm emendata propter illud, quòd ſe Papæ Innocentij litteris conſentire ipſe reſponderat: *l. 2. ad Boniſ. c.* 3.) detectam præterea in iiſdem Pelagij fraudem, quâ ſenſus ſuos in libello texerat, dum ait, Baptiſmum iiſdem Sacramenti verbis in infantibus, quibus & in maioribus eſſe celebrandum; *l. de pecc. Orig. c.* 21. refert Proſper ita demum fuiſſe decretum: Conſtituimus in " Pelagium atque Celeſtium, per Venerabilem Epiſcopum Innocen- " tium, de beatiſſimi Apoſtoli Petri ſede prolatam manere ſenten- " tiam, donec apertiſſimâ confeſſione fateantur, gratiâ Dei per Ieſum " Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolum ad cognoſcendam, ve- " rumetiam ad faciendam iuſtitiam, nos per actus ſingulos adiuuari: " ita vt ſine illa nihil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dice- " re, agere valeamus. *l. cont. Collat. c.* 10. "

Neque immeritò. Etenim:

An altum in finem poſſet procedere ſanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumq;
Auguſtinus erat? quem Chriſti gratia, cornu
Vberiore rigans, noſtro lumen dedit æuo,
Accenſum verò de lumine. Nam cibus illi
Et vita & requies, Deus eſt, omniſq; voluptas
Vnus amor Chriſti eſt, vnus Chriſti eſt honor illi:
Et dum nulla ſibi tribuit bona; fit Deus illi
Omnia, & in ſancto regnat ſapientia templo.
Proſper Poëm. de Ingrat. c. 2.

In hoc eodem Africano Concilio præter iam dictas litteras, Conſtitutiones aliquot ſiue Canones conditos fuiſſe, quibus ſigillatim

damnata ſunt Pelagij Celeſtijq́ue dogmata; teſtis eſt idem Proſper *in Chronico, & l. cont. Collat. c.* 10. quos eſſe octo illos, quos nonnulli Concilio Mileuitano ante biennium habito adſcripſerunt, propè manifeſtum eſt.

§. IX.

Afrorum ſententiam Zozymus ſuâ confirmat.

PLeniùs iam perfectiùſque Africanorum Antiſtitum ſtudio & litteris Zozymus inſtructus, cùm ad damnanda quæ à Paullino Diacono olim obiecta fuerant, ſuoque libello Celeſtius inſeruerat, vrgeretur; examini ſe ſubtraxit: *l. 2. ad Bonif. c.* 3. eoque ſanè pacto oſtendit, quantâ ſinceritate profeſſus eſſet ſe corrigi paratum. Cumque per idem tempus, nonnulla Pelagij ſcripta in Vrbe Româ (vbi diutiſſimè vixerat: atque in his fuerat priùs ſermonibus contentionibuſque verſatus) curâ fidelium fratrum prolata patuiſſent, ex quibus eius peruerſitas euidenter innotuit; *l. de pecc. Orig. c.* 21. Zozymus nihil morandum ratus, tametſi mitiùs antè benigniuſque cum eis egiſſet, repetitâ nunc auctoritate damnauit: *l. 2. ad Bonif. c.* 3. & 4. damnauit, inquam:

Sic moderante ſuam legem bonitate ſeuerâ,
Vt qui damnato vellent de errore reuerti,
Acciperent pacem, pulſis qui praua tenerent.
Proſp. Poëm. de Ingrat. c. 2.

Damnationis porrò ſententiam (cui vt eius ouibus iuſtitia pateſceret, Zozymus, Auguſtino teſte, quaſdam Pelagij blaſphemias attexuit, *l. de pecc. Orig. c.* 22.) ad totius orbis Epiſcopos miſit: quam ſimul atque Synodus Carthaginenſis, nondum diſſoluta, accepiſſet; eandem protenus damnationem menſis Maij initio conclamauit. Quamobrem Epiſcopi Africani, ad Papam Zozymum reſcribentes, „cumque in ſententiæ huius ſalubritate laudantes, dixerunt: Illud „verò quod in litteris tuis, quas ad vniuerſos curaſti eſſe mittendas, „poſuiſti dicens: *Nos tamen inſtinctu Dei (omnia enim bona ad Auctorem ſuum*

ſuum referenda ſunt, vnde naſcuntur) ad fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum conſcientiam vniuerſa retulimus: ſic accepimus dictum, vt illos qui contra Dei adiutorium extollunt humani arbitrij libertatem, diſtrictæ gladio veritatis, velut curſim tranſiens amputares. *Proſp. l. cont. Collat. cap.* 10.

§. X.

Sixtus Presbyter, primus Romæ Pelagio anathema dicit.

PElagio ſic Celeſtioque damnatis, Sixtus Presbyter Romanus (qui Celeſtino poſtea in Petri Cathedra ſucceſſit: perque id tempus magni momenti patronus ſuæ doctrinæ, à Pelagianis ferebatur; *Epiſt.* 104.) prior anathema eis, in populo frequentiſſimo, pronuntiauit: *Epiſt.* 105. & , vt iactatam de ſe famam dilueret, quâ ſummus eſſe Pelagianis amicus ferebatur, litteras ad Aurelium Carthaginenſem dedit: breues quidem, ſed quæ vigorem eius contra peſtem illam ſatis eloquerentur. Deſcripſerunt eas alacriter Epiſcopi Africani, & circumquaque quibus poterant, magno ſtudio prælegebant. *Epiſt.* 104.

Diſſecuit poſtea Sixtus prolixiore ſcripto perniciosiſſimum dogma. Quod ſcriptum cum in Africam veniſſet: adeò Auguſtinus, ceterique Epiſcopi ſunt affecti, vt non ſolum illud omne triſtitiæ nubilum, quod mendax fama adduxerat, de cordibus eorum fugerit; ſed tantum ibi etiam lætitiæ lumen infulſerit, vt nihil in eis egiſſe videretur ille mœror & timor, niſi ſucceſſurorum flagrantiam gaudiorum. Quamobrem paullò pôſt Auguſtinus Sixto Epiſtolam repoſuit: quæ ſicuti Pelagianum errorem radicitùs conuellit; ita Catholicæ de Gratia & Prædeſtinatione doctrinæ ſolidiſſima continet fundamenta: admonens vt nunc docendis inſtet, quibus terrendis ſatis inſtiterat. Erant enim quidam, qui iuſtiſſimè damnatas impietates, adhuc liberiùs defendendas putarent: quique occultiùs domos penetrabant, & quod in aperto iam clamare metuebant, non ceſſabant in ſecreto ſeminare. *Epiſt.* 105.

§. XI.

Impietatis Pelagianæ exemplum.

HViuſce rei vnicum ſaltem exemplum, ex Auguſtino referemus. Illa duo, inquit, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: &, *Ne nos inferas in tentationem*: quando Pelagianis obiiciuntur, quid eos putatis reſpondere? Horrui, fratres mei, quando audiui. Ego quidem non audiui auribus meis; ſed ſanctus frater & Coëpiſcopus meus Vrbanus noſter, qui hic Presbyter fuit, & modò eſt Siccenſis Epiſcopus, cùm remeaſſet ab Vrbe Roma, & ibi cum quodam talia ſentiente confligeret, vel ſe conflixiſſe referret: cùm vrgeretur pondere orationis Dominicæ, vrgebat eum & dicebat: Si in noſtra poteſtate eſt non peccare; & in noſtra poteſtate eſt omnes peccatorum tentationes, ſolis voluntatis noſtræ viribus ſuperare; quare Deo dicimus, *Ne nos inferas in tentationem*?

Quid eum putatis reſpondiſſe? Rogamus, inquit, Deum, ne nos inferat in tentationem: ne aliquid mali patiamur, quod non habemus in poteſtate. Ne ruam de equo, & ne frangam pedem: ne latro me interficiat, & quid huiuſmodi. Hæc enim, inquit, non habeo in poteſtate. Nam vincere tentationes peccatorum meorum, ſi volo, & poſſum, nec Dei adiutorio poſſum.

Videtis fratres, quàm maligna hæreſis. Videtis quemadmodum omnes horretis. Cauete ne capiamini. Noui enim calliditates, & tergiuerſationes hominum impiorum, auerſorum à veritate: &, quia iam in ſuas ſententias ceciderunt, vinci nolentium. Videte obſecro vos. Ecce inuênit quod diceret: ideo nos dicere, *Ne nos inferas in tentationem*; ne aliquid nobis contingat, quod non habemus in poteſtate, ſecundùm corporis tentationem.

Inde ergò dicebat Dominus: Vigilate, & orate ne intretis in tentationem? Hoc dicebat, vigilate & orate ne pedem frangatis, aut ne caput doleatis, aut ne in damnum incurratis? Non hoc dicebat. Sed quid dicebat? Quod Petro dixit: *Rogaui*, inquit, *pro te, ne deficiat fides tua*. Rogaui, inquit, pro te dicit, Deus homini, Dominus ſeruo, Magiſter diſcipulo, medicus ægroto. Rogaui pro te. Quid? ne deficiat. Quid?

Quid? manus tua? pes tuus? oculus tuus? lingua tua? aliquâ paralyſi, id eſt diſſolutione membrorum? Non, ſed ne deficiat fides tua. Secundùm iſtos, in poteſtate habemus, ne deficiat fides noſtra. Quare pro nobis rogatur Deus, vt concedat rogare nobis quod iſti dicunt nos non debere petere à ſempiterna maieſtate, ſed habere in poteſtate? &c. *Tom.* 10. *fragm.* 1. Videri etiam poteſt. *Epiſt.* 95.

§. XII.

Pelagius ab Imperatore, ſed & aliis damnatur.

VBi Romanæ Eccleſiæ contra Pelagianos ſententiam Honorius Imperator audiuit; eam abſque mora ſecutus eſt Imperiali edicto, dato Rauennæ pridie Kalendas Maias, ad Palladium Præfectum prætorio, Honorio XII. & Theodoſio VIII. AA. Coſſ. quo pulſis ab vrbe capitibus dogmatis execrandi, Celeſtio atque Pelagio, ſancit, vt quicumque ſectatores eorum de eadem hæreſi ſermones facere deprehenderentur; ad iudicium à quocumque deferantur & accuſentur: ita vt probationem, inquit, conuicti criminis ſtilus publicus inſequatur, ipſis inexorati exilij deportatione damnatis.

Iubet deinde hanc ſuam ſanctionem per omne Imperium promulgari. Quod dum repente factum eſt, cunctis Prouinciis & Vrbibus pelli cœperunt. Siciliâ in primis, Epheſo, Conſtantinopoli, vt colligi ex Proſpero poteſt *Poëm. de Ing. c.* 2. Teſtatur autem Poſſidius, hac ſeueritate factum eſſe, vt nonnulli ex eis ad ſanctæ matris Eccleſiæ gremium, vnde deſciuerant, redierint: & innoteſcente ac præualeſcente aduerſus illum deteſtabilem errorem rectæ fidei veritate, plures tum quotidie redirent. *Poſſid. c.* 18.

§. XIII.

Damnati Pelagij querimoniam Auguſtinus refellit, libris de Gratia Chriſti & Peccato Originali.

Pelagius (qui Palæſtinos iudices præſens fefellerat) vbi accepit abſenti nihilum profuiſſe dolos, quibus Romanam Eccleſiam ductare conatus fuerat; grauiſſimè conqueſtus eſt apud Albinam, Pinianum, & Melaniam, olim Auguſtini hoſpites, vt ſupra commemorauimus lib. 3. cap. 11. §. 1. per id tempus Hieroſolymis agentes: qui pro familiaritate, quam cum Pelagio ibidem contraxerant, id egerunt, vt quæcumque aduerſus eum dicerentur, ſcripto damnaret. Fecit hoc Pelagius tanto rurſus artificio, Gratiam Dei non ſolùm per ſingulas horas, aut per ſingula momenta, ſed etiam per ſingulos actûs noſtros neceſſariam confeſſus; vt eum Catholicum exiſtimarent.

Quare Pinianus, tum ſuo, tum matris vxoriſque nomine, ad Auguſtinum mox iſtud per litteras retulit: qui adhuc Carthagine exiſtens (an productæ Synodi cauſsâ, an redux è Mauritaniâ, incertum) inter plurimas occupationes, multum feſtinante perlatore, aduerſus Pelagium & Celeſtium duos Libros, vnum de Gratia Chriſti, alterum De Peccato Originali dictando conſcripſit. *l. de Grat. Chriſti c. 1. & 2. & l. 2. Retract. c.* 50. Oſtendit in his quàm ſit fraudulenta & ſimulata Pelagij omnis confeſſio: quanta in verbis ipſius ambiguitas: quàm nihil fidendum homini fallaci, qui ſcriptis editiſque opuſculis poſtea docuerit, quod oretenùs antea in Palæſtina Synodo damnauerat.

Etenim Pelagium & Celeſtium, quod erant, remanſiſſe, teſtatur Auguſtinus, dum ait: Qui recenti iudicio Dei, per diligentes & fideles ſeruos eius etiam Catholicâ communione priuati ſunt: & propter cor impœnitens, adhuc in ſua damnatione perſiſtunt. *Epiſt.* 200.

§. XIV.

§. XIV.

Pelagij damnatione, Hieronymus gratulabundus exultat.

VBi verò Hieronymus certior eſt redditus, ſiue Alipij ſiue Auguſtini litteris, de prolata in vtrumque damnationis ſententia; non vltrà domi continens calamum, in hunc modum Alipio & Auguſtino reſcripſit: Mihi omnis occaſio gratiſſima eſt, per quam ſcribo veſtræ Reuerentiæ: teſtem inuocans Deum, quòd, ſi poſſet fieri, aſſumtis alis columbæ, veſtris amplexibus implicarer: ſemper quidem pro merito virtutum veſtrarum; ſed nunc maximè quia cooperatoribus & adiutoribus vobis, hæreſis Celeſtina iugulata eſt: quæ ita infecit corda multorum, vt, cùm ſuperatos damnatoſque eſſe ſe ſentiant, tamen venena mentium non omittant: &, quod ſolùm poſſunt, nos oderint, per quos putant ſe libertatem docendæ hæreſeos perdidiſſe. *Epiſt.* 24.

Sanè Pelagij, ſub Zozymo Papa dum meminit Proſper in Chronico; teſtatur Afrorum vigore, & maximè Auguſtini Epiſcopi ſcientiâ, itum illi obuiam fuiſſe.

§. XV.

Liber Auguſtini de Præſentia Dei, ad Dardanum.

ET quoniam inter illa, quæ hâc circiter tempeſtate compoſuit; meminit libri à ſe conſcripti, De Præſentia Dei, qui eſt Epiſtola 57. (vbi intentio ipſius, contra hæreſin Pelagianam maximè vigilat, quamquam non expreſsè nominatam: in eo præterea de præſentia naturæ, quem Deum verum & ſummum dicimus, & de templo eius operosè ac ſubtiliter diſputatur) planum eſt coniicere, hoc anno ſiue hâc æſtate confectum: ad Dardanum, virum & ſæculi dignitate, & Chriſti charitate illuſtrem. *l.* 2. *Retract. c.* 49. *& Epiſt.* 57.

CAPVT

CAPVT XXIV.

DONATISTÆ ET PELAGIANI ITERVM AB AVGVSTINO EXAGITATI.

§. I.

Auguſtinus, à Zozymo Papa in Mauritaniam miſſus, Emeritum ibi Donatiſtam conuenit.

A Pelagianis ad Donatiſtas operam ſollertiamque ſuam tantiſper tranſtulit optimus Antiſtes. Hoc enim eodem anno, iniuncta ei aliiſque Epiſcopis à Zozymo Romano Pontifice Legatio eſt, in Mauritaniam Cæſarienſem.

Meminit ipſe ad Optatum, his verbis: Quamuis tuæ ſanctitatis, nullas ad meipſum datas, acceperim litteras; tamen quia illæ, quas ad Mauritaniam Cæſarienſem miſiſti, me apud Cæſaream præſente venerunt, quò nos iniuncta nobis, à venerabili Papa Zozymo, Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo, Eccleſiaſtica neceſſitas traxerat factum eſt, &c. *Epiſt.* 157.

Teſtatur porrò Poſſidius, non Auguſtino ſoli, ſed & aliis Epiſcopis commiſſam fuiſſe hanc Legationem. *Poſſid. c.* 14. quorum nomina recitantur in exordio Geſtorum cum Emerito.

Et quamquam præcisè non conſtet, quænam cauſſa fuerit, cur tot Epiſcopos iſtuc Zozymus deſtinarit, cum tantummodò prodat Auguſtinus, ortam ſibi neceſſitatem eò pergendi committente Zozymo; attamen quid per occaſionem ibi egerit, ipſemet refert his verbis:

Apud ipſam Cæſaream, Emeritum Donatiſtarum Epiſcopum vidimus: vnum ſcilicet eorum ſeptem, quos pro cauſſæ ſuæ defenſione delegerant: & qui in eadem cauſſa maximè laborauerat. Quæ cum illo egerimus præſentibus Epiſcopis eiuſdem Prouinciæ, & plebe Cæſarien-

Cæſarienſis Eccleſiæ, in qua ciuitate & ciuis & memoratorum hæreticorum Epiſcopus fuit; Eccleſiaſtica geſta teſtantur, quæ in meis habentur opuſculis. Vbi non inueniens quid reſponderet, totum ſermonem meum, quem de ſolis Maximianiſtis, in auribus eius, & omnium qui aderant explicui, tamquam mutus audiuit. *l. 2. Retract. cap.* 51.

Exſtant ipſa Acta integra, conſignata Honorio XII. & Theodoſio VIII. AA. Coſſ. XII. Kalend. Octobris, ætatis Auguſtini ſexageſimo tertio: eo vtique fine conſcripta, vt cum Actis Carthaginenſis Collationis coniungerentur.

Meminit rei eiuſdem Poſſidius qui interfuit, dum ait: Poſtea in Cæſarienſi Mauritaniæ Ciuitate conſtitutus venerabilis memoriæ " Auguſtinus: quò eum venire cum aliis eius coëpiſcopis, Sedis Apo- " ſtolicæ litteræ compulerant, ob terminandas videlicet aliquas Eccle- " ſiæ neceſſitates. Hac ergo occaſione prouenit, vt Emeritum, eiuſdem " loci Donatiſtarum Epiſcopum, quem ſuæ ſectæ præcipuum in illa " Collatione habuerant defenſorem, videret: & cum eodem publicè " in Eccleſia, populo adſtante diuerſæ communionis, ex hoc ipſo diſpu- " taret, & prouocaret Geſtis Eccleſiaſticis: vt quod fortè, ſicut dicebat, " proſequi potuit in Collatione, ſed permiſſus non fuerat; in præſenti, " ſine alicuius poteſtatis prohibitione aut potentiâ, ſecurus dicere mi- " nimè dubitaret: & in ſua ciuitate, ſuis omnibus præſentibus ciuibus, " fiducialiter propriam defendere communionem non denegaret. "

Iſte nec hac hortatione, nec ſuorum parentum & ciuium inſtanti " petitione, id facere voluit: qui ei pollicebantur ſe ad eius redituros " communionem, etiam cum diſcrimine patrimoniorum ſalutiſque " ſuæ temporalis, ſi modò Catholicam ſuperaret aſſertionem. At ille " amplius dicere illis geſtis nihil voluit, nec valuit, niſi tantum, Iam " illa inquit geſta continent, apud Carthaginem inter Epiſcopos con- " fecta, vtrum vicerimus an conuicti fuerimus. Et dum à Notario, alio " loco vt reſponderet admoneretur, & reticeret; eius cunctis manife- " ſtatâ diffidentiâ, Eccleſiæ Dei augmenta ac firmamenta prouene- " runt. *Poſſid. c.* 14.

Paria ſunt quæ Auguſtinus ipſemet refert, agens contra Gaudentium, concilij quoque Donatiſtici ſeptemvirum: quibus apertiſſimè conuincit huius generis hominum vanitatem, qui cum poteſtate vetitos ſe dicerent in Collatione Carthaginenſi cauſſæ ſuæ merita pro-

ferre; nunc domi, & apud cineres patrios, vbi abſque vllius metu regnabant, interrogati & preſſi ad reſpondendum, ſiue loquendum, muti equidem magis quam piſces deſederunt.

Quia autem rem prout geſta eſt, explicatiùs ob oculos ponunt; non grauabor ipſa Auguſtini verba proferre. Venit, inquit, Emeritus Cæſaream, illic poſitis ac præſentibus nobis. Venit autem non apprehenſus cuiuſquam ſagacitate: non adductus alterius poteſtate: ſed excitatus propriâ voluntate videre nos voluit. Vidimus eum: ad Eccleſiam Catholicam pariter venimus: adfuit maxima multitudo: nihil pro ſua, ſeu veſtra defenſione, dicere potuit: communicare noluit: dilatus perſeuerauit: conuictus obmutuit: illæſus abceſſit.

Quid fieri potuit pro noſtra manſuetudine lenius? quid pro veritate Catholica inuictius? quid pro veſtra, ſi ſapitis, correctione ſalubrius? Cum enim ſponte ad nos, niſi pro vobis contra nos dicturus aliquid, conueniſſet; profectò dixiſſet, ſi quod diceret inueniſſet. *Poſt pauca*: Nunc verò, quandoquidem vltrò venit; quòd tacuit, non linguâ, ſed cauſsâ defecit. *l. 1. cont. Gaudent. c.14.*

§. II.

Emeritus conuictus, ne μὺ dixit.

EMERITVS hic ab infantiâ ſacris imbutus Donatiſticis, Catholicus numquam fuerat: auctorque extitit ſententiæ contra Maximianiſtas in Concilio Bagaienſi latæ, quam ipſemet dictauerat: *l. de Geſt. cum Emer.* tam exquiſitâ phraſi; vt per eam ſe Auguſtinus, (cuius Creſconius eloquentiam criminatus fuerat) expurget his verbis: Ecce eloquentia, quam vituperaſti, quam velut ſeditioſam, & Græco etiam nomine malitioſè artificioſam, deteſtandam, vitandamque monuiſti, tantùm permulſit tot Epiſcopos tuos; vt in plenario Concilio ſuo nollet ſuam quiſque proferre ſententiam, ſed vnam, quæ ab vno dici diſertiùs ornatiuſq; potuit, eam cuncti facerent ſuam. Liceat igitur nobis ſine inuidia, non vſquequaque impolitè contra errores hominum diſputare: ſi licuit tot ac tantis Epiſcopis veſtris, ipſos homines tam diſertè ornatèque damnare: *l. 4. cont. Creſcon.*

Creſcon. c.2. Nihilominus hic iam Emeritus, ſuadæ olim medulla, quiquè totâ Collatione non eloquentem tantùm ſed inſigniter loquacem ſe oſtenderat; ab Auguſtino inuitatùs ad amicam & priuatam Collationem, atque id in Vrbe ſuâ cui Epiſcopus præerat; veluti linguâ captus, emarcuit: Emeritus, inquam, inimicus, & mutus fuit.

Nam tametſi fama eum, ad Vnitatem rediiſſe vulgauerat; obſtinatus tamen in hæreſi & ſchiſmate permanſit: Donatiſtarum Cæſareæ Epiſcopus, vbi tum Catholicam Eccleſiam Deuterius, Emerito genere ſociatus, gubernabat. *l. 1. cont. Gaud. cap.* 14. *& libro de geſt. cum Emer.*

Cum verò fateatur Auguſtinus, hoc circiter tempore librum à ſe ſcriptum ad Bonifacium Comitem, De Correctione Donatiſtarum, propter eos qui nolebant illos legibus Imperialibus corrigi; l. 2. *Retract. cap.* 48. *& Epiſt.* 50. fieri poteſt, vt aliqua ſcripti occaſio fuerit tam ſupina Donatiſtarum vanitas & pertinacia.

§. III.

Auguſtinus variis infirmitatibus prohibitus longinqua ſubire itinera.

HOc iter in Mauritaniam ſicuti Auguſtinus, imponente Zozymo, alacriter ingreſſus eſt, qui neque quampluribus Conciliis in Africa habitis præſentiam ſuam ſubduxit: ita eum non indeuotio mentis, ſed minùs idonea valetudo corporis aliàs excuſauit, à ſubeundis marinis & tranſmarinis laboribus; quos neceſſaria ſeruitus ſanctos eius collegas ſæpe compulit in legationibus ex Synodis ſuſtinere. *Epiſt.* 138. Neque enim infirmitas ipſius ſufficiebat omnibus curis, quas ab eo exigebant membra Chriſti: quibus ſeruire Dei timor & charitas eum cogebant. *ead. Epiſt.* Atque hinc infirmitate corporis ſe pridem ſenuiſſe, iam tum per ætatem ſenex pronuntiauit. *ſerm*, 49. *de diuerſ. c.* 4. *in fine.*

Nimirum Rhagadis, vel Exochadis dolore & tumore, cùm nec ambulare, nec ſtare, nec ſedere poſſet, lecto aliquando decubuit.

Epiſt. 149. quod contigiſſe apparet, aliquot annis ante quinquageſimũ ætatis ipſius: quandoquidem eâ Epiſtolâ de Megalij, ſenis ſiue Primatis Numidiæ, morte, Profuturum certiorem reddat: quem oportebat ante annum quadringenteſimum ſecundum obiiſſe, quo Numidarum Epiſcoporum Synodo Mileuij Xantippus præſedit, per id tempus ſenex ſiue Primas, ſi credimus Baronio.

Exſtat ad eumdem Xantippum, in cauſſâ Abundantij Presbyteri, ſcripta Auguſtini Epiſtola: quam exiſtimari poteſt eodem adhuc morbo languens dediſſe. *Epiſt.* 236. Sunt verò Rhagades, vt Medici docent, exigua quædam, ſed oblonga circa anum vlcera, ex acri humore, ſicco & ſalſo, quæ calore ſuo, tametſi citra inflammationem, ſphincteris rimas aperiunt ac findunt. *Pigræus l.* 5. *c.* 12.

Eodem, vel alio morbi genere laboranti, medicamentum Darius Comes tranſmiſit: *Epiſt.* 263. febris verò, quâ grauiter laborauerat, meminit *Epiſt.* 56. in fine: denique aut languoris alicuius ex morbo, aut infirmitatis nouæ ex annorum acceſſione, Epiſtolâ 217. & 251. ſed mente atque animo continenter ſanus.

§. IV.

Pelagiani Auguſtinum traducunt. Eâ occaſione ſcribit De Nuptiis & concupiſcentiâ librum primum.

DAmnatis Pelagianis non Eccleſiæ tantum, verumetiam Imperij cenſurâ: cùm præter iniuſtas querimonias, & futiles cauillos nihilum reſtaret; accepit Auguſtinus, eos neſcio quid ſcripſiſſe de ſe Valerio Comiti viro illuſtri: quòd ſcilicet aſſerendo peccatum Originale, nuptias damnaret. Id inde conficiebant, quòd diceret eos qui de tali commixtione naſcuntur, trahere Originale peccatum, de quo Apoſtolus ait, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt*; adeoque eos, de qualibuſcumque parentibus naſcantur, non negaret adhuc eſſe ſub Diabolo, niſi renaſcantur in Chriſto: & per eius gratiam, de poteſtate eruti tenebrarum, in regnum illius, qui

ex

ex eâdem ſexus vtriuſque commixtione naſci noluit, transferantur. *l. 2. Retract. c. 53. & l. 1. de nupt. & concupiſc. c. 1.*

Et quamuis litteras eiuſmodi ad ſe conſcriptas, robuſtiſſimâ fide Valerius Comes irriſiſſet; attamen quia bonum eſt vt nouerint Antiſtites defendere quod credunt: (iuxta Apoſtolum Petrum, qui paratos eos eſſe præcipit ad ſatisfactionem, omni poſcenti rationem de fide & ſpe) præſertim cùm idem Valerius ſicuti obſeruantiſſimus erat pudicitiæ coniugalis, ita profanis hæreticorum nouitatibus, quibus alij reſiſtunt diſputando, ipſe poteſtate curando & inſtando, efficaciter reſiſteret; compulſus eſt Auguſtinus, aliquo volumine cum Valerio habere ſermonem: quo oſtenderet carnalis concupiſcentiæ malum, propter quod homo, qui per illam naſcitur, trahit originale peccatũ, diſcernendum eſſe à bonitate nuptiarum. Haud alioquin ſolitus, vt de ſe ipſe teſtatur, cuiquã illuſtri viro, & tantâ quantâ erat ipſe Valerius ſublimitate conſpicuo (præſertim non otioſâ dignitate iam fruenti, ſed adhuc actibus publicis eiſdemque militaribus occupato) aliquid ſuorum opuſculorum legendum haud à ſe petenti, non tam diligenter, quàm impudenter impingere. *l. 1. de Nupt. & Concup. c. 1. & 2.*

Scripſit igitur ad Valerium Comitem, librum in primis vnum, cuius eſt titulus; De Nuptiis & Concupiſcentia. bonitatem quippe defendit nuptiarum, ne putaretur earum eſſe vitium concupiſcentia carnis, & lex in membris, repugnans legi mentis: quo malo libidinis, inquit, benè vtitur ad filios procreandos pudicitia coniugalis. *l. 2. Ret. c. 53.*

Quâ deinde occaſione ſecundus Liber acceſſerit, pòſt dicemus. Sed hic primus, ſcriptus apparet hoc anno, puta CCCC. XVIII. quòd hunc librum anno ſequente Iulianus, inter Pelagianos longè acerrimus, adorſus ſit refutare: teſteturque Auguſtinus à ſe conſcriptum, poſt Pelagij Celeſtiique damnationem. *l. 1. ad Bonif. c. 5.*

Ex quibus perinde colligi poteſt, hunc ipſum annum, ſicuti Auguſtino grauis laborum fuit, ita fructuum quoque feracem extitiſſe: adeoque nihil non egiſſe ſanctiſſimùm virum, vt pacem Eccleſiæ cum ſalute omnium procuraret.

§. V.

Iulianus Auguſtinum oppugnat.

Anno 419. PОrrò Iulianus iſte, cuius iam mentionem iniecimus, iuuenis erat acris ingenij: in diuinis Scripturis doctus: Græcâ & Latinâ linguâ Scholaſticus, priuſquam impietatem Pelagij in ſe aperiret. *Gennad. l. de Script. Eccl. c.* 45. *Auguſt. l.* 1. *cont. Iul. c.* 6. Patre Memore ſiue Memorio Epiſcopo natus, qui cum Auguſtino non paruam inierat amicitiam colloquio litterarum, ac filium Iulianum ei cariſſimum fecerat. *l.* 1. *cont. Iul. c.* 4.

Nam cum Memorius pro Iuliano ſuo, per id tempus Diacono, popoſciſſet ab Auguſtino librum ſextum de Rithmo ſiue Muſicâ; Memorio reſcribens Auguſtinus, Iuliani mentionem facit his verbis: Quem quidem non audeo dicere, plus amo quàm te; quia nec veraciter dico: ſed tamen audeo dicere, plus deſidero quàm te. Mirum videri poteſt, quemadmodũ quem pariter amo, ampliùs deſiderem: ſed hoc mihi facit ſpes amplior videndi eum. puto enim quòd ſi ad nos, te iubente vel mittente, venerit; & hoc faciet quod adoleſcentem decet, maximè quia nondum curis maioribus detinetur; & teipſum mihi expeditiùs apportabit. *Epiſt.* 131.

Fuit primùm legitimo matrimonio coniunctus cum Iã virgine, accinente Epithalamium elegantiſſimum Paullino Epiſcopo Nolano, quod in huius operibus legitur Poëmate 14. Hominum deinde Eccleſiaſticorum ordini adſcriptus: *l.* 5. *cont. Iul. c.* 5. & Epiſcopus, *l.* 4. *c* 11. Capuanus, vt vult Gennadius; Eclanenſis, vt Proſper in Chronico ad annum 443. niſi quis alterutrum exiſtimet de patriâ loqui.

Hic Iulianus, librum Auguſtini nactus De Nuptiis & Concupiſcentia; voluit ei ſpecietenus ſaltem videri reſpondiſſe: cùm tamen libris ſuis quatuor (totidem enim repoſuit) ne quartam quidem partem vnici Auguſtini libri tetigiſſet: eoſque ſaltus in prætereundis ipſius diſputationibus feciſſet, quaſi omninò deſperaſſet vtriuſque operis quemquam poſſe eſſe Lectorem, qui iſtud deprehenderet. Illa ipſa deinde pauca, in quibus vix erat (vt dixi) quarta pars voluminis Auguſtini, quæ veluti infirmiora exiſtimans Iulianus, quatuor ſuorum

ſuorum grandiorum voluminum ſtrepitu, quaſi quadrigarum impetu proſternere & conculcare cogitauerat; conſideratione multò plurium ceterorum quæ attingere timuerat, adhuc inconcuſſa permanebant. *l.* 1. *cont. Iul. cap.* 1.

§. VI.

Tumor & arrogantia Iuliani.

TAntâ nihilominus arrogantiâ hanc palæſtram ingreſſus eſt, vt diceret, maioris ſibi eſſe apud Deum gloriæ, deſtitutam veritatem tueri. Ipſis nimirũ Pelagio & Celeſtio, omnium ſectatorum ſuorum ductoribus, ſeſe anteponens: quaſi & illi iam ceſſiſſent, & ſolus remânſerit Iulianus qui deſtitutam tueatur, quam putat, veritatem. *l.* 2. *cont. Iul. c.* 10.

Id confirmare videtur, vbi monomachiam fingens & ſibi vindicans cum Auguſtino, imitatus Virgilium, ait: *Oblato placuit componi fœdere bellum, vt pugnas omnium contentio noſtra dirimeret.* Atqui modeſtiſſimè reſpondit Auguſtinus: Abſit vt mihi apud Catholicos arrogem, quod tibi apud Pelagianos arrogare non pudet. Vnus ſum è multis, qui profanas veſtras nouitates, vt poſſumus, refutamus, ſicut vnicuique noſtrûm Deus partitus eſt menſuram fidei. Antequam eſſem natus huic mundo, & antequam eſſem renatus Deo, multa Catholica lumina veſtras futuras tenebras redarguendo præuenerunt. *l.* 6. *cont. Iul. c.*8.

Adhæc Iulianus, non in hiſce tantummodò quatuor voluminibus, ſed & aliis octo, quæ libro ſecundo de Nuptiis & Concupiſcentia oppoſuit, tot conuitiorum plauſtris Auguſtinum onerauit; vt contra prima quatuor ſcripturus Auguſtinus, non immeritò ordiatur his verbis: Contumelias tuas, & verba maledica, Iuliane, quæ ardens iracundiâ, libris quatuor anhelaſti; ſi me contemnere dixero, mentiar. *l.* 1. *cont. Iul. c.* 1.

Porrò autem Chriſtianum populum propè vniuerſum, quòd eum cerneret paribus ſtudiis & animis Pelagij dogmata execrari, vt ſcoriam Iulianus contemſit: dum eſſe aſſerit de plebeiâ fæce ſellulariorum opificum, qui in ſuam inuidiam eſſent concitati: Milites: Scholaſticos

luſticos auditoriales: nautas: tabernarios: cetarios: coquos: lanios: adoleſcentes ex Monachis diſſolutos: de qualiumcumque Clericorum turbâ. *l.2. cont. Iul. c.10.*

Iam & Zozymum ipſum, Apoſtolicæ Sedis Epiſcopum (qui licet à prædeceſſore ſuo Innocentio non receſſerit; egit tamen primitùs cum Celeſtio leniùs, quoniam ſe dixerat, ſi quid diſpliceret in ſenſibus ſuis, paratum corrigi, & Innocentij litteris præbere aſſenſum) auſus eſt præuaricationis accuſare. *l.6. contra Iul. c.12.*

Eò nimirum collimabat Iuliani intentio, vt, cùm diceret omnia quæ contra Pelagium Celeſtiumque geſta erant, per ſubreptionem geſta eſſe ab eis qui priùs cauſſam odiſſe cœperant, quàm noſſe; ad incudem reuocarentur vniuerſa: nouumque, atque Oecumenicum ſubirent Epiſcorum examen. *l. 2. cont. Iul. c.1. l.3. c.1. l.1. oper. imperf. c.11. l.4. ad Bonif c.12.* Familiaris hæreticis omnibus cupido, quâ ſolent ab aliis ſemper ad alios iudices prouocare, ac tandem ad generale Concilium: neque tamen illius ſtare ſententiâ.

Hoſce quatuor libros Iulianus Turbantio, ſuæ ſectæ per id tempus Epiſcopo, dedicauit: *l. 3 cont. Iul. c. 17.* quem ſic tamen ab eodem errore poſtea liberatum teſtatur Auguſtinus; vt eum proponat Iuliano imitandum. *l.1. op. imp. c.2.*

§. VII.

Binæ Iuliani Epiſtolæ.

PRæter hæc, ſcripſit duas Epiſtolas Iulianus, maledicentiâ rurſus & calumniis non ſolùm in Auguſtinum, ſed orthodoxos omnes Romanamque Eccleſiam, ad exuberantiam plenas: ſicuti videri eſt Libris quatuor ad Bonifacium, quibus ad obiecta Iuliani reſpondet Auguſtinus. Harum alteram, Romam miſit ipſe Iulianus, vt per illam, quos poſſet, ſuos aut inueniret aut faceret: alteram decem & octo velut Epiſcopi participes Pelagiani erroris, non ad quoſlibet, ſed ad loci Epiſcopum, Rufum vocabulo, ſuâ calliditate tentandum & ad ſuas partes, ſi poſſet fieri, traducendum, auſi ſunt Theſſalonicam ſcribere. *l. 1. ad Bonif. c. 1.*

Cum verò initio illius Epiſtolæ fateatur Iulianus, ſe quatuor iam libellis,

libellis, vni Auguſtini (puta De Nuptiis & Concupiſcentia) reſpondiſſe; *l. 2. de nupt. & concup. c. 2. & l. 1. ad Bonif. c. 5.* conſectarium eſt, vt eodem fermè tempore, & quatuor ſuos libros & binas has litteras ediderit, primo circiter anno Bonifacij Papæ, id eſt Chriſti CCCC.XIX.

Deſtinauerat quidem antea duas ad Zozymum Epiſtolas, ſuper quæſtionibus quæ tum agitabantur: ſed iſtæ ſunt ab his diuerſæ. *l. 1. op. imp. c. 19.* Edidit & alia nonnulla, vt Commentarium in Cantica Canticorum, cui libellum de Amore præmiſit: itemque de Bono Conſtantiæ: è quibus aliqua citat & refutat Beda, itidem in Cantica, cathedram peſtilentiæ Pelagianæ, in liberi arbitrij viribus & laudibus, redolentia. Verum hæc nihil ad Auguſtinum.

§. VIII.

Pelagianos Honorius exagitat.

EOdem hoc anno Rauennam, ad Imperatorem Honorium, Alipius profectus eſt: eo fortè fine, vt contra Pelagianos in Africâ ſummam auctoritatem imploraret. Erant ibidem Epiſcopi nonnulli, qui ſiue animi mollitie, ſiue affectu in Pelagij hæreſes, eas vel tacendo aſſerere, vel non oppugnando fouere videbantur: inſuper habitis Conciliorum Africanorum, & Innocentij ac Zozymi decretis.

Apparet eapropter Alipij legatione effectum, vt Monaxio & Plintâ Coſſ. v. Idus Iunias, Rauennæ, Imperatores Honorius & Theodoſius reſcriptum darent ad Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem: quo, vt aiunt, poſt expulſos nuper ab vrbe Româ Pelagium & Celeſtium, recenti ſanctione decernunt, vt ſi quis eos in quacumque Prouinciarum parte latitare non neſciens, aut propellere aut prodere diſtuliſſet; præſcriptæ pœnæ velut particeps ſubiaceret.

Præcipuè tamen, ad Epiſcoporum quorumdam pertinaciam corrigendam, qui prauas Pelagianorum diſputationes tacito conſenſu aſſerunt, vel publicâ oppugnatione non deſtruunt, moneri omnes iubent, hanc definitionem eſſe præfixam: vt quicumque damnationi

ſupramemoratorum ſubſcribere impiâ obſtinatione neglexerint, Epiſcopatûs amiſſione mulctati, interdictâ in perpetuum, expulſi ciuitatibus, communione priuentur. Atque hanc porrò conſtitutionem, Kalendis Auguſti Aurelius eodem hoc anno promulgauit.

Alipius Rauennâ, vbi Comitem Valerium conuenerat, Romam adductus: & paruulo licet tempore, magno tamen affectu Bonifacio Papæ conuiuens (à quo exceptus benigniſſimè ac ſinceriſſimè fuerat) mutua cum eo miſcuit dictante dilectione colloquia. Inter quæ cum haud perfunctoriè mentio Auguſtini facta eſſet, Bonifacius demum Iuliani, quas ſuprà diximus, litteras Alipio tradidit, Auguſtino ad refutandum perſerendas, quòd eius nomen in illis calumnioſè atque euidenter eſſet expreſſum. *l. 1. ad Bonif. c. 1.*

§. IX.

Librum ſecundum de Nuptiis & Concupiſcentia Auguſtinus ſcribit.

NOndum Alipius Româ diſceſſerat, cùm ecce Valerius chartulam illi Rauennâ miſit, prænotatam hoc titulo: *Capitula de Libro Auguſtini quem ſcripſit: contra quæ de Libris pauca decerpſi. Libro 2. de nupt. & concupiſc. c. 2.* Vbi Libri Auguſtini ſunt ij, quos De Nuptiis & Concupiſcentiâ ſcripſerat; ij verò, ex quibus ille qui hoc ſcriptum ad Valerium direxit pauca decerpſerat, Libri ſunt quatuor Iuliani, de quibus iam egimus.

Voluerat nimirum hic decerptor, vnicâ demtâ litterâ fieri deceptor: & obnubilatis, ſi poſſet, Auguſtini rationibus, Valerium in partes Pelagianas pellicere.

Sed Valerius non armis quàm fide Catholicâ fortior, decerptorem deceptoremque aſtu meliore eluſit: chartulamque Alipio Romam miſit, per eum porrò Auguſtino tranſmittendā: quam deinde Alipius, ex legatione redux in Africam, vnà cum litteris Valerij, quibus Auguſtino gratias agebat ſuper libro ad ſe ſcripto, porrexit. *eod. l. c. 1. & 2.*

Auguſtinus verò hanc chartulam intuens, conferenſque cum litteris Iuliani quas Bonifacius Papa miſerat, in quarum vnis Iulianus fateba-

fatebatur ſe quatuor iam libellis, Auguſtini libro reſpondiſſe; id demùm non vanâ coniecturâ aſſecutus eſt, ex iis libellis iſta eſſe decerpta: ideoque meliùs fortaſſe facturum ſe, ſi vniuerſo operi Iuliani, quod quatuor voluminibus explicuit, redarguendo & refellendo laboraret: niſi ſatiùs exiſtimaſſet haud differre reſponſionem, ſicuti neque tranſmiſſionem ſcriptorum Valerius diſtulerat. *eod. l. c. 2.*

Alterum itaque Librum De Nuptiis & Concupiſcentia Auguſtinus adiunxit: quo à Iuliani calumniis, citatis ad fidem decerptoris, vindicanda ſuſcepit quæ primo volumine dixerat. Quàm verò exinde occaſionem Iulianus arripuerit, totam ſuam bilem fœdè euomendi in Auguſtinum; infrà ſuo loco dicemus commodiùs.

§. X.

Epiſtola Auguſtini ad Heſychium.

EIſdem quos diximus Coſſ. Monaxio nimirum & Plintâ, multæ Palæſtinæ ciuitates, villæque, terræ motu collapſæ ſunt. Ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuper montem Olиueti, Hieroſolymæ vicinum, in nube apparuit. Quamobrem multæ vtriuſque ſexûs vicinarum gentium nationes, tam viſu quàm auditu perterritæ, in Chriſtum credentes, ſacro baptiſmatis fonte ablutæ ſunt: inque omnium baptizatorum tunicis Crux Chriſti Saluatoris, diuinitatis nutu extemplò preſſa, refulſit: vt teſtatur Marcellinus in Chronico, & adſtipulatur Idatius.

Hoc oſtento, ſermones omnium ad diem Iudicij conuerſi ſunt: eò magis, quòd cogitantibus facilè occurreret quod Lucas prodidit de Chriſto aſcendente in cælum, & à nube ſublato ex oculis ſpectantium, in monte Olиueti: *Quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum, ita veniet.*

Inter hos Heſychius Epiſcopus occaſionem conſulendi, vt apparet, Auguſtini accepit, ſuper vltimâ mundi die: quæ, cùm præceſſiſſent vt ait tot ſigna, iam videretur inſtare. *Epiſt.* 78.

Auguſtinus prolixâ admodum Epiſtolâ, ſcriptâ eodem hoc anno, (vt inde colligitur, quòd à Natiuitate Domini computari tum dicat Annos fermè quadringentos viginti: à Reſurrectione autem vel

Aſcenſione, plus minus trecentos nonaginta) quamquam etiam agat de nouiſſimæ diei tempore; nihilominus curioſum nimis harum rerum exploratorem redarguit: contrà oſtendens ex ſignis, diem illum haud poſſe inſtare, quandoquidem longè abſit, vt prædicatum ſit in vniuerſo orbe Euangelium regni: quod futurum ante conſummationem ſæculi, Dominus ipſe prædixit.

Sunt enim apud nos, inquit, in Africa innumerabiles gentes, in quibus nondum eſſe prædicatum Euangelium, ex iis qui dicuntur inde captiui & Romanorum ſeruitiis iam miſcentur, quotidie nobis addiſcere in promtu eſt. Pauci tamen anni ſunt, ex quo quidam eorum rariſſimi atque pauciſſimi, qui pacati Romanis finibus adhærent, ita vt non habeant reges ſuos, ſed ſuper eos Præfecti à Romano conſtituantur imperio; & illi, & ipſi eorum præfecti, Chriſtiani eſſe cœperunt. Interiores autem, qui ſub nulla ſunt poteſtate Romanâ, prorſus nec religione Chriſtianâ in ſuorum aliquibus detinentur: neque vllo modo rectè dici poteſt, iſtos ad promiſſionem Dei non pertinere, &c. *Epiſt.* 80.

Vt pertineant autem (non eis ſufficere) quod Pelagiani docebant, Legis naturæ cordibus omnium inſcriptæ obſeruantiam, abſque fide in Chriſtum; clariſſimè docet, vbi ait: Sed dico, Numquid non audierunt? *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sed antequam hoc inciperet fieri, antequam denique vſque ad fines totius orbis terræ prædicatio ipſa perueniat, quoniam non deſunt adhuc vltimæ gentes, licet vt perhibetur pauciſſimæ, quibus hoc nondum fuerit prædicatum; quid faciet humana natura, vel quid fecit, quæ vel ante non audierat hoc futurum, vel adhuc non comperit factum; niſi credendo in Deum qui fecit cælum & terram, à quo & ſe factam naturaliter ſentit, & rectè viuendo eius impleat voluntatem, nullâ fide Paſſionis Chriſti & reſurrectionis imbuta?

Quod ſi fieri potuit aut poteſt; hoc & ego dico, quod de Lege dixit Apoſtolus: *Ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* Si enim hoc ille dixit de Lege naturæ, quam accepit gens vna Iudæorum; quantò iuſtius dicitur de lege naturæ, quam accepit vniuerſum genus humanum; Si per naturam iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt? Si autem non gratis Chriſtus mortuus eſt; ergo omnis humana natura iuſtificari & redimi ab irâ Dei iuſtiſſimâ, hoc eſt vindicta, nullo modo poteſt, niſi per fidem & ſacramentum ſanguinis Chriſti. *l.* 1. *de Nat. & grat. c.* 2.

§. XI.

§. XI.

Liber Auguſtini De Curâ pro mortuis.

DE curâ pro mortuis gerendâ ſcripſit, cùm fuiſſet interrogatus per litteras, Vtrum proſit cuique poſt mortem, quod corpus eius apud Sancti alicuius memoriam ſepeliatur? *l. 2. Retract. cap. 64.* Fuerat is interrogator Paullinus Epiſcopus Nolanus, occaſione Cynegij Floræ filij: quem defunctum Mater vidua, materno pioque affectu, deſiderauerat in beatiſſimi Felicis Confeſſoris baſilicâ ſepeliri. *l. de cur. ger. pro mort. c. 1.*

Quod autem cadauerum ſepulturam attinet; ea repetit quæ ſcripſerat contra Paganos, *l. 1. de Ciuit. Dei c. 12.* qui de cadaueribus Chriſtianorum, in excidio Vrbis Romanæ per Alaricum inſepultis, veluti non eis ſubueniſſet Chriſtus!, Chriſtianis inſultabant. Iſtud nimirum piam fidem non nimium reformidare, quando prædictum tenet, nihilùm obeſſe beſtias etiam reſurrecturis corporibus, quorum capillus capitis non peribit. *l. de cur. pro mort. c. 2.* Locum verò, qui ſepeliendo cadaueri deligitur; reſpondet, per ſe quidem defuncto minimè prodeſſe, ſed ſolatium aliquod facere viuentibus: niſi ad hoc, vt, dum recolunt vbi ſint poſita eorum quos diligunt corpora, ſanctis illos tamquam patronis, ſuſceptos apud Dominum adiuuandos orando commendent. *eod. l. c. 4.*

Cùm ergo fidelis mater, filij fidelis defuncti corpus deſiderauit in Baſilicam Martyris poni; ſi quidem credidit eius animam meritis Martyris adiuuari; hoc quod ita credidit, ſupplicatio quædam fuit, & hæc profuit, ſi quid profuit. Et quod ad idem ſepulchrum recurrit animo, & filium precibus magis magiſque commendat; adiuuat defuncti ſpiritum: non mortui corporis locus; ſed ex loci memoriâ viuus matris affectus. *eod. l. c. 5.*

§. XII.

Doctrina Auguſtini de Sacramento Euchariſtiæ: Sacrificio: Altari, &c.

IN Libro iam memorato De Curâ pro mortuis, Capite 1. clarè meminit Auguſtinus commẽdationis mortuorum, quam ſolet Eccleſia facere in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius Altare funduntur. Sed & alibi mentionem facit Miſſæ Sacrificij non obſcurè: *l. 16. de Ciuit. Dei c.* 22. imò & materiæ ipſius, Panis nimirum & Vini, *l. 20. cont. Fauſt. c.* 13. ob quæ exiſtimabant olim nonnulli, Chriſtianos Cererem & Liberum colere.

Porrò memoriam Sacrificij, & Victimæ quam Chriſtus obtulit, celebrare nunc Chriſtianos ait, ſacroſanctâ oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Chriſti: quam vtique nuncupat Sacrificium Chriſtianorum. *eod. l. c.* 18.

Et alibi: Corpus & Sanguinem Chriſti dicimus, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſticâ conſecratum, ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritalem, in memoriam Dominicæ Paſſionis. *l.* 3. *de Trinit. c.* 4. *vide etiam l.* 20. *cont. Fauſt. c.* 13.

Eſſe autem Sacrificium iſtud propitiatorium defunctis; hiſce verbis exprimit nimis quàm luculentè: Cum ergo ſacrificia ſiue Altaris, ſiue quarumcumque Eleëmoſynarum, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur; pro valde bonis gratiarum actiones ſunt: pro non valde malis, propitiationes ſunt: pro valdè malis, etſi nulla ſint adiumenta mortuorum, qualeſcumque viuorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt; aut ad hoc proſunt vt ſit plena remiſſio, aut certè tolerabilior fiat ipſa damnatio. *l. Enchirid. c.* 110.

Quapropter pro filio Presbyteri Armeni Melonitani (qui Euodio à manibus fuerat) anno vigeſimo & ſecundo ætatis corpore ſoluto, exſequias ſe præbuiſſe ſatis honorabiles & dignas tantæ animæ (Nam per triduum, inquit, hymnis Dominum collaudauimus ſuper ſepulchrum ipſius, & redemptionis Sacramenta tertio die obtulimus) Euodius ipſe teſtis eſt, *Epiſt.* 258. Similiter ſublato ex humanis Auguſtino,

guſtino, pro eius commendandâ corporis depoſitione Sacrificium Deo oblatum eſſe ſe præſente, ſcribit Poſſidius, *cap.* 31. vti nimirum factum olim fuerat, in beatæ Monicæ ſepulturâ. *libro* 9. *Conf. cap.* 12.

Iam verò cùm Corpus ipſum & Sanguinem Domini, Auguſtinus, vnicum ait eſſe Sacrificium pro ſalute noſtrâ, *l.* 1. *cont. Creſcon. c.* 25. ſatis inſinuat propitiari quoque viuis. Hinc etiam tum ſolebant offerri pro impetrandis iis rebus, quibus humana nonnumquam neceſſitas indiget. Cuius rei alibi adducit exemplum: Vir, inquit, Tribunitius Heſperius qui apud nos eſt, habet in territorio Fuſſalenſi fundum Zubedi appellatum: vbi cùm afflictione animalium & ſeruorum ſuorum, domum ſuam ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet; rogauit noſtros me abſente Presbyteros, vt aliquis illorum eò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus: obtulit ibi ſacrificium Corporis Chriſti, orans quantum potuit vt ceſſaret illa vexatio: Deoque protenus miſerante ceſſauit. *l.* 22. *de Ciuit. Dei c.* 8.

Quæ autem requiratur ſuſcepturo Corpus & Sanguinem Domini, tum animi tum corporis diſpoſitio; docet his verbis: Quam multi de Altari accipiunt, & moriuntur: & accipiendo moriuntur! Vnde dicit Apoſtolus, *Iudicium ſibi manducat & bibit.* Nonne buccella Dominica venenum fuit Iudæ? & tamen accepit: & cùm accepit, in eum inimicus intrauit: non quia malum accepit; ſed quia bonum malè malus accipit. Videte ergo, fratres: Panem cæleſtem ſpiritaliter manducate: innocentiam ad Altare apportate. Peccata etſi ſunt quotidiana, vel non ſunt mortifera; antequam ad Altare accedatis, attendite quòd dicatis, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, &c. *Tract.* 26. *in Io.* Et alibi:

Liquidò apparet, quando primùm acceperunt diſcipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepiſſe ieiunos. Numquid tamen propterea calumniandum eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quòd à ieiunis ſemper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani priùs Dominicum Corpus intraret, quàm ceteri cibi. Nam ideo per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur, &c. *Epiſt.* 118. *c.* 6.

Quod denique eiuſdem Sacramenti vſum ſpectat; quoniam iam tum Auguſtini ætate quibuſdam videretur, non quotidie accipiendam

dam

dam Euchariſtiam, alij verò contra ſentirent: Faciat, inquit, vnuſquiſque quod ſecundùm fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum exhonorat Corpus & Sanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere, & ille honorando non audet vllo die prætermittere. *eâd. Epiſt. c.3.*

Iam & ex Liturgiâ ſui temporis recitat ſubinde nonnulla, quæ etiamnum in eâ continentur. De Sacrificio enim Chriſtianorum agens: Noſti, inquit, in quo Sacrificio dicatur, Gratias agamus Domino Deo noſtro. *Epiſt.* 57. & alibi ſæpiùs. *l. de Dono perſeu. cap.* 13. *l. de bono Viduit. c.* 16. *Epiſt.* 156. *ſerm.* 29. *de verb. Dom. l.* 10. *de Ciuit. Dei c.* 4. *& l.* 14. *c.* 13. *&c.* Videri de eadem re Cyprian. poteſt l. de Orat. Dom. poſt, Sed libera nos à malo: & ad eum Pamelij notæ.

Porrò Altare, in quo Sacrificium offerri ſolet, de conſuetudine Græca fuiſſe appellatum MENSAM *ex ſerm.*113. *de diuerſ.* palàm eſt, dum ait: Sicut noſtis quicumque Carthaginem noſtis, in eodem loco vbi propter nomen Chriſti ſanguis fuſus eſt Cypriani, menſa Dei conſtructa eſt. Tamen menſa dicitur Cypriani. Non quia ibi eſt vnquam Cyprianus epulatus, ſed quia ibi eſt immolatus, & quia ipſa immolatione ſuâ parauit hanc menſam: non in qua paſcat ſiue paſcatur; ſed in qua Sacrificium Deo, cui & ipſe oblatus eſt, offeratur. *Hæc ibi,* Ad quam perinde menſam S. Cypriani, habiti ſunt ſermones 94. *&* 137. *de Temp. nec non Tract. in Pſalm.*38.

§. XIII.

Liber de Octo Dulcitij quæſtionibus.

SEquitur de Octo Dulcitij quæſtionibus. quem librum hoc anno ſcriptum eſſe patet ex eo, quòd poſt editum librum de Cura pro mortuis gerenda (quem tum nuper ſcripſerat, vt ait quæſt.3. ad Dulcitium) Dominicus Paſchæ fuerit tertio Kalendas Aprilis: id autem hoc anno eueniſſe, conſtet ex computo Paſchali. Nam cum circa eam ſolemnitatem, Dulcitij litteras, à Carthagine

gine miſſas, accepiſſet; paulloque pòſt Carthaginem ipſe eſſet profe-ctus: adeò vt ciuitate Hipponenſi totis tribus menſibus abſuerit, occaſione fortaſſis Legationis in Mauritaniam: eò demum reductus, id eſt quarto menſe poſt Paſcha, Dulcitio reſcribere non diſtulit, & abs illo miſſis quæſtionibus, quas iam per diuerſa ſua opuſcula pertractauerat, ex eiſdem reddere vel ſolutionem, vel certè diſceptationem nouam. *Præfat. l. ad Dulcit.*

Ob hanc enim ſolam cauſſam, quòd videlicet aliquid diſputationis nouæ, quæ tunc pòtuit occurrere, huic libro ſit interpoſitum, annumerauit illum inter alios à ſe confectos: omittendum alioquin, veluti fabricatum ex iis, quæ iam erant antea conſcripta. *l. 2. Retract. c. 65.*

Sitnè autem Dulcitius hic idem cum eo, qui iuſſionum Imperialium contra Donatiſtas executor Marcellino ſucceſſit, an alius ab eo; ſuprà diximus. quamquam haud exiſtimem fratre ſuo Laurentio, vrbis Romæ Primicerio (ad quem datus eſt Liber Enchiridij, *q. 1. ad Dulcit.*). ſiue pietate, ſiue doctrinâ inferiorem fuiſſe.

Finis Libri Tertij.

VITÆ
DIVI AVRELII
AVGVSTINI
LIBER QVARTVS.

S*Ic in acie contra hæreticos continenter poſitus Auguſtinus; meritò dubitari poteſt, vtrùm aliquod otium reperire potuerit, cuius tranquillitate, intricatum magnopere animum ad alias exercitationes, horis ſaltem ſubceſiuis transferret. Feciſſe tamen, neque vllum temporis momentum ſtudiis deperire paſſum; tum quæ mox fine præteriti libri retulimus, tum quæ dicturi ſumus, affatim oſtendunt.*

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

AVGVSTINVS COMMVNIS OMNIVM MAGISTER, ET IN DVBIIS PERFVGIVM.

§. I.

Enchiridium de Fide, Spe & Charitate, ad Laurentium Vrbis Romæ Primicerium.

ROgauerat Laurentius, (cuius ſuprà meminimus) per litteras, vt aliquod haberet Auguſtini opuſculum, de ſuis manibus non receſſurum: quod genus Græci Enchiridion vocant. *l.* 2. *Retract. cap.* 63.

Huius poſtulatis Auguſtinus obtemperans, ſcripſit Librum de Fide, Spe & Charitate. Vis enim tibi, inquit, librum à me fieri quem Enchiridion habeas, & de tuis manibus non recedat: continens poſtulata, id eſt, quid ſequendum maximè, quid propter diuerſas principaliter hæreſes ſit fugiendum: quid primum, quid vltimum teneatur: quod certum propriumque fidei Catholicæ fundamentum. Hæc autem quæ requiris proculdubio ſcies, diligenter ſciendo, Quid credi, quid ſperari debeat, quid amari, &c. *Enchirid. ad Laurent. cap.* 4.

Ante duo proxima opuſcula, aut hæc inter editum fuiſſe Enchiridium, iam indicauimus: ſed meritò putamus diſquiri poſſe, vtrùm Laurentius hic, ſit is, qui diſputationis Auguſtini cum Paſcentio Ariano, ſiue iudex, ſiue Arbiter ſedit? *Epiſt.* 178. In re dubia, nihil pronuntiamus.

Eo interim Libro Catholicum dogma, de infirmitate liberi arbitrij ad faciendum bonum abſque adiutorio gratiæ, enucleatè tradit: *cap.* 30. ipſamque fidem à Deo eſſe: *c.* 31. denique & bonam ad cre-

dendum & agendum voluntatem: *c.* 32. totidem locis, hydræ Pelagianæ totidem ſecans capita. Nam ſi nullus Chriſtianus dicere audebit, Non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſimè contradicat; reſtat vt propterea rectè dictum intelligatur, ***non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei***, vt totum Deo detur: qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia: quæ autem non præcedit ipſa, in eis eſt & ipſa, &c. *Enchirid. c.* 32.

Omninò autem granditer & euidenter in Ieſu Chriſto Domino noſtrò, Dei gratia commendatur. Quid enim, inquit, natura humana in homine Chriſto meruit, vt in vnitatem perſonæ vnici filij Dei ſingulariter eſſet aſſumta? Quæ bona voluntas: cuius boni propoſiti ſtudium: quæ bona opera præceſſere, quibus mereretur iſte homo, vt vna fieret perſona cum Deo? Numquid antea fuit homo, & hoc ei ſingulare beneficium præſtitum eſt, vt ſingulariter promereretur Deum? Nempè ex quò homo eſſe cœpit; non aliud cœpit eſſe homo quàm Dei filius, & hoc vnicus: & propter Deum Verbum, quod illo ſuſcepto Caro factum eſt; vtique Deus: vt quemadmodum eſt vna perſona quilibet homo, anima ſcilicet rationalis & caro; ita ſit Chriſtus vna perſona, Verbum & homo. Vnde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis, ſine dubitatione gratuita; niſi quia magna hic & ſola Dei gratia, fideliter & ſobriè conſiderantibus, euidenter oſtenditur: vt intelligant homines per eandem gratiam ſe iuſtificari à peccatis, per quam factum eſt vt homo Chriſtus nullum habere poſſet peccatum? *l. Enchir. c.* 36. Quod idem argumentum ponderat & tractat. *l. de Corrept. & grat. c.* 11. *& l. de Prædeſt. Sanctor. c.* 15. *& l. de Don. Perſeu. c.* 24. *& l.* 13. *de Trinit. c.* 17.

Quibus perinde verbis Neſtorianam hæreſin, priuſquam pullulare cœpiſſet, ad viuum reſecuit: vt haud fuerit opus præſente Auguſtino in Epheſina Synodo, qui ſententiam ſuam tam antè pridem pronuntiauerat: præſagus quantam ſecurim Chriſtianæ fidei Pelagiana impietas eſſet inflictura, ſi ſineretur adoleſcere. Sublatâ etenim gratiâ, tolli Chriſtum neceſſe eſt.

§. II.

§. II.

Eiuſdem Libri doctrina cæleſtis Pelagia-niſmum iugulat.

EOdem libro, tametſi non admodum grandi, totam conditæ, lapſæ, redemtæque naturæ œconomiam, quantum ſcire homini fas eſt, complexus videri poteſt: de qua tam conſtanter & categoricè, licet ineffabili ſublimitate ſermocinatur; atque ſi Dei ipſius arcana præſens oculis inſpexiſſet. Et verò inſpexit, in oraculis Scripturarum. Quamobrem docet abſque vlla fluctuatione, Nequaquam dubitari debere, rerum quæ ad nos pertinent bonarum cauſſam, non eſſe niſi bonitatem Dei: malarum verò, ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem: priùs Angeli, hominis poſtea. *l. Enchir. c. 23.*

Etſi autem condito homine, peccatum in ſolo libero arbitrio erat cõſtitutum;non tamen iuſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberũ arbitrium, niſi participatione immutabilis boni, diuinum adiutorium præberetur. Sicut enim mori eſt in hominis poteſtate, cùm velit: (nemo eſt enim qui non ſeipſum, vt nihil aliud dicam, vel non veſcendo poſſit occidere) ad vitam verò tenendam, voluntas non ſatis eſt, ſi adiutoria ſiue alimentorum, ſiue quorumcumque tutaminum deſint: ſic homo in paradiſo ad ſe occidendum relinquendo iuſtitiam, idoneus erat per voluntatem: vt autem ab eo teneretur vita iuſtitiæ, parum erat velle, niſi illum, qui eum fecerat adiuuaret. *lib. Enchir. cap.* 106.

Iam verò libero arbitrio malè vtens homo,& ſe perdidit & ipſum. Sicut enim qui ſe occidit, vtique viuendo ſe occidit; ſed ſe occidendo non viuit, nec ſeipſum poteſt reſuſcitare cùm occiderit: ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amiſſum eſt & liberum arbitrium. A quo enim quis deuictus eſt; huic & ſeruus addictus eſt. Petri certè Apoſtoli eſt iſta ſententia: quæ cùm vera ſit; qualis quæſo poteſt ſerui addicti eſſe libertas, niſi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim ſeruit, qui ſui Domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſeruus eſt. Vnde

ad iuſtè faciendum liber non erit; niſi à peccato liberatus, eſſe iuſtitiæ cœperit ſeruus. Ipſa eſt vera libertas, propter rectè facti licentiam: ſimul & pia ſeruitus, propter præcepti obedientiam. Sed iſta libertas ad benefaciendum, vnde erit illi homini addicto & vendito, niſi redimat ille, cuius illa vox eſt: Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis? *l. Enchirid. c. 30.*

Quod cùm Deus facit, per miſericordiam facit: cùm autem non facit, per iudicium non facit. *l eod. c. 98.* Miſeretur ſcilicet magnâ bonitate, obdurat nullâ iniquitate: vt nec liberatus, de ſuis meritis glorietur; nec damnatus, niſi de ſuis meritis conqueratur. Sola enim Gratia redemtos diſcernit à perditis, quos in vnam perditionis concreuerat maſſam ab origine ducta cauſſa communis. *Enchirid.c.99.*

Deus igitur omnipotens, ſiue per miſericordiam cuius vult miſereatur, ſiue per iudicium quem vult obduret; nec iniquè aliquid facit, nec niſi volens quidquam facit, & omnia quæcumque vult facit. *l. Enchir. c.102.* Ac per hoc cùm audimus, & in ſacris Litteris legimus, quòd velit omnes homines ſaluos fieri: quamuis certum ſit nobis, non omnes homines ſaluos fieri; non tamen ideo debemus omnipotentiſſimæ Dei voluntati aliquid derogare, ſed ita intelligere quod ſcriptum eſt, *Qui vult omnes homines ſaluos fieri*, tamquam diceretur: nullum hominem fieri ſaluum, niſi quem ſaluum fieri ipſe voluerit. Non quod nullus ſit hominum, niſi quem ſaluum fieri velit; ſed quod nullus fiat, niſi quem velit: & ideo ſit rogandus vt velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit.

De orando quippe Deo agebat Apoſtolus, vt hoc diceret. Sic enim intelligimus, id quod in Euangelio ſcriptum eſt: *Qui illuminat omnem hominem:* non quia nullus eſt hominum, qui non illuminetur; ſed quia niſi ab illo nullus illuminatur. Aut certe ſic dictum eſt, *Qui omnes homines vult ſaluos fieri*, non quod nullus hominum eſſet, quem ſaluum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuiſſe pœnitentiam ſi feciſſet: ſed vt omnes homines, omne genus humanum intelligamus, per quaſcumque differentias diſtributum: Reges, priuatos, nobiles, ignobiles, ſublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingenioſos, tardicordes, fatuos, diuites, pauperes, mediocres, mares, feminas, infantes, pueros, adoleſcentes, iuuenes, ſeniores, ſenes: in linguis omnibus, in artibus omnibus, in profeſſionibus omnibus, in volunta-

luntatum & conſcientiarum varietate innumerabili conſtituros, & ſi quid aliud differentiarum eſt in hominibus.

Quid eſt enim eorum, vnde non Deus per Vnigenitum ſuum Dominum noſtrum per omnes gentes ſaluos fieri homines velit, & ideo faciat, quia omnipotens velle inaniter non poteſt quodcumque voluerit? Præceperat enim Apoſtolus, vt oraretur pro ſingulis hominibus, & ſpecialiter addiderat, pro Regibus, & iis qui in ſublimitate ſunt: qui putari poterant, faſtu & ſuperbiâ ſæculari à fidei Chriſtianæ humilitate abhorrere. Proinde dicens, *Hoc enim bonum eſt coram Saluatore noſtro Deo*, id eſt, vt etiam pro talibus oretur; ſtatim vt deſperationem tolleret, addidit: *Qui omnes homines vult ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire*. Hoc quippe Deus bonum iudicauit, vt orationibus humilium dignaretur ſalutem præſtare ſublimium. Quod vtique iam videmus impletum. *l. Enchirid. c.*103.

Quibus dum ſimilia, pluribus aliis locis, conſtantiſſimè tradit: puta *l.* 2. *de pecc. mer. & remiſſ. c.* 18. *Epiſt.* 107. *l.* 4. *cont. Iul. c.* 8. *& l.* 6. *c.* 5. *& l. de Corrept. & grat. c.* 14. *&* 15. *& l. de dono perſ. c.* 11. quid aliud fecit quàm, tum veteris Semipelagianiſmi è Maſſilia, tum hodierni neruos incidere? cuius hic vnus eſt è melioribus, quòd poſt Adami lapſum ſtatuerit Deus vnicuique dare ſufficiens auxilium perueniendi ad ſalutem: idque ideò, quod Apoſtolus perſpicuè dicat, Deus vult omnes homines ſaluos fieri. De Enchiridio iſta ſufficiant.

§. III.

Libri Locutionum Scripturæ Scripturæ.

EDidit & ſeptem Libros Locutionum Scripturæ Sacræ: id eſt, de Moyſi quinque, & vno Ieſu Naue, & altero Iudicum: notatis locutionibus ſingulorum, quæ minùs vſitatæ ſunt linguæ noſtræ, id eſt, Latinæ: quas parum aduertendo, inquit, ſenſum quærunt, qui legunt, diuinorum eloquiorum, cùm ſit locutionis genus: & nonnumquam exſculpunt aliquid, quod à veritate quidem non abhorreat; non tamen id ſenſiſſe auctor à quo ſcriptum eſt inuenitur,

ſed

ſed genere locutionis hoc dixiſſe credibilius apparet. Multa autem, vt idem ait, in Scripturis ſanctis obſcura, cognito locutionis genere dilucefcunt. Propter quod, cognoſcenda ſunt eadem genera locutionum, vbi ſententiæ patent: vt etiam vbi latent, cognitio ipſa ſuccurrat, eaſque intentioni legentis aperiat. *l. 2. Retract. cap. 54.*

Quibus profectò libris oſtendit, quanta ei fuerit Græcæ linguæ ſcientia: cuius ſe tamen perparum aſſecutum fuiſſe, locis aliis ingenuè fatetur, quæ alibi deſignauimus.

§. IV.

Libri Quæſtionum, de ſeptem Libris eiuſdem Scripturæ.

PRodierunt & libri Quæſtionum, de Libris eiſdem diuinis ſeptem: quos ideo appellare ſic voluit, quia ea quæ ibi diſputantur, magis quærenda propoſuit, quàm quæſita diſſoluit. Quamuis multò plura in eis videantur ita pertractata, vt poſſint etiam ſoluta & expoſita non immeritò iudicari. Regnorum quoque Libros, eodem modo tum conſiderare cœperat: ſed non multum progreſſus, in alia quæ magis vrgebant, animum intendit. *libro 2. Retract. cap. 55.*

Quanti ſint faciendi hi libri, non alterius quàm Caſſiodori, vti integerrimi, ita maximè oculati Iudicis, verbis aperiam: Quæſtio„nes, ait, quæ in voluminibus ſacris, arduâ difficultate poterant ape„riri; libris ſeptem, neceſſariâ nimis & ſyllogiſticâ probatione de„clarauit: eniſus Magiſter optimus & veracis ingenij, vt quod ad ſalu„tem animarum conſtat eſſe conceſſum; nequaquam indiſcuſſum mor„tiferâ negligentiâ linqueretur.

„ Scripſit etiam de modis Locutionum, ſeptem alios mirabiles „Libros: vbi & ſchemata ſæcularium Litterarum, & multas alias „locutiones diuinæ Scripturæ proprias, id eſt, quas communis vſus „non haberet, expreſſit: conſiderans ne compoſitionum nouitate re„pertâ, legentis animus nonnullis offenſionibus angeretur: ſimulque

vt

vt illud oſtenderet Magiſter egregius, generales locutiones, hoc eſt « ſchemata Grammaticorum atque Rhetorum, exinde fuiſſe progreſſa: « & aliquid tamen illis peculiariter eſſe derelictum, quod adhuc nemo « Doctorum ſæcularium præualuit imitari. *Caſſiod. l. de diuin. lect. c. 1.* «

Primùm omnium ſatis conſtat, perpetuo ſtudio non eſſe compoſitos hoſce libros: Sed cùm, inquit, Scripturas ſanctas, quæ appellantur Canonicæ, legendo, & cum aliis Codicibus ſecundùm Septuaginta interpretationem conferendo percurreremus; placuit eas quæſtiones quæ in mentem venirent (ſiue breuiter commemorando, vel etiam pertractando tantummodò proponerentur, ſiue etiam qualitercumque tamquam à feſtinantibus ſoluerentur) ſtylo alligare, nè de memoriâ fugerent. *Initio lib. 1. Quæſtion.*

Quo factum eſt vt ſtudioſiùs nonnulla, quæ memoratis libris comprehenſa fuerant, & veluti in tranſitu effuſa; melioribus occurrentibus retractarentur. Nam quantum in illo ſcripti genere emendando momenti habere ſoleat, temporum ſtudiiſque lapſus; facile de ſe quiſque iudicare poteſt, qui operam in eo non ſegniter collocare propoſuit.

§. V.

Scholam Theologicam in Epiſcopeio habuit.

COlliges autem ex hâc Auguſtini legendi ſtudendiǫue ratione (quam & aliàs ſecutum cõſtat ex iis quæ pridem diximus) Scholam Theologicam in domo Epiſcopali, ſiue Clericorum Monaſterio tenuiſſe: in quâ ad erudiendos fideles, regendamǫue Eccleſiam miniſtros idoneos formaret. Hinc tametſi agnoſcere facilè poſſint, quàm ſanæ fidei, Spei & Charitatis Sacerdos in Eccleſia Catholica ipſe fuerit, qui eundem de diuinis ſcribentem legunt; arbitratur nihilominùs Poſſidius, plus ex eo proficere potuiſſe, qui eum & loquentem in Eccleſia præſentes audire & videre potuerunt, & eius præſertim conuerſationem inter homines non ignorauerunt.

Erat non ſolùm eruditus ſcriba in regno cælorum, de theſauro ſuo proferens noua & vetera: & vnus negotiatorum qui inuentam pretioſam margaritam, venditis quæ habebat, comparauit; verumetiam

iam ex iis ad quos ſcriptum eſt, Sic loquimini, & ſic facite. Et de quibus Saluator dicit: Qui fecerit & docuerit ſic homines, hic magnus vocabitur in regno Cælorum. *Poſſ.cap.31.*

Nimirum haud fuit de nihilo, quod tantò ante Poſſidium dixerat „de Auguſtino Alipius: Exſpectationem, ſocij, veſtram, quâ me ad „reſpondendum prouocatis, certiore ſpe mecum ad diſcendum con-„uertite: habemus ducem qui nos in ipſa veritatis arcana, Deo iam „monſtrante, perducat. *l.3. cont.Acad cap.20.* & Licentius:

An Te voce vocem, clari quem Rector olympi
Fontibus infantum præfecit, & abdita iuſsit
Vbertate animi longè ructare fluenta?
Ferto Magiſter opem, ac tu ne deſere vires
Inualidas, mecumq́; ſacras ſubuertere glebas
Incipe: tempus enim, niſi me mortalia fallunt,
Labitur, in ſeniúmque trahit. Tibi noſter Apollo
Corda replet, patrémque ſuum, patrémque Deorum
Conciliat, legemq́; bonam, pacemq́; cruentam
Monſtrat, & abducto velamine ſingula pandit. Epiſt.39.

Ob hæc namq́ue Paullinus poſtea ſcripto ad Licentium, qui per id tempus Romæ agebat cum patre Romaniano, Poëmate Elegiaco, eum hortabatur, vt aulæ militiæq́ue faſtu contemto ad cæleſtis vitæ exercitationem ſe conferret; reducens ante oculos præceptoris Auguſtini & Cognati Alipij, tum recenter ad Epiſcopatum aſſumtorum, exempla, dum ait:

Frater Alipius eſt, Auguſtinusq́; Magiſter,
Sanguinis hic conſors, hic ſator ingenij.
Tanto fratre vales, & præceptore, Licenti,
Et dubitas pennis talibus aſtra ſequi?
Quidquid agas (nam te nec ſperat mundus amicum)
Non daberis terræ debita Chriſto anima.
Tu thalamos licet, & celſos mediteris honores
Nunc; olim Domino reſtituere tuo.
Credo vnum vincent Iuſti duo peccatorem,
Et tua fraterna vota preces abigent.
Ergo redi, quà voce parens, quà ſanguine frater,
Ambo Sacerdotes te remeare iubent. Epiſt. 36

§. VI.

§. VI.

Quos bene volebat inſtructos, cupit ſecum conuiuere.

IAm & ipſe Auguſtinus, quos natalibus indoleque ſuâ dignè cupiebat inſtructos edoctoſque eſſe, deſiderauit ſibi præſentes.

Inter hos & IVLIANVS fuit, Memorij filius, vt patet ex verbis Auguſtini quæ ſuprà adduximus Lib. III. Cap. XXIV. §. V. Qui ſi in Auguſtini diſciplinam datus fuiſſet; aliis eum artibus liberalibus imbuiſſet, atque imbutus fuit: iis videlicet, quibus à ſe imbutum fuiſſe Poſſidium teſtatur Epiſtolâ 131.

Neque enim (vt ibidem inquit) illæ innumerabiles & impiæ fabulæ, quibus vanorum plena ſunt carmina Poëtarum, vllo modo noſtræ conſonant libertati: non Oratorum inflata & expolita mendacia: non denique ipſorum Philoſophorum garrulæ argutiæ, qui vel Deum prorsùs non cognouerunt, vel cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: & dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et immutauerunt gloriam incorrupti Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum atque quadrupedum & ſerpentium: vel qui iſtis ſimulachris non dediti, aut non nimis dediti; coluerunt tamen & ſeruierunt creaturæ potiùs, quàm creatori.

Abſit omninò vt iſtorum vanitates & inſaniæ mendaces, ventoſæ nugæ, ac ſuperbus error, rectè liberales litteræ nominentur, hominum ſcilicet infelicium, qui Dei gratiam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quâ ſolâ liberamur de corpore mortis huius, non cognouerunt, nec in eis ipſis quæ vera ſunt ſenſerunt, &c. *Epiſt.* 131.

Quæ ſi Memorius quemadmodum ab Auguſtino dicebantur excepiſſet, atque in ſuo Iuliano executioni mandaſſet; vno hæretico Tulliano minor fortaſſe fuiſſet omnium turba. Non enim propter aliud, deſideraſſe Auguſtinum præſentiam Iuliani, quàm vt bonum eius ingenium ab amœnitate ſæcularium litterarum, ad ſacras adduceret, propè euidens eſt.

 CON-

CONSENTIVM deinde præclaro virum ingenio, quoniam opuſculis eius delectabatur, non procul poſitum optauit: quo poſſet quædam à ſe edita Auguſtinus tradere legenda: & ea quæ fortè minùs intellexiſſet Conſentius, non difficulter præſens interrogare: ſicque ex mutuo coloquio emendare, quod ipſe Conſentius anteà ſcripſiſſet. *Epiſt.* 222.

Erat & AVDAX, omnigenâ eruditione conſpicuus, qui litterarum cum Auguſtino commercium ideo affectabat, vt ex eis haurire, inquit, poſſet ſapientiæ vniuerſæ theſaurum. *Epiſt.*139. Sed cui reſpondens Auguſtinus, litterarium colloquium excuſauit per Eccleſiaſticas curas ſuas, quibus occupatiſſimus detinebatur: hortaturque ad ea euoluenda quæ iam ediderat: aut ſanè, cùm ab omni munere liber Audax eſſet; ad ſe vtique veniret: ſumturus in præſentia quod popoſcerat, tamdiu atque ei viſum fuiſſet. *Epiſt.*140.

Ex his fuerunt & Monachi ADRVMETINI: inter quos Creſconius, Felix, & alius Felix hallucinabantur, neque rectè de Gratia ſentiebant, vt mox dicemus: turbato quoque ob id, nonnullâ diſſenſione Monaſterio. Ad ſe venientes Auguſtinus tenuit aliquantò diutiùs, vt inſtructiores redirent ad ſuos, aduerſus nouos hæreticos Pelagianos: imò legit & expoſuit, quidquid hactenus fuerat ad repellenda Pelagianæ hæreſeos venena editum ab Eccleſia Catholica. *Epiſt.* 46. *&* 47.

§. VII.

Vincentium Victorem ſibi præſentem optat: eiusq; errores Petro Presbytero detegit.

Anno 420. VINCENTIVS VICTOR, hoc circiter anno, in Mauritaniâ Cæſarienſi inuenerat apud Hiſpanum quemdam Presbyterum Petrum, nonnullum Auguſtini opuſculum, vbi quodam loco (hoc eſt vel libro 2. de Peccatorum meritis, cap. vltimo: vel Epiſtolâ 157. vel 28. aut certè libro 3. de lib. Arbitrio cap. 21.) de Origine Animæ hominum ſingulorum, vtrùm ex illâ vnâ primi hominis, ac deinde ex parentibus propagentur; an, ſicuti illi vni, ſine vlla propagatione ſin-

ſingulæ ſingulis dentur; ſe neſcire Auguſtinus confitebatur: ſcire tamen, Animam non eſſe corpus, ſed ſpiritum. Cùm illico Vincentius contra hæc omnia ad eundem Petrum duos libros ſcripſit. Quos vbi Auguſtino de Cæſaria Renatus Monachus miſiſſet, iis perlectis reſpondens Auguſtinus quatuor Libros reddidit: Vnum ad Renatum Monachum, alterum ad Presbyterum Petrum, & duos ad eundem Vincentium Victorem. In quibus cùm multa neceſſaria diſſerantur; tum de Origine Animarum quæ ſingulis hominibus dantur, cunctationem ſuam defendit, multosq́; errores & prauitates Vincentij oſtendit: *l.2.Retract. c.56.* atque ad extremum, emendationis ipſius cupidus (quod huic noſtro propoſito congruit:) Vtinam, inquit, tua ſcripta tecum legere poſſem: & colloquendo potiùs quàm ſcribendo, quæ ſint emendanda, monſtrarem. Faciliùs hoc negotium perageretur, noſtrâ inter nos ſermocinatione, quàm litteris: quæ ſi ſcribenda eſſet; multis voluminibus indigeret. *l.3.de Orig. Anim.c.14.*

Ceterùm tantâ prudentiâ tantaque lenitate hunc Vincentium tractauit; (quem lectis libris viderat hominem, in ſermone quidem non ſolùm vſque ad ſufficientiam, verumetiam vſque ad redundantiam profluentem: ſed in rebus, de quibus loqui voluit, nondum ſicut oportebat inſtructum; *l.2.de Orig. Animæ c.1.*) vt reſcripta ab eo correctionis acceperit. *l.2. Retract. c.56.*

Quamobrem ſicuti ab errore Vincentium ad ſanam mentem reduxit; ita Petrum Hiſpanum Presbyterum (de quo conſuli Chronicon Dextri poteſt, Anno 424.) ad quem libros ſuos Vincentius miſerat, inſtruendo perſtrinxit: quòd libris iiſdem recitatis adeo lætitiâ exſiliiſſet, vt caput Vincentij, iuuenis & laici, Presbyter oſculatus, didiciſſe ſe quod ignorabat, gratias egerit. Nam licet humilitatem Petri non improbet, imò etiam laudet, quòd honorauerit Doctorem ſuum; nec hominem, ſed ipſam, quæ per illum loqui dignata eſt, veritatem: (ſi tamen demonſtrare potuerit, quid per illum veritatis acceperit.) Vellem, tamen inquit, reſcriptis tuis, quid te docuerit, me doceres. Abſit enim vt erubeſcam à Presbytero diſcere, ſi à laico tu non erubueris prædicandâ & imitandâ humilitate, vera didiciſſe. *l.2. de Orig. An. ad Petrum Presbyt. cap. 1.*

Ergo & Petro, ſicuti anteà Renato, varios craſſoſque Vincentij errores aperuit: eò denique collimans, vt neque Petrus permittat ſe induci in errantis errores; neque aſſentatione indecente adulantis, &

deceptoriâ lenitudine blandientis, ipſos errantis errores ſiue foueat ſiue tueatur. *ibid.cap.*17. Eiuſcemodi enim erant hi errores, vt ſi pertinaciter ſinguli defenderentur; tot hæreſes facere poſſent, quot errores numerabantur. *l.* 3. *de Orig.An.c.*15.

Atqui in eo potiſſimùm Victor putauerat Auguſtinum repræhendendum, quod firmiter crederet animam incorpoream eſſe, quam ipſe aſſerebat corpoream: docens eam flatum eſſe Dei, qui intra hominis corpus veluti vaginam incluſus, ibidem gelaſceret, efficeretque aliud corpus, quod eſt Anima: cumque ſine ſpiritu anima eſſe non poſſit; intra inania ſua ſpiritum ipſa contineret, ſicut eam corpus continet. Ita enim fieri, vt quemadmodum corpus per interiora concaua ſua recipit aliud corpus, quod eſt anima; ſic & anima credatur habere interiora inania, qua corpus tertium, receperit ſpiritum: atque ita totus homo conſtet ex tribus, exteriore, interiore, intimo. *l.*4.*de Orig.An.c.*12.*&* 14.

Præclarum ædepol commentum, quo nos inſtar allij aut cepæ, ex corporibus veluti teſſellis, aut caliculis, ineptiſſimo artificio fabricabat: vt nihil dicamus de Auguſtini diſſertatione, quâ halitum illum ſiue flatum Dei, tenui lenique ſpiritu in auras difflauit. *l.*3.*de Orig. Animæ cap.*3.4. *&* 5.

§. VIII.

Hilarius, aliiq; ab Auguſtino præſentes edocti.

SEd neque HILARIVS, magnus Pelagianæ hæreſeos antagoniſtes, obliuioni tradiderat, quantum profeciſſet in ſchola & diſciplina „ Auguſtini, dum ait ſcribens ad eundem: Sufficiat mihi pœna mea, „ quod à præſentiæ tuæ deliciis exulatus, vbi ſalubribus tuis vberibus „ nutriebar, non ſolùm abſentiâ tuâ crucior; verumetiam peruicaciâ „ quorumdam qui non tantùm manifeſta reſpuunt, verùm etiam non intellecta reprehendunt. *Epiſt. ad Auguſt.*

Dubitari in hoc Hilario ſolet, fueritne Antiſtes an laicus? Laicum fuiſſe exiſtimat Petauius. *lib.*7.*Ration.cap.*18. Epiſcopum Arelatenſem, Grauius

Grauius in Annotat. ad Tom. VII. Auguſt. Sed & de Proſpero Hilarij Collegâ affirmant nonnulli, Epiſcopum numquam fuiſſe. *Miræus Auctarij cap.* 99.

Inter alios qui docentem Auguſtinum audierunt, cenſeri poſſunt, PROFVTVRVS, ad quem exſtat Epiſtola 149. quemque Calamienſem (Epiſcopum vt opinor) vocat auctor vitæ S. Paullini. PAVLLVS deinde Cataquenſis Epiſcopus, de quo infrà *cap.* 3. §. 4. prætereà BONIFACIVS qui Paullo ſucceſſit, cuiuſque meminit *Epiſt.* 59. VRBANVS Epiſcopus Siccenſis, cuius mentio fit *Tomo* 10. *Fragm.* 1. ANTONIVS Fuſſalenſis, de quo pôſt: ERADIVS: QVODVVLTDEVS, DEO GRATIAS.

§. IX.

Manichæi hoc tempore Carthagine detecti.

SVprà diximus, Vrſo Tribuno ſatagente, in Manichæos inquiſitum Carthagine fuiſſe: qui nequicquam prohibiti, ſecretò ſua conuenticula agebant. Detecti ex eis nonnulli, quos Electos Electaſque nuncupare ſolent, atque in Eccleſiam introducti; ibidem ab Epiſcopis, Auguſtino præſente, omnium propè myſteriorum eius ſectæ gnaro, ad tabulas auditi ſunt: & confeſſionem earum tum blaſphemiarum, tum ſordium ediderunt, quas ipſe recitat *libro de hæreſ. hær.* 48.

Id hoc Anno contigiſſe Baronius tradit: vt adeo illis quæ nuper commemorauimus (præter hâc temporis notationem: & Commonitorium ſub nomine Auguſtini ad vniuerſam Eccleſiam deſtinatum, Quâ cautelâ Manichæi ſi conuerſi fuerint, ſuſcipi debeant: quod exſtat ad finem Tomi 10. poſt vndecim Homilias nouas) nihil addendum exiſtimemus. Nam quod Theodoſium attinet, qui à Manichæiſmo ad Catholicam conuerſus Manichæos nonnullos prodiderat, iuxta quod facere debebat: (de quo Quodvultdeum Diaconum Carthaginenſem Auguſtinus interrogat, quemadmodum tum ipſe, tum alij qui ab eo proditi erant, atque vt putabat correcti, in fide Catholica perſeuerent;) aliquot poſt hæc annis contigiſſe certum eſt. *Epiſt.* 2. *ad Quodvultdeum. Tom.* 6.

§. X.

§. X.

Celeſtius vrbe Româ pulſus.

VTi verò Carthagine Manichæi, ita Romæ eodem anno exagitatus eſt Celeſtius: qui cùm in Vrbem clanculùm irrepſiſſet; Imperatorio edicto ad Præfectum Vrbi Voluſianum, cuius ſuprà meminimus, deſtinato, cedere extemplò iuſſus eſt. *Baron.* Quò reſpexit indubiè Proſper dum ait: Sanctæ memoriæ Bonifacius, piiſſimorum Imperatorum Catholicâ deuotione gaudebat: & contra inimicos gratiæ Dei nō ſolùm Apoſtolicis, ſed etiam regiis vtebatur edictis. *l. cont. Coll. cap.* 41.

§. XI.

Contra Donatiſtas Dulcitius agit.

INterea Dulcitius in Africa Imperialium iuſſionum contra Donatiſtas executor, munus ſuum impigrè obibat. Declarabat *inteſtabiles, & nullam poteſtatem alicuius* [hæreditatem] *ineundi habere: ſed perpetuâ inuſtos infamiâ à cœtibus honeſtis, & conuentu publico ſegregandos.* Loca deinde in quibus dira ſuperſtitio eo vſque ſeruata erat, Catholicæ Eccleſiæ ſociabat: & ſpoliatos facultatibus Epiſcopos, eorumque miniſtros, in ſingulas quaſq; inſulas atque prouincias exulatum dirigebat, *&c.* iuxta edictum Imperatoris Honorij anteà datum, quod exſtat *l.* 54. *de hæret. Cod. Theodoſ.*

Ad Baſilicas quod ſpectat, quibus vſi ad ſuperſtitiones ſuas Donatiſtæ fuerant; Carthagine quandam deſerere coacti ſunt: quæ quoniam Catholicorum priùs fuerat (ad quos poſtliminiò rediuit) Restitvtæ deinceps cognomen accepit: vt teſtatur Euodius, *l.* 1. *de miracul. S. Stephani cap.* 7. in qua habitus ab Auguſtino ſermo 102. de Diuerſ. & alij: Carthaginenſes autem, Cathedræ ſuæ munia Epiſcopi obibant. *Victor Vticenſ. l.* 1. Verùm hoc tempore id contigiſſe haud affirmo: quandoquidem in Concilio Carthag. II. quod hiſce vetuſtius eſt, non tantùm appelletur Reſtituta; ſed duplici nomine, Perpetva restitvta.

Quod verò ad ablatas facultates attinet; ſi melioribus vſi conſiliis reſipiſ-

reſipiſcerent, reſtitui ſolitas fuiſſe conſtat Auguſtino teſte, dum ait: Verùm de his pecuniariis laboribus, facilior cauſſa eſt. Ecce quotidie ſi quis ad nos tranſitum facit, cùm etiam illi, quorum erant, ad pacem Catholicam tranſeunt, reddimus pecuniam, veſtem, fructus, vaſa, rura, tecta veſtrorum: *l. 1. cont. Gaud. cap.* 38. Ad omne enim hominum genus è Donatiſtis, Edictum loquebatur vt alibi indicauimus.

Legum porrò ſeueritate, quamplurimi ad Eccleſiæ Vnitatem ſiue acceſſerunt, ſiue redierunt: *Epiſt.* 61. (interque hos Gabinus, cuius fit ſpecialis mentio *l. 1. cont. Gaud. c.* 12.) aliis in peruicaciâ ſuâ remanentibus, & frequentantibus veterem ludum irruendi in ſpontaneam mortem, ſpe vtique nominis Martyrum. De iiſdem enim agens Auguſtinus, paullò antè Bonifacio Comiti ſcribebat: Qui neſciunt conſuetudinem illorum, putant eos modò ſeipſos occidere, quando ab eorum inſaniſſima dominatione per occaſionem Legum iſtarum, quæ pro vnitate ſunt conſtitutæ, tanti populi liberantur: qui autem ſciunt, & ante ipſas leges quid facere ſoleant; non eorum mirantur mortes, ſed recordantur mores, &c. *Epiſt.* 50.

Nam cùm in illos mitiora conſtituiſſet Imperator propter manſuetudinem Chriſtianam, & exilium illis voluiſſet inferre, non mortem; ipſi homines docti, conſiderantes quid deberetur merito, & quid minus ſit in ſupplicio; non de iudicio Imperatoris, ſed de ſuo addebant mortem: vt eis exprobrat Auguſt. *libro* 1. *contra Gaudent. cap.* 19.

§. XII.

Gaudentius Donatiſta ſcribit ad Dulcitium.

CVm malorum eiuſcemodi vox atque fax eſſet Gaudentius, Thamugadenſis in Numidia Donatiſtarum Epiſcopus, vnus illorum ſeptem, quos in Collatione auctores ſuæ defenſionis elegerant; dedit ad eum litteras Dulcitius, agens, vt oportebat cum furentibus, manſuetè: atque exhortans eum ad Vnitatem Catholicam, & diſſuadens

 incen-

incendium, quo ſe ac ſuos, cum ipsâ in qua erat Eccleſiâ Gaudentius conſumere minabatur: addens, Vt, ſi ſe iuſtos putarent, fugerent potiùs ſecundùm præceptum Domini Chriſti, quàm nefandis ſeſe ignibus cremarent.

Reſpondit Gaudentius Dulcitio, Epiſtolis duabus: breuiore vnâ, feſtinante vt aſſerebat perlatore: aliâ prolixâ, quaſi pleniùs diligentiuſque (vt arbitrabatur) ipſis ſacroſanctæ legis diuinæ verbis reſpondens. *l. 2. Retract. c. 59. & l. 1. cont. Gaud. c. 1. & 11.*

§. XIII.

Dulcitius ad Auguſtinum confugit: is Gaudentium refutat, Dulcitium inſtruit.

DVlcitius Tribunus ambas Gaudentij litteras exiſtimauit Auguſtino mittendas, vt eas potiùs ipſe refelleret: *l. 2. Retract. c. 59.* adhæc territus voluntariis hominum fanaticorum mortibus, conſuluit per litteras eundem: doceri cupiens, quemadmodum ſit iſtis hæreticis reſpondendum. *Epiſt. 61.*

Auguſtinus autem quamquam eſſet & occupatiſſimus, & plurimis huius generis opuſculis multos iam libros impleſſet; in gratiam nihilominus Dulcitij & Thamugadenſium, refutationem pollicitus, *Epiſt. 61.* ambas Gaudentij litteras vno Libro redarguit: *l. 2. Retract. c. 59.* ad litterarum verò Dulcitij argumentum reſpondens, Non debui, ait, contemnere petitionem tuam, quâ deſideraſti à me inſtitui, quemadmodum te oporteat hæreticis reſpondere: quorum ſalus Domini miſericordiâ, inſtantiâ quoque tuæ ſtrenuitatis, inquiritur.

Quamuis enim ingentes eorum multitudines, vnde plurimùm gratulamur, quid ſibi beneficij conferatur intelligant; quidam tamen eorum & Deo & hominibus miſerabili inſtinctu furoris ingrati, ſi ſuis cædibus nos vaſtare non poſſunt, ſuo nos exitio terrere ſe credunt; aut lætitiam ſuam quærentes de mortibus noſtris, aut triſtitiam noſtram de mortibus ſuis.

Sed non debet tot tantorumque populorum ſalutem, furioſus error

ror

ror hominum impedire paucorum. Quid eis velimus, non ſolùm Deus & prudentes homines; verumetiam ipſi cùm ſint nobis inimiciſſimi, ſentiunt. Cùm enim ſuâ pernicie terrendos putant; non dubitant nos timere ne pereant. Sed quid faciamus, videntes quòd multi adiuuante Domino, per occaſionem veſtram, viam pacis inueniant? Numquid prohibere nos poſſumus vel debemus ab hac Vnitatis inſtantiâ, dum metuimus ne quidam duriſſimi, & in ſeipſos crudeliſſimi, non noſtrâ, ſed propriâ voluntate ſe perdant? *Epiſt. 61.* Et poſt pauca.

Proculdubio meliùs, incomparabili numeroſitate plurimis ab illa peſtifera diuiſione redintegratis atque collectis, quidam ſuis ignibus pereunt; quàm pariter vniuerſi ſempiternis ignibus gehennarum, merito ſacrilegæ diſſenſionis ardebunt. &c. *ead. Epiſt.* Videri in eandem rem poteſt *l. 1. cont. Gaud. c. 22.*

§. XIV.

Replicat Gaudentius: iterum reſpondet Auguſtinus.

AVguſtini liber, quo binas illas Gaudentij redarguit, cùm in eius manus perueniſſet; reſcripſit quod ei viſum eſt, nè, ſi tacuiſſet, conuictus eſſe videretur: nullâ certè ratione reſpondens; ſed magis ſe nec reſpondere, nec tacere potuiſſe, declarans.

Quod etſi poſſet ſatis intelligenter legentibus & conferentibus vltrò citroque ſcripta, apparere; noluit tamen Auguſtinus ſine reſcripto relinquere, quidquid illud Gaudentij fuit: ideoque factum eſt, vt duo ſint contra Gaudentium Libri. *l. 2. Retract. c. 59. l. 2. cont. Gaudent. c. 1.*

Hunc autem ordinem temporiſque indicem, aliter atque Baronio ad Annum 414. viſum eſt, eis dedimus; quòd ſcriptos eſſe conſtet poſt congreſſionem cum Emerito, vt liquet *l. 1. cont. Gaudent. cap. 14. 32. & 39.*

§. XV.

Libri duo de Adulterinis coniugiis, ad. Pollentium.

Anno 421. PRæter-propter hunc Annum, POLLENTIVS vir ſtudioſus, ſed nullâ vt apparet Eccleſiaſticâ dignitate eminens, quòd eum fratrem dilectiſſimum tantummodo nominet Auguſtinus; propoſitâ illum quæſtione pulſauit: Vtrùm id Apoſtoli, dum ait, *Hu qui ſunt in coniugio, præcipio non ego, ſed Dominus, mulierem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*: Et *vir vxorem non dimittat*; ita ſit accipiendum, vt eam quæ ſine cauſſa fornicationis diſceſſit à viro, intelligatur prohibuiſſe nubere, quod Pollentius ſentiebat: an verò etiam prohibuerit eam, quæ à viro ſuo receſſerit eâ cauſâ quæ ſola permiſſa eſt, id eſt, fornicationis: quod ipſe olim Auguſtinus docuerat, dum ſermonem Domini in Monte Presbyter explanaret. *l. 1. de adult. coniug. c. 1.*

Ob hoc ſcripſit duos Libros, De Coniugiis adulterinis; quantum potuit, ſecundùm Scripturas cupiens ſoluere difficillimam quæſtionem. Quod neſcire ſe ait, vtrùm enodatiſſimè fecerit: imò verò ſe non perueniſſe ad huius rei perfectionem ſentit, quamuis multos ſinus eius aperuerit: vti iudicare poterit quiſquis intelligenter legerit. *l. 2. Retract. c. 57.*

Hoc interim docet, Coniugis à coniuge diſceſſum, nullâ, præterquam fornicationis cauſâ, concedi: qui ſi fuerit ſub tali vtique cauſſa permiſſus; ad ſecundas attamen nuptias tranſitum vetari, non tantummodò verbis Chriſti apud Matthæum c. 5. ſed etiam Apoſtoli 1. ad Corinth. 7. qui quamuis nullam diſcedendi cauſſam alleget, non tamen niſi ad fornicationis, diſceſſum permittit.

Neque enim præcepiſſet, ſi à viro diſceſſerit, innuptam manere mulierem; niſi eam, cui diſcedere licuiſſet, illâ vnâ videlicet cauſâ, quæ ibi propterea tacita eſt, quia notiſſima eſt, hoc eſt, fornicationis. Hanc enim ſolam Deus magiſter excepit, cùm de dimittendâ loqueretur vxore: deditque intelligi, talem formam etiam in viro eſſe ſeruandam:

uandam: quoniam non ſolùm mulier, non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir; ſed & vir, non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier. *l. de adult. coniug. cap.* 5. videri poteſt *l.* 83. *qq. quaſt. vlt.*

Quapropter tum eodem, tum ſequenti libro, pluribus conficit, par eſſe vtriuſque ius, parem vtriuſque pœnam: imò tametſi femina peccauerit; non debere idcirco virum plumbeas iras gerere, vt nullo tempore reconciliationem admittat, quam cupit ipſe fidei violator ab vxore obtinere. Operæpretium eſt audire ipſum ſapientiſſimum Antiſtitem, hac de re diſſerentem.

Cùm hoc eis dicimus, inquit, non ſolùm nihil volunt detrahere ſeueritati; ſed iraſcuntur inſuper veritati: & loquuntur atque reſpondent, Sed nos viri ſumus. An verò ſexûs noſtri dignitas hanc ſuſtinebit iniuriam, vt cum aliis feminis præter vxores noſtras ſi quid admittimus, in luendis pœnis mulieribus comparemur? Quaſi non propterea magis debeant illicitas concupiſcentias viriliter frænare, quia viri ſunt. Quaſi non propterea magis debeant mulieribus ſuis ad virtutis huius exemplum ſe præbere, quia viri ſunt. Quaſi non propterea minùs debeant à libidine ſuperari, quia viri ſunt. Quaſi non propterea minùs debeant laſciuienti carni ſeruire, quia viri ſunt.

Et tamen indignantur, ſi audiant adulteros viros pendere ſimiles adulteris feminis pœnas: cùm tantò grauiùs eos puniri oportuerit, quantò magis ad eos pertinet, & virtute vincere & exemplo regere feminas. Chriſtianis equidem loquor, qui fideliter audiunt: *Caput mulieris Vir*: vbi ſe agnoſcunt duces, illas autem comites eſſe debere. Et ideo cauendum eſt viro illàc ire viuendo, quà timet ne ſequatur vxor imitando.

Sed iſti quibus diſplicet, vt inter virum & vxorem par pudicitiæ forma ſeruetur: & potiùs eligunt, maximeque in hac cauſsâ, mundi legibus ſubditi eſſe quàm Chriſti: quoniam iura forenſia non eiſdem quibus feminas, pudicitiæ nexibus viros videntur obſtringere: legant quid Imperator Antoninus, non vtique Chriſtianus, de hac re conſtituerit, vbi maritus vxorem de adulterij crimine accuſare non ſinitur, cui moribus ſuis non præbuit caſtitatis exemplum: ita vt ambo damnentur, ſi ambos pariter impudicos conflictus ipſe conuicerit.

Nam ſupradicti Imperatoris hæc verba ſunt, quæ apud Grego-

„ rianum leguntur : Sanè, inquit, meæ litteræ, nullâ parte cauſſæ præ-„ iudicabunt. Neque enim ſi penes te culpa fuit, vt Matrimonium ſol-„ ueretur, & ſecundùm legem Iuliam Eupaſia vxor tua nuberet; pro-„ pter hoc reſcriptum meum adulterij damnata erit, niſi conſtet eſſe „ commiſſum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an cùm tu „ pudicè viueres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuiſti. Per-„ iniquum enim mihi videtur eſſe, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, „ quam ipſe non exhibet: quæ res poteſt & virum damnare, non ob „ compenſationem mutui criminis rem inter vtrumque componere, „ vel cauſſam facti tollere.

Quibus ſubdit Auguſtinus: Si hæc obſeruanda ſunt propter decus terrenæ ciuitatis; quantò caſtiores quærit cæleſtis patria, & ſocietas Angelorum? *l.* 2. *de adult. coniug. c.* 8.

§. XVI.

Libri contra Aduerſarium legis & Prophetarum.

INterea liber quidam cuiuſdam hæretici, ſiue Marcioniſtæ, ſiue cuiuſlibet eorum quorum error opinatur, quod iſtum mundum Deus non fecerit: nec Deus legis quæ data eſt per Moyſen, & Prophetarum ad eandem legem pertinentium, verus ſit Deus; ſed peſſimus Dæmon: (cuiuſmodi plures recenſentur libro de hæreſibus) cùm hic, inquam, Liber apud Carthaginem multis confluentibus, & attentiſſimè audientibus, in plateâ maritimâ legeretur: peruenerunt fratres ad eum ſtudioſiſſimè Chriſtiani, eumque Auguſtino redarguendum ſine vlla dilatione miſerunt: multùm rogantes, vt nec ipſe reſpondere differret.

Refellit eum libris duobus: quos ideo prænotauit, Contra Aduerſarium legis & Prophetarum; quia codex ipſe qui miſſus erat, nomen Auctoris non habebat. *l.* 2. *Retract. c.* 58.

Huius verò Auctoris, quicumque is fuerit, veſtigia, ſicuti adeò premunt hodie Athëi & Libertini, vt eorum blaſphema nugamenta iam tum ſtrangulata dici haud immeritò poſſint; ita Manichæus ille imita-

imitatus eſt, qui commentarium ſuum De duobus principiis, Iuſtiniano Imperatore in viam publicam proiecerat: quem à ſe repertum, breui ſyntagmate Zacharias Epiſcopus Mitylenes mox refutauit: quod exſtat apud Caniſium Tom. 5. Lect. Antiq.

§. XVII.

Auguſtinus, Gratiæ diuinæ Vnicus ac perpetuus aſſertor.

SI cuiquam non negligenter Auguſtinum legenti obſeruare libet, reperiet eum in omnibus penè operibus quæ poſt damnatam Pelagij hæreſin conſcripſit, Pelagianiſmi dogmata tacitè plerumque, vbi ſe occaſio offert, perſtringere: huncque vnicum fuiſſe Auguſtini ſcopum, Dei gratiam, quæ fidei & vitæ Chriſtianæ fundamentum ac robur eſt, ſartam tectam conſeruare. Vt inter alia videre eſt in Opere memorato *cont. Aduerſ. leg. & Prophet. l. 2. cap.* 7. *&* 8.

Adeò vt, quantum contra Valentinianos & Gnoſticos, Irenæo; contra Arrianos, Athanaſio & Hilario; contra Neſtorianos, Cyrillo; contra Eutychianos Leoni Pontifici, Eccleſia Catholica tribuere conſueuit; tantum debeat Auguſtino in huius argumenti arenâ.

Nam quemadmodum iſti aduerſus memoratos hæreticos diuinitùs ſunt excitati; ita Auguſtinus, ſingulari Dei prouidentiâ, contra Gratiæ Dei inimicos: cuius auſpiciis & ductu Catholica acies pugnaret, ac vinceret. Vnde ipſius tametſi defuncti auctoritatem & famam, aduerſus tum eius, tum Gratiæ Dei oppugnatores, Cæleſtinus Pontifex tuendam ſuſcipiens, tantum illi perhibet ſcientiæ teſtimonium; vt non modò illum dicat, Neceſſarium in ſcribendo non exceſſiſſe modum, neque vllo vmquam ſiniſtræ ſuſpicionis vel rumore ſaltem fuiſſe aſperſum; verumetiam inter optimos Eccleſiæ Magiſtros à ſuis ſemper anteceſſoribus habitum, qui proinde cunctis & amori & honori fuerit, meminiſſe ſe affirmet. *Epiſt. ad Epiſcopos Gall. c.* 2. *&* 3. *Proſp. l. cont. Collat. c.* 42. Sed hæc extra callem: redeamus.

§. XVIII.

§. XVIII.

Liber contra Mendacium, ad Conſentium.

ERant Priſcillianiſtæ vti impij, ita ſordidiſſimi omnium hæretici: in quorum videlicet ſectam, aliarum ſordes, tamquam in ſentinam quandam horribili effuſione confluxerant. Cùm eſſent, vt inquit Hieronymus, pars de turpitudine Manichæi, ſoli cum ſolis clauduntur mulierculis: & illud eis inter coïtum amplexuſque decantant,

Tum Pater omnipotens fecundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ deſcendit: & omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore fœtus.
Epiſt. ad Cteſiph.

Propter occultandas autem contaminationes & turpitudines ſuas, habebant in ſuis dogmatibus & hæc verba:

Iura, periura, ſecretum prodere noli.

Aug. l. de hæreſ. hær. 70. Vt qui hæreſin ſuam non ſolùm negando atque mentiendo, verumetiam peierando exiſtimabant occulendam. *l. 2. Retract. c. 6.*

Viſum idcirco fuit quibuſdam Catholicis, Priſcillianiſtas ſe debere ſimulare: vt ſic eorum latebras penetrarent. *ibid.* Quamobrem Conſentius (ad quem Presbyter adhuc Auguſtinus librum De Mendacio ſcripſerat) vir apprimè Catholicus & eruditus, ex zelo quo aduerſus etiam latentes hæreticos frendebat, multis ſuper hoc Auguſtinum, per Leonam quemdam Dei famulum, conſuluerat: eò vt apparet propendens, vt cum eis ſentiret quibus videbatur non eſſe illicitum, Priſcillianiſtam ſe ſimulare; ad eorum penetrandos errores.

Verùm euolutis atque perlectis omnibus, & quantâ potuit conſideratione perpenſis, quæ Conſentius miſerat; id Auguſtinus fieri prohibet pluribus ſanè de cauſſis, quas pari robore atque elegantia adducit: modumque deſignat, quo contra Priſcillianiſtas diſputare oporteret. Atque ita librum Contra Mendacium condidit, quem Conſentio deſtinauit. *l. 2. Retract. c. 60. l. cont. Mendac. c. 1.*

Exſtant

Exſtant ad eundum nonnullæ Auguſtini Epiſtolæ, & viciſſim Conſentij ad Auguſtinum: quem vtique Conſentius tanti faciebat, vt inter cetera præconia quibus excellentiam ipſius luculentè proſequitur, libelli à ſe compoſiti præfatiunculam conſcripſerit his verbis: *Placuit fluctuantem fidei noſtræ cymbam, beati Auguſtini Epiſcopi ſtabilire ſententiâ. Epiſt.* 221. E qua Epiſtola coniicere licet, Inſulam Sardiniam inhabitaſſe.

CAPVT II.

ARIANI IN AFRICA: PELAGIANI IN ITALIA.

§. I.

Bonifacius, & cum eo Gothi: qui Ariani.

INtereà cum Bonifacio (quem bellicis artibus præclarè inſtructum, Anno Caſtinus, dux exercitûs contra Vandalos in Hiſpaniam miſſi, inep- 422. to & iniurioſo imperio, ab expeditionis ſuæ ſocietate auerterat) Gothi in Africam irrepſere, Arianâ hæreſi pridem infecti.

Refert quippè Oroſius, Gothos petiiſſe quondam ad ſe mitti Epiſcopos, à quibus Chriſtianæ religionis doctrinam diſcerent: Valentem verò Imperatorem eis miſiſſe Doctores Arianos: atque ita Gothos primæ ſuæ fidei rudimenta ab Arianis accepta, in poſterum retinuiſſe. Cuius perinde rei præmium, iuſto Dei iudicio, Valens tulit: à Gothis, quorum ille animis peſtiferum erroris virus infuderat, concrematus.

Nam cùm bello in Thracia geſto, in quo Romanæ Legiones à Gothis ad internecionem vſque cæſæ ſunt, Valens ſagittâ ſaucius fugeret, atque ob dolorem ſæpiùs equo delaberetur; ad cuiuſdam villulæ caſam deportatus eſt: vbi ab inſequentibus Barbaris deprehenſus, igne conſumtus eſt. *Oroſ. l. 7. cap.* 33. videri quoque poteſt *Ammian. Marcell. lib.* 31.

§. II.

Liber Auguſtini Contra ſermonem Arianorum.

ET quandoquidem Auguſtinus, poſtquam ea recenſuit quæ contra Pelagianos & Donatiſtas hactenus elucubrauerat, dicat veniſſe in manus ſuas quemdam Sermonem Arianorum, ſine nomine Auctoris ſui: cui, petente atque inſtante qui eum miſerat, quantâ potuit breuitate ac celeritate reſpondit; *l.2. Ret. cap 52.* exiſtimari haud temerè poteſt, eumdem librum hâc circiter tempeſtate, quâ & Sermo prodierat, edidiſſe.

Liceat idcirco ſubiicere haud ineptè hoc loco, tametſi alio fortaſſe tempore & occaſione pronunciatum, quod inquit: In illo populo, fratres, in quo multa ſigna faciebat Moyſes per virgam, exſurrexerunt magi Pharaonis, facientes & ipſi prodigia contra famulum Dei Moyſen. Sed ad hoc quædam mira facere permiſſi ſunt, vt mirabiliùs vincerentur.

Magi Pharaonis quid aliud ſignificabant, niſi omnes hæreticos miniſtros diaboli, qui ſub nomine Chriſti deuorare cupiunt populum Chriſti? Scatent nunc hæreſes in hanc terram, tamquam ſerpentes Magorum, quos deuorauit & deuorat ille ſerpens exaltatus in ligno. Sed quoniam non eſt temporis ire per multos; ſingulorum capita conterantur: quomodo exſurgunt, ſic deuorentur.

Fuit hic vt noſtis, dilectiſſimi, viperea doctrina Donatiſtarum: contrita eſt, conſumta eſt. Manichæorum venenum aſpidis ſurrepſerat: contritum eſt, conſumtum eſt. Pelagianorum nouum dogma à miniſtris diaboli, tamquam à magis Pharaonis excitatum, illi noſtro ſerpenti certamen indixit: conteritur, conſumitur.

Cùm tot ſerpentum capita, Catholica doctrina contriuerit, diſſipauerit, cõſumſerit; ecce nobis vnus anguis Arianus, olim mortuus, inſultat, caput erigit, veluti viuum ſe demonſtrare conatur, quem iam olim conſtat occiſum. *Serm. de Cataclyſ. c.5 tom.9.*

Sanè libro illo, quem contra Sermonem Arrianorum conſcripſit, deſtruit carnales & blaſphemas cogitationes eorum, pondere diuinarum

narum Scripturarum : oſtendens nullam eſſe in Trinitate naturæ diuerſitatem : nullam in perſonis inæqualitatem : Deum in Eſſentia vnum, in Perſonis Trinum : quarum vna alteram neque tempore, neque Maieſtate, neque operatione præcedat, excedat, aut ſuccedat.

Eandem hæreſim alibi quoque frequenter oppugnat, *quæſt. 50. & 69. inter 83. l. 4. de Conſ. Euang. c. 10. Orat. cont. Iudæos, Paganos & Arianos. Epiſt. 66.* vt iam de diſputationibus nihil dicamus, quas cum Paſcentio, Maximino, & Feliciano habuit : de quibus ſuo loco agemus poſteà.

§. III.

Bonifacius Auguſtino charus.

ERat Bonifacius, de quo dixi, genere Thrax, Sebaſtiani Comitis (cuius multa cum laude meminit Victor Vticenſ. l. 1.) ſocer: pietate inſignis, multarumque rerum ſcientiâ : charus idcircò Auguſtino : cuius ad illum exſtant, præter Librum de Correctione Donatiſtarum, & Epiſtolam 70. ac 205. aliæ plures : quas, quia contra morem ſcribendi Auguſtini breuiculæ ſunt, in Appendicem relatas, abiudicant ei nonnulli : alij vindicant, germanasque eſſe volunt; ſi non ab Auguſtino, ab Alipio ſaltem, vel Aurelio Carthaginenſi conſcriptas. *Baron. Anno* 422. Continentur iis quædam ad hunc annum referenda : quæ videre Lector poteſt in Appendice Tom. 2. *Epiſt.* 1. 2. 3. *& 6.*

Porrò aliis quibuſdam ea ſignificantur, quæ biennio circiter pòſt euenerunt : quando Caſtinus, è Conſule priuatus effectus, & apud Bonifacium (quem priùs oderat) in Africâ cum exercitu Gothorum agentem, profugus; ſalutem ab eo, mutatâ rerum facie quæſiuit, & Auguſtini interuentu tantiſper inuenit. *Epiſt.* 10. *&* 11.

§. IV.

Libri Auguſtini contra duas Epiſtolas Pelagianorum, ad Bonifacium Papam.

Anno 423. SEquuntur Libri quatuor, quos contra duas Epiſtolas Pelagianorum, ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ Bonifacium ſcripſit. Miſerat enim eas Auguſtino Bonifacius, vt ſuprà memorauimus: quia inuenerat in illis calumnioſè interpoſitum Auguſtini nomen: *l. 2. Retract. c. 61.* quaſi is diceret, Nuptias quæ modò aguntur, à Deo inſtitutas non fuiſſe. *l. 1. ad Bonif. c. 5.*

Opus erant Iuliani, feruentiſſimi Pelagianorum. Inq; eis Orthodoxorum dogmata Pelagianis erroribus contraria, in alienũ ſenſum Iulianus detorſerat, ob quem inuidioſiſsimè Catholicam Eccleſiam traducebat. Videri ſingula poſſunt Libris præfatis Auguſtini, quibus Pelagianorum binis Epiſtolis reſpondit, & ad Bonifacium direxit (quem iam antè famâ celeberrimâ prædicante nouerat: magis autem tunc, cùm eum Alipius Româ rediens reportauit in animo ſuo, atque ſe & Auguſtinum animo Bonifacij viciſſim transfudit) non tam diſcenda, quæ libris illis continebantur, quàm examinanda: &, vbi forſitan aliquid diſplicuiſſet, emendanda. *l. 1 ad Bonif. c. 1.* Fuiſſe enim Bonifacium doctiſſimum Pontificem, teſtatur Proſper *l. cont. Coll. c. 41.*

Ceterùm vel amicâ iſtâ commentatione, Pelagiani penitùs obtriti ſunt. Nam poſtquam tribus prioribus libris reſpondiſſet ad illa, quæ Catholicis veluti perperàm ſentientibus obiiciebant; quarto demum refellit, quæ ſentire ſe ipſi affirmabant, plena ſuperbiæ & tumoris. Quamobrem non hîc immeritò repetiuerim, quod de Auguſtino cecinit Proſper:

Iſtiùs ergò inter cunctos qui de grege ſancto
Inſanas pepulere feras, induſtria maior,
Maius opus, totum præſtantiùs imbuit orbem.
Nam quòcumque gradum conuertit callidus hoſtis,
Quàque per ambages anceps iter egit opertas;
Huius ab occurſu eſt præuentus, mille viarum

Inſidiis,

Inſidiis aditum non repperientibus vllum.
Cúmque foris rabies auidorum excluſa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes;
Ne mentes vllarum ouium corrumpere poſſet,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis;
Iſtius ore viri fecit Deus: iſtius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quæ mites humiléſque bibant, campíſque animorum
Certent vitalis doctrinæ immittere riuos. Poëm. de Ingrat. cap. 3.

Iam verò Iulianus in Epiſtolâ ſuâ Catholicos, per calumniam appellauerat Manichæos. Sed enim Manichæos non eſſe, Catholicos; oſtendit Auguſtinus: vt qui liberum arbitrium adeo non negent in homine reſtare; vt per illud peccent maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet quod eis libet. Quare nemo Catholicorum dicit, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere. Libertas quidem periit per peccatum; ſed illa quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam. Propter quod natura humana diuinâ indiget gratiâ, dicente Domino: *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis*: vtique liberi ad benè iuſtéque viuendum. *l. 1. ad Boniſ. c. 2.*

Porrò neminem, niſi Dominum Deum, dici à Catholicis naſcentium conditorem: neque à diabolo, ſed ab ipſo nuptias inſtitutas: omnes tamen ſub peccato naſci; propter propaginis vitium: & ideo eſſe ſub diabolo, donec renaſcantur in Chriſto. Neque ſub nomine Gratiæ fatum aſſerimus, inquit: quia nullis hominum meritis Dei gratiam dicimus antecedi. Si autem quibuſdam Omnipotentis Dei voluntatem placet Fati nomine nuncupare; profanas quidem verborum nouitates euitamus, ſed de verbis contendere non amamus, &c. *l. 2. ad Boniſ. c. 5.* Pelagianos deinde ſic alloquitur:

Itáne verò, filij ſuperbiæ, inimici Gratiæ Dei, ô noui hæretici Pelagiani, quiſquis dicit Gratiâ Dei omnia hominis bona merita præueniri; nec gratiam Dei meritis dari, nè non ſit gratia, ſi non gratis datur, ſed debita merentibus redditur; Fatum vobis videtur aſſerere? Nónne etiam voſipſi quâlibet intentione, *neceſſarium baptiſmum omnibus ætatibus* dicitis? Nónne in hac ipsâ Epiſtolâ veſtrâ, iſtam de Baptiſmo ſententiam & de Gratiâ, iuxtà poſuiſtis? Cur non vos Ba-

ptiſmus qui datur infantibus, ipsâ vicinitate commonuit, quid ſentire de Gratiâ debeatis? *eod. l. c. 6.*

Nam ſi fato quodammodò bona faciant homines; eodem ad Baptiſmum paruulos peruenire, dicendum eſſe oſtendit, quem ipſi eis *neceſſarium* fatebantur: adeoque in idem incidere, quod Catholicis obiectabant. Videri quoque poteſt *l. 4. cont. Iul. c. 8.*

Monſtrat deinde Deum homini aut inuito aut reluctanti non inſpirare boni cupiditatem, dum efficit ſuâ Gratia, vt iam non ſit reluctans, non ſit inuitus, ſed conſentiens bono & volens bonum: vbi ipſi (contra quod Pelagius in Palæſtinâ Synodo damnauerat, tum apertiſmas Scripturas quas magnâ copiâ allegat) volebant in homine, ab ipſo homine incipere cupiditatem boni; vt huius cœpti meritum, etiam perficiendi gratia conſequatur. *eod. l. c. 8.*

Iam, ſicut legum coërcitiones, quibus à malo abduci & ad bonum adduci homines ſolent, non auferunt liberum arbitrium: ita dum eoſdem attrahit Pater ad Filium, credendo beneque operando; in libero nihilominus dimittit arbitrio: vt contra Petilianum *l. 2. c. 84.* olim docuerat, priuſquàm Pelagiana hæreſis caput ab inferis extuliſſet: profeſſus tamen, quod intellectu penetrare pauci id valeant. Verumtamen numquid ideo negandum eſt quod apertum eſt; quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt? *l. de bon. perſeuer. c. 14.* videndus Proſper *l. 2. de Vocat. gent. c. 27.*

Quapropter voluntatem, quæ diuinâ Gratiâ roborata agit, nullam ab eâ violentiam pati, ſatis conſtat: adeoque liberam à coactione eſſe. Vtrùm verò dum præcisè agit, eodem robore viribusque munita, poſſit non agere, aut malè agere; quid attinet inquirere? Sicut enim ſatis liquet quodlibet agens, dum agit, non poſſe vtique non agere; ita quoque pronam in bonum virtute Gratiæ voluntatem; eatenus aut malè, aut non agere non poſſe. Manet ergò neque per peccatum Adami, liberum arbitrium periiſſe: neque per gratiam cogi, ſed ſanari. Si quidem voluntas libera (vt ait Aug. Epiſt. 89.) tantò erit liberior, quantò ſanior: quantò diuinæ miſericordiæ, gratiæque ſubiectior. Videndus *lib. 5. de Ciuit. Dei c. 10.*

Nam ſi voluntas ideò non putanda eſt noſtra, quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur; Spoliantur libertate Filij Dei, qui aguntur ſpiritu Dei: perdunt vigorem rationalis animi, & omni voluntariæ deuotionis laudę priuantur, quibus datur ſpiritus ſapientiæ & intelle-

ctus,

ctus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis ac timoris Domini. Vt certè argumentatur Proſper *lib.4e. Reſponſionum pro D.Augu$ſt. cap.6.*

§. V.

Scopus Iuliani in duabus Epiſtolis.

ET quoniam harumcè Iuliani Litterarum ſcopus erat, vt in Oecumenicâ Synodo quod peractum iam erat, agi rurſus ab initio inciperet: cùm dixiſſet de ſimplicibus Epiſcopis, ſine congregatione Synodi in locis ſuis ſedentibus, extortam ſubſcriptionem eſſe; reſpondet Auguſtinus: Numquid beatiſſimis, & in fide Catholica excellentiſſimis viris, Cypriano & Ambroſio, ante iſtos, aduerſus iſtos, extorta ſubſcriptio eſt, quâ eorum impia dogmata tantâ manifeſtatione ſubuertunt; vt quæ contra eos manifeſtiora dicamus, vix nos inuenire poſſimus? Aut verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur?

Quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione, damnata ſit: cùm potiùs rariſſimæ inueniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis exstiterit: multoque ſint atque incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt: atque inde per ceteras terras deuitandæ innoteſcere potuerunt.

Verùm iſtorum ſuperbia, quæ tantum ſe extollit aduerſus Deum, vt non in illo velit, ſed potiùs in libero arbitrio gloriari; hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippè Catholicum quoniam, Domino eis reſiſtente, peruertere nequeunt, ſaltem commouere conantur: cùm potiùs vigilantiâ & diligentiâ Paſtorali, poſt factum illis competens ſufficienſque iudicium, vbicumque iſti lupi apparuerint, conterendi ſint: ſiue vt ſanentur atque mutentur; ſiue vt ob aliorum ſalutem atque integritatem vitentur, adiuuante Paſtore Paſtorum, qui ouem perditam & in paruulis quærit: qui oues ſanctas & iuſtas gratis facit: qui eas quamuis ſanctificatas & iuſtificatas, tamen in iſta fragilitate atque infirmitate, pro quotidianis peccatis (ſine quibus hîc non viuitur, etiam cum benè viuitur) quotidianam remiſſionem & vt petant prouidenter inſtruit, & petentes clementer exaudit. *l.4. ad Bonif. c.12.*

§. VI.

§. VI.

Pelagius & Celeſtius in Britanniam ſecedunt.

HAnc indicendi Generalis Concilij ſerram diu multumque Pelagiani reciprocarunt, vt patet *l. 2. cont. Iul. c.* 10. *& l. 6. c.* 4. *&* 9. ipſeque Celeſtius paullò pòſt vrgere idem cœpit, hæretico ſed irrito „conatu. Si quidem venerabilis memoriæ Pontifex Cæleſtinus, cui ad „Eccleſiæ Catholicæ præſidium, multa Dominus gratiæ ſuæ dona „largitus eſt (inquit Proſper) ſciens damnatis non examen iudicij, ſed „ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum; Celeſtium quaſi non „diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus iuſſit „extrudi: adeo & prædeceſſorum ſuorum ſtatuta, & decreta Synoda„lia immobiliter ſeruanda cenſebat, vt quod ſemel meruerat abſcin„di, nequaquam admitteret retractari. *Proſper. l. cont. Coll. c.* 41.

Atque hic finis fuit commorationis Celeſtij in Italia: quem coniiciunt nonnulli, cum Pelagio magiſtro ſuo in Britanniam deinde conceſſiſſe: quam cùm hæreſeos ſuæ diſſeminatione deprauant, Anno circiter CCCC. XXIX. idem Pontifex Cęleſtinus, nõ ſegniore curâ ab hoc eodem morbo liberauit: quando quoſdam inimicos gratiæ, ſolum ſuæ originis occupantes, etiam ab illo ſecreti excluſit Oceani: & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſeruare Catholicam; fecit etiam barbaram Chriſtianam. *Proſper eod. l. & c.* Qui & videri in Chronico poteſt, ſub Florentio & Dionyſio Coſſ. vbi diſtinctiùs idem commemorat.

Quo tempore autem, quove loco obierint tandem ambo hæreſiarchæ, habetur incompertum.

CAPVT III.

AVGVSTINVS SVOS CORRIPIT. IVLIANO RESPONDET.

§. I.

Diſciplina Auguſtini domeſtica.

NOn alius domi, atque in Eccleſia ſiue populo, Auguſtinus fuit: vbique gnauus & ſollers: Dei gloriæ, ſalutiſque proximi cupidus. Cum ipſo ſemper Clerici, vnà etiam domo ac menſâ, ſumtibuſque communibus alebantur & veſtiebantur. Et ne quiſquam facili iuratione ad periurium decideret; ne quis omninò iuraret, & in Eccleſia populo prædicabat, & ſuos inſtituebat domi. Exſtat Epiſtola ad Alipium, quantopere vitandum ſit periurium: *Epiſt.* 224. videriq́ue poteſt *Epiſt.* 89. in fine. Quod ſi quis prolapſus fuiſſet; vnam de ſtatutis perdebat potionem: erat enim commorantibus cum eo atque conuiuantibus, numerus potulorum præfixus.

Indiſciplinationes quoque & tranſgreſſiones ſuorum à regula recta & honeſtate, & arguebat & tolerabat, quantùm decebat & oportebat: in talibus præcipuè docens, nè cuiuſquam cor declinaret in verba maligna, ad excuſandas excuſationes in peccatis. *Poſſid. c.* 25.

Qui & ibidem refert ſedulò ſuos admonuiſſe præcepti Euangelici, irreconciliato fratre non eſſe accedendum ad Altare: totieſq́ue remittendas culpas, quoties in aliquem committi contigerit, non tantùm ſepties, ſed ſeptuageſies ſepties.

§. II.

Antonij Epiſcopi Fuſſalenſis exauctoratio.

SVb illa ſanctiſſimi Magiſtri domeſtica ferula, Antonius à paruula ætate vixerat: quem Fuſſalenſibus, Hipponenſi territorio

 vicinis

vicinis (quos à Donatiſtarum errore, cum nullus ibi Catholicus eſſet, Dei miſericordiâ fauente ad vnitatem Eccleſiæ adduxerat) magnis ſuis laboribus & periculis, dari Epiſcopum à Primate obtinuit. Erat tum Antonius adoleſcens, præter Lectoris officium nullis Clericatûs gradibus & laboribus notus.

Factus Epiſcopus, non à Fuſſalenſibus quidem, ſed ab aliis quibuſdam, plurium grauiumque flagitiorum accuſatus eſt: quæ tametſi minimè probari potuiſſent; efficiebant nihilominus, vt Fuſſalenſibus diutiùs præeſſe non poſſet: cum quibus ſic egerat, vt eum, iuſto dolore commoti, haud toleraturi viderentur: quin potiùs ſuo illiuſque periculo in aliquod ſcelus erupturam impatientiam ſui doloris oſtenderent. *Epiſt. 261.*

Auguſtinus, cui non erat tam in oculis clementia vt in Antonio ſuo obliuiſceretur iuſtitiæ, puniendum eum duxit: ſic temperatâ ſententiâ, vt dignitatem quidem Epiſcopalem retineret, cederet tamen muniis illius apud Fuſſalenſes. Ea tum pœna nihil apud Afros noui continebat.

Damnatus Antonius, à Primate ſuo litteras extorſit: quibus illi credulus, veluti omnimodis inculpatum, Papæ Bonifacio commendauit: ad quem ab Epiſcoporum Afrorum ſententiâ prouocauerat.

Reſcribit pro Antonio Bonifacius: hâc moderatione, ſi, veluti ipſe expoſuerat, cauſſa haberet.

§. III.

Ad Sedem Apoſtolicam cùm Antonius appellaſſet, Auguſtinus Cæleſtino Papæ ſcribit.

MOrtuo interea Bonifacio, Anno 423. præcipite; ad ſucceſſorem eius Cæleſtinum, (quòd vulgò ferretur, adfore mox ſtipatos apparitura publicâ executores Apoſtolicæ Sedis, qui Antonium in cathedram ſuam reſtituerent) Auguſtinus ſcripſit; idque ne fieret, humil-

humillimè obſecrauit. Iuuat ipſiuſmet verba ponere:

Non ſinas iſta fieri, obſecro te per Chriſti ſanguinem: per Apoſtoli Petri memoriam: qui Chriſtianorum præpoſitos populorum monuit, ne violenter dominentur inter fratres, &c. *Epiſt.* 261. Nam quid Auguſtinus ipſe animo concepiſſet, ſi peſſimum hominem contingeret in ſedem ſuam reſtitui; declarat his verbis:

Me ſanè, quod confitendum eſt beatitudini tuæ, in iſto vtrorumque periculo tantus timor & mæror excruciat, vt ab officio cogitem gerendi Epiſcopatum abſcedere: ſi per eum, cuius Epiſcopatui per imprudentiam ſuffragatus ſum, vaſtari Eccleſiam Dei; &, quod Deus auertat, etiam cum vaſtantis perditione perire conſpexero. Recolens enim quod ait Apoſtolus, *Si noſmetipſos iudicaremus, à Domino non iudicaremur*; iudicabo meipſum, vt parcat mihi qui iudicaturus eſt viuos & mortuos.

Si autem & membra Chriſti, quæ in illa regione ſunt, ab exitiali timore & triſtitia recreaueris; & meam ſenectutem hâc miſericordiâ iuſtitiæ fueris conſolatus; retribuet tibi & in præſenti & in futura vitâ, qui per te nobis in iſtâ tribulatione ſuccurrit, & qui te in illâ Sede conſtituit. *Epiſt.* 261.

§. IV.

Videtur Auguſtinus à Cæleſtino obtinuiſſe quod popoſcit.

Et ita quidem Auguſtinus ad Cæleſtinum, cui in litterarum ex- Anno ordio gratulatus fuerat, quod in Sede Petri Dominus illum ſine 424. vlla plebis diſſciſſione, qualis nimirum in electione Bonifacij facta fuerat, conſtituiſſet: vt inde appareat Pontificatûs Cæleſtini initio datas eſſe. Ac licet nullo alicubi veſtigio conſtet, voti compotem Auguſtinum effectum: quia tamen, vti ſtatuerat, Epiſcopatu non ceſſit; ipſeque Cæleſtinus, qui in laudes Auguſtini poſtea prolixè iuit, iam tum habebat eum in æſtimio & cultu; facilè præſumitur tanti Antiſtitis humiles preces fruſtra facere noluiſſe.

Didicit interim hoc Antonij, à ſe quodammodo educati exem-

plo, tamquam experimento Auguſtinus, quod ſuperiùs ſcriptum ab eo commemorauimus: Quantumlibet vigilet diſciplina domûs meæ, homo ſum, & inter homines viuo, &c. *Epiſt.* 137. Imò non in Antonio ſolùm id expertus, ſed & in Paullo Epiſcopo pridem Cataquenſe: de quo cap. ſequenti.

§. V.

Paullum Cataquenſem obiurgat.

FVerat & ipſe ex Auguſtini contubernio ad Eccleſiæ Cataquenſis regimen aſſumtus. In quo cùm ita ſe gereret, vt ſemetipſum curis & ſarcinis ſæcularibus implicando, etiam res, quibus anteà renuntiauerat, poſt renuntiationem reſorberet; atque ita viueret, vt ei frugalitas Eccleſiæ ſuæ ſufficere non poſſet; hominem tam acriter Auguſtinus corripuerat, vt ſe putaret ab admonentis communione excidiſſe.

Sed non eouſque irarum peruenerat vir manſuetus: qui in re maniſeſtâ diligenter vtique cauerat; ne aliis prædicans, ipſe reprobus inueniretur: aut ita velle eiicere ſtipulam de oculo fratris, vt trabem nutriret in ſuo. Sed vt tibi (inquit ad Paullum ſcribens) non communicem, nulla cauſſa eſt, niſi quia tibi adulari non poſſum. Tibi enim maximè debeo (quia in Chriſto Ieſu per Euangelium ego te genui) ſalubrem mordacitatem charitatis, veraciter obiurgando. Cùm autem in ea profeſſione viuere dicaris, cui frugalitas Eccleſiæ tuæ ſufficere non poſſit; vt quid quæris communionem meam, cùm audire numquam volueris admonitionem meam? &c. *Epiſt.* 226. videri poteſt & *Epiſtola* 124. *&* 129. quibus Olympio Bonifacium commendat, Paulli in Epiſcopatu Cataquenſi ſucceſſorem, obſecratque vt quæ debita Paullus contraxerat, Bonifacio condonentur, &c.

§. VI.

Scribit contra IV. *Libros Iuliani.*

QVatuor interea libros Iuliani, quos primo Auguſtini de Nuptiis & Concupiſcentiâ oppoſuerat, Claudio Epiſcopo mittente Auguſtinus accepit. *Epiſt. prælim. ad ll. cont. Iul.* Comperit in iis illa, quæ ex eis decerpſerat collector, qui ea Comiti Valerio miſerat, ſuprà l. 3. cap. 24. §. 9. non omnia eo modo quo à Iuliano dicta fuerant, ad eundem Comitem ſcripta; ſed nonnulla eorum aliquantum fuiſſe mutata. *l. 2 Retract. c. 62.*

Vnde quia videri Iuliano poterat vel cuilibet Pelagianorum, mentitum potius fuiſſe Auguſtinum: quia non vtique ſicuti hi quatuor libri Iuliani, ita illa quæ de his excerpta & memorato Comiti miſſa ſunt, innoteſcere potuerunt; *Epiſt. præ'im. ad ll. cont. Iul.* ſcripſit Auguſtinus ſex libros aduerſus illos quatuor. In horum duobus primis; teſtimoniis Sanctorum qui fidem Catholicam poſt Apoſtolos defenderunt, Iuliani impudentia redarguitur: qui tamquam Manichæorum dogma Catholicis obiiciendum putauit, quia ex Adam trahi dicunt Originale peccatum, quod per lauacrum regenerationis non ſolùm in maioribus, verumetiam in paruulis ſoluitur. Quantum autem Iulianus ipſe quibuſdam ſententiis ſuis adiuuet Manichæos; in primi ſui libri parte poſteriore monſtrauit. *l.1.c.8.* Ceteri verò quatuor libri totidem redduntur Iuliani, ſingulis ſinguli. *l. 2. Retract. c.62.*

Quemadmodum auguratus fuerat Auguſtinus, ita euenit. Quia Iulianus accepto illo ſecundo libro de Nuptiis & Concupiſcentia, quem Auguſtinus excerptis ex opere Iuliani repoſuerat; tantam ei concitauit inuidiam, quantam feciſſet ſi datâ operâ, & ex mera obſtinataque malitia, librorum aduerſarij ſui corruptor eſſe voluiſſet. Hinc conuitiorum plauſtra in eum euomuit: impudentiam Auguſtini ſe mirari ſatis non poſſe: induratam eſſe Numidæ frontem: turpiſſimâ leuitate concitatum, in certamen maximum luminibus inuolutis Andabatarum more procedere: falſitate & malignitate eius, excerpta

eſſe illa compoſita: & Ciceronis verbis, in Catilinam declamatis, quaſi in publicum parricidam debacchatus eſt. *l.* 1. *op. imp. cap.* 17. 20. *&* 23.

Verùm vti libris quatuor anteà editis ad Bonifacium contra duas Epiſtolas Pelagianorum, prorſus eos Auguſtinus ſuppeditauit; ita hos ſex aduerſus Iulianum, opus elaboratum ipſe nuncupat: *l.* 2. *Retract. c.* 62. cui proinde neque Iulianus, neque Pelagianorum vllus, quidquam reperit quod opponeret: Claudio Epiſcopo dedicatum, à quo ſibi volumina iſta quatuor Iuliani miſſa fuerant. Quare hallucinati ſunt, qui exiſtimarunt hoſce ſex libros, aliis octo Iuliani oppugnatos fuiſſe, cùm iis octo nihil aliud ſibi refutandum Iulianus ſumſerit, quàm ſecundum librum de Nuptiis & Concupiſcentia, vt teſtatur ipſe Auguſtinus *l.* 1. *op. imp. c.* 1.

Ita quidquid Iulianus, magno ſtudiò & laborioſâ totiloquentiâ vndequaque exſculpſerat, quidquid alicuius momenti & roboris videbatur; maiori eloquentiæ, rationum, ac Scripturarum pondere Auguſtinus proſtrauit.

CAPVT IV.

ADRVMETINI AB ERRORE CVRATI PER AVGVSTINVM.

§. I.

Errores Adrumetinorum qui fuerint, & quando cœperint.

Anno 425. ADRVMETVM, Bizacij, vnius ex Africæ regionibus, ciuitas eſt, inter Aphrodiſium & Leptim paruam. Ab eâ monachi quidam ADRVMETINI dicti, in Gratiæ doctrinâ errare cœperunt, Anno circiter CCCC. XXV. Id longè veriſimilius eſt, quàm quod

quòd opinatur Baronius, accidiſſe circa Annum iſtius ſæculi decimumoctauum, ſeptem nimirum antea.

Etenim ad eos Monachos ſcripſit Auguſtinus ante Paſcha: vt patet *Epiſt.* 46. *&* 47. quo tempore Anno decimo octauo, occupatus erat in Synodo Carthaginenſi rebus aliis: vt colligi ex iis poteſt, quæ ſuprà retulimus. Vtrumque præterea volumẽ ad Monachos ſcriptum, poſtremo loco recenſetur in Opere Retractationum: quod ſanè opus Anno ſequente ſcribere aggreſſus eſt poſtquam ſucceſſorem Eradium deſignauerat: vt mox dicemus.

Porrò Adrumetinorum error in eo verſabatur: quòd quidam inter eos quinque numero (vt fatetur Valentinus *Epiſt.* 256.) ſic prædicarent Gratiam, vt negarent hominis eſſe liberum arbitrium: quodque grauius eſt, dicerent, in die iudicij non redditurum Deum vnicuique ſecundùm opera eius. *Epiſt.* 46.

Eduxerant hunc errorem ex Epiſtolâ Auguſtini ad Sixtum Romanæ Eccleſiæ Presbyterum: quam, prælegente ſiue dictante Floro, malè intellexerant. Dum enim in eâ Auguſtinus contra Pelagianos agit, qui dicebant Gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari; (vt qui gloriatur, non in Domino, ſed in ſeipſo glorietur, hoc eſt, in homine, non in Domino) oſtenderat probaueratque per teſtimonia Scripturarum, id eſſe falſiſſimum: adeòque & bona opera noſtra, & pias orationes, & rectam fidem, nullo modo in nobis eſſe poſſe; niſi hæc omnia acceperimus ab illo, de quo dicit Apoſtolus Iacobus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*: haud interim excludens vel bonum piorum meritum, vel malum impiorum, ob quod vtrumq; Deus ſaluat & iudicat mundum: quodque dici minimè poſſet, ſi non eſſet liberum arbitrium. Nam, Si non eſt (inquit) Dei Gratia, quomodo ſaluat mundum? Et ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum? *Epiſt.* 46.

Cùm igitur Monaſterium Adrumetinum eſſet ob hanc dogmatis nouitatem nonnullâ diſſenſione turbatum; ad Auguſtinum profecti Creſconius & Felix ex eâdem congregatione, litteras ab eo obtinuerunt ad Valentinum monaſteriarcham, quibus Epiſtolæ ſuæ (cuius iam meminimus) ſenſum declarat. Subditque: Meliùs autem facitis (quod multum rogo) ſi ipſum à quo dicunt ſe fuiſſe turbatos, ad me mittere non grauemini. Aut enim non intelligit librũ meum, aut fortè ipſe non intelligitur, &c. *Epiſt.* 46. Ad eumdem, atque

iiſdem

iiſdem ex cauſſis, compellente (vt ait) mutuâ charitate, ſcripſit librum cui titulus eſt, De Gratia & libero arbitrio. *eiuſd. libri cap. 1. & 2. Retract. cap. 66.*

§. II.

Gratiam & Liberum arbitrium Auguſtinus iuncta voluit.

LVctatus ergo hactenùs ſanctus Antiſtes cum iis qui Dei gratiam, ſublato in thronum & imperium libero arbitrio, abolere & ſupprimere nitebantur; nunc hoc ipſum, propter alios errantes, ſtabiliendum duxit: vt cum Gratiâ liberoque ſimul arbitrio rectam tenere viam edocti, neque in dexteram nimiùm, neque in ſiniſtram exorbitemus.

Hinc poſtquam prioribus Libri iam memorati capitibus oſtendiſſet Scripturarum teſtimoniis ſanctarum, ad bene viuendum & rectè agendum eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium; oſtendit deinceps ſimilibus teſtimoniis neceſſitatem gratiæ, ſine quâ nihil boni agere poſſumus. *libro de grat. & lib. arb. cap. 4. 5. & 6.* Neque hoc ſolùm, ſed eâdem opus eſſe etiam ad credendum, imò ad credendi voluntatem: Apoſtolo, qui licet dixiſſet, *fidem ſeruaui*, liberum inſinuans arbitrium; addente, *miſericordiam conſecutus ſum, vt fidelis eſſem.* Non enim dixit, Miſericordiam conſecutus ſum, quia fidelis eram; ſed, vt fidelis eſſem: hinc oſtendens etiam ipſam fidem haberi, niſi Deò miſerante, non poſſe: & eſſe donum Dei. *eod. l. c. 7. & 14.*

Nec obſtat quod ſcriptum eſt: *Si volueris, conſeruabis mandata.* Ad hoc enim valet iſtud, vt homo qui voluerit & non potuerit, nondum ſe plenè velle cognoſcat: & oret vt habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiuuatur, vt faciat quod iubetur. *eod. l. c. 15.*

Magnum, inquit, aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: Non iuberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideo iubet aliqua quæ non poſſumus, vt nouerimus

quæ

quæ ab illo petere debeamus. Certum enim eſt, nos mandata ſeruare, ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino; ab illo petendum eſt vt tantum velimus, quantum ſufficiat vt volendo faciamus. Certum eſt nos velle cùm volumus; ſed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum eſt, *Præparatur voluntas à Domino*: de quo dictum eſt, *A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet*: de quo dictum eſt, *Deus eſt qui operatur in nobis & velle.* Certum eſt nos facere cùm facimus; ſed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: *Faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis & faciatis.* Cum dicit, faciam vt faciatis; quid aliud dicit, niſi, auferam à vobis cor lapideum, vnde non faciebatis; & dabo cor carneum, vnde faciatis? Et hoc quid eſt niſi auferam cor durum, vnde non faciebatis: & dabo cor obediens, vt faciatis? Ille facit vt faciamus, cui dicit homo, *Pone Domine cuſtodiam ori meo*: quod beneficium Dei iam fuerat conſecutus, qui dixit, *Poſui ori meo cuſtodiam. eod. lib. c.* 16.

§. III.

Summa Libri De Grat. & Lib. arbitrio: & Paræneſis ad Adrumetinos.

ATque his, aliiſque pluribus ita habentibus ſubiungit: Satis me diſputaſſe arbitror aduerſus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, quâ voluntas humana non tollitur, ſed ex malâ mutatur in bonam, & cùm bona fuerit, adiuuatur: & ſic diſputaſſe; vt non magis ego, quàm Diuina ipſa Scriptura vobiſcum locuta ſit, euidentiſſimis teſtimoniis veritatis.

Quæ Scriptura Diuina, ſi diligenter inſpiciatur; oſtendit non ſolùm bonas hominum voluntates quas ipſe facit ex malis, & à ſe factas bonas, in actus bonos & in æternam dirigit vitam; verumetiam illas quæ conſeruant ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas quo voluerit, quando voluerit faciat inclinari, vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam inge-

rendas ſicut ipſe iudicat; occultiſſimo quidem iudicio, ſed ſine vlla dubitatione iuſtiſſimo. *eod. l. c. 20.*

Quapropter ad Monachos poſtremò conuerſus; Repetite, inquit, aſſiduò librum iſtum: & ſi intelligitis, Deo gratias agite: vbi autem non intelligitis, orate vt intelligatis: dabit enim vobis Dominus intellectum. Mementote ſcriptum eſſe: Si quis veſtrum indiget ſapientia; poſtulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. *eod. l. c. 24.* Semel lectum, nullo modo arbitremini, ſatis vobis innoteſcere potuiſſe. Si ergo eum fructuoſiſſimum habere vultis; non vos pigeat relegendo habere notiſſimum: vt dilucidiſſimè ſciatis, quibus & qualibus quæſtionibus ſoluendis atque ſanandis non ibi humana, ſed diuina occurrat auctoritas: à quâ recedere non debemus, ſi volumus peruenire quò tendimus. *l. de corrept. & grat. cap. 1.*

§. IV.

Adrumetini à priore errore curati, in alium mox deuoluuntur.

LIber Auguſtini vbi Adrumetum delatus eſt, ingenti gaudio Valentinum, totamque Monachorum ſocietatem perfudit: vt ſicut Apoſtoli Dominum poſt reſurrectionem prandentem ſecum, non audebant interrogare quis eſſet, ſciebant enim quia Ieſus eſt; ita nec nos, voluimus, inquit Valentinus, nec auſi ſumus interrogare de libro, vtrum tuæ Sanctitatis eſſet: cùm ipſa fidelium gratia in eo liberaliter commendata nobis, tuis, Domine ſancte Papa, eloquiis viuaciſſimis conteſtetur. *Epiſt. 256.*

Narrat deinde vt eo libro, tamquam medicamento, curati ſint omnium animi: vt gratiam ſimul & liberum arbitrium, non alterum ſine altero, ad bona opera concurrere faterentur.

Denique adiungit: Ora Domine Pater, vt non vrgeat ſuper nos puteus os ſuum, vt ſaluemur à deſcendentibus in lacum, vt non pereat cum impiis anima noſtra per ſuperbiam noſtram, ſed ſanetur per Domini gratiam. *Poſt paucula.* Ora Domine & dulciſſime

ſime Pater, vt fugiat Diabolus de congregatione noſtra: & amotâ omni alienarum quæſtionum procellâ, nauis propoſiti noſtri, epibatis quietis onuſta, intra ſtationem tutiſſimi portûs ſecurè conſiſtat: & dum nauigat per hoc mare magnum & immenſum, in illo portu, intra quem iam non erit metuendum vitæ naufragium, mercium indiſcrepans accipiat pretium placitarum. *ead. Epiſt. 256.*

Sed non fuit hæc diuturna tranquillitas, quando in alium mox errorem præcipitati ſunt. Nam cùm vnus iſthîc Gratiam ſecundum appellationem ſuam, à gratuitâ Dei beneuolentiâ dependere intellexiſſet; repentè commentus eſt, Neminem corripiendum, ſi Dei præcepta non facit; ſed tantummodò, vt faciat, pro illo orandum. *l. 2. Retract. c. 67.*

§. V.

Et ab hoc errore eos liberat Auguſtinus libro De Corrept. & Gratiâ.

HAnc opinionem falſam ſedulus Antiſtes vt ab vnius errantis, & quorumuis aliorum animis eriperet; ad eoſdem Monachos Adrumetinos alterum librum conſcripſit, quem De Correptione & Gratia prænotauit. *l. 2. Ret. c. 67.* In eo oſtendit, neque Gratiâ prohiberi correptionem, neq; correptione negari gratiam: ideoq; ſic præcipiendam iuſtitiam; vt à Deo gratia, quâ id quod præcipitur fiat, fideli oratione poſcatur: & hoc vtrumque ita eſſe faciendum, vt iuſta nullatenus correptio negligatur. *l. de corrept. & grat. c. 16.*

In hanc rem cùm multa elegantiſſimè ac ſolidiſſimè diſputaſſet: Patiantur, inquit, homines ſe corripi quando peccant: nec de ipſa correptione contra gratiam argumententur, nec de gratia contra correptionem: quia & peccatis iuſta pæna debetur, & ad ipſam pertinet iuſta correptio quæ medicinaliter adhibetur, etiamſi ſalus ægrotantis incerta eſt. Vt, ſi is qui corripitur, ad prædeſtinatorum numerum pertinet, ſit ei correptio ſalubre medicamentum; ſi autem

 non

non pertinet, ſic correptio pœnale tormentum, &c. *l. de Corrept. & Grat. cap.* 14.

Corripiantur itaque à præpoſitis ſuis ſubditi fratres, correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diuerſitate diuerſis, vel minoribus vel amplioribus. *eod. l. c.* 15. Neſcientes enim quis pertineat ad prædeſtinatorum numerum, quis non pertineat; ſic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus ſaluos fieri. Hoc quippe fit, cùm ſingulos quoſque vt occurrerint cum quibus id agere valeamus, ad hoc conamur adducere, vt iuſtificati ex fide, pacem habeant ad Deum. *eod. l. & c.*

Ad nos ergo, qui neſcimus quiſnam ſit filius pacis aut non ſit, pertinet, nullum exceptum facere, nullumque diſcernere, ſed velle omnes ſaluos fieri, quibus prædicamus hanc pacem. Neque enim metuendum eſt nè perdamus Deum, ſi ille, cui prædicamus, non eſt filius pacis ignorantibus nobis. Ad nos enim reuertetur, id eſt, nobis proderit hæc prædicatio, non & illi: ſi autem ſuper eum pax prædicata requieuerit; & nobis, & illi. Quia ergo nos, qui ſalui futuri ſunt neſcientes, omnes, quibus prædicamus hanc pacem, ſaluos fieri velle Deus iubet; & ipſe in nobis hoc operatur, diffundendo iſtam charitatem in corda noſtra per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Poteſt enim ſic intelligi, quod omnes homines Deus vult ſaluos fieri, quoniam nos facit velle: ſicut miſit ſpiritum filij ſui, clamantem Abba pater, id eſt, nos clamare facientem. *eod. c.* 15.

Quem huius loci ſenſum iam allegat, licet præcedenti capite aſſignaſſet nunc (multis enim modis intelligi hic locus poteſt, vt ibidem fatetur) vt per particulam *Omnes*, intelligantur omnes prædeſtinati: quia omne genus hominum in eis eſt: ſicut dictum eſt Phariſæis, *Decimatis omne olus*: vbi non eſt intelligendum niſi omne olus quod habebant: neque enim omne olus quod erat in toto orbe terrarum, decimabant, &c. *eod. l. c.*14.

Verum quidem eſt quia nemo perit, niſi filius perditionis; ſed ait Deus per Ezechielem Prophetam: *Ille quidem in peccato ſuo morietur; ſanguinem verò eius de manu ſpeculatoris inquiram.* Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædeſtinatos à non prædeſtinatis diſcernere non valemus, & ob hoc omnes ſaluos fieri velle debemus; omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda eſt

à no-

à nobis medicinaliter ſeuera correptio : Dei eſt autem illis eam facere vtilem , quos ipſe præſciuit & prædeſtinauit conformes imaginis filij ſui. *eod. libro cap.* 16. Videri poteſt *libro Enchirid. cap.* 32. vbi hunc errorem attingit, priuſquam naſceretur. Adrumeti itaque protenus pacata ſunt omnia.

CAPVT V.

AVGVSTINVS A SE EDITA RECOGNOSCIT.

§. I.

Iam pridem id agitauerat.

STatuerat pridem ſanctus Doctor (cùm haud difficulter aduer- Anno
tiſſet ex eorum ſe numero eſſe , qui proficiendo ſcribunt & 426.
ſcribendo proficiunt) omnium quæcumque aliquando ſcripſerat edideratque, inire examen: &, ſi quid in iis reperiſſet vel incautiùs vel indoctiùs à ſe poſitum; ſiue configere, ſiue emendare, ſiue in meliorem ſenſum interpretari. Hinc enim Marcellino ante plures annos ſcribens , dixerat : Si mihi Deus quod volo præſtiterit , vt omnium librorum quæcumque mihi rectiſſimè diſplicent, opere aliquo ad hoc ipſum inſtituto , colligam atque demonſtrem ; tunc videbunt omnes homines , quàm non ſim acceptor perſonæ meæ. *Epiſt.* 7. Ac paucis interiectis :

Romani , inquit, maximus auctor Tullius eloquij , de quodam refert , nullum vmquam verbum emiſiſſe , quod reuocare vellet. Verùm laus hæc , quamuis præclariſſima videatur ; credibilior tamen eſt de nimium fatuo, quàm de ſapiente perfecto. Nam & illi quos vulgò Moriones vocant , quanto magis à ſenſu communi diſſonant , magiſque abſurdi & inſulſi ſunt ; tantò magis nullum verbum emittunt , quod reuocare velint : quia dicti mali, vel ſtulti, vel

incommodi pœnitere, vtique cordatorum eſt. Sed ſi in bonam partem accipiantur, & quempiam talem fuiſſe credamus, qui, cùm ſapienter omnia loqueretur, nullum vnquam verbum quod reuocare vellet emiſit: hoc potiùs de hominibus Dei, qui Spiritu ſancto acti locuti ſunt; quàm de illo quem ſic Cicero laudat, ſaluberrimâ pietate credendum eſt.

Ab hac ergo excellentiâ tam longè abſum, vt ſi nullum verbum quod reuocare vellem protulero, fatuo ſim quàm ſapienti ſimilior. Illius quippe ſcripta ſummâ ſunt auctoritate digniſſima, qui nullum verbum, non quod reuocare vellet, ſed quod reuocare deberet, emiſit. Hoc quiſquis nondum eſt aſſecutus, ſecundas habeat partes modeſtiæ, quia primas non potuit habere ſapientiæ: quia non valuit omnia non pœnitenda, diligenter dixiſſe; pœniteat, quæ cognouerit dicenda non fuiſſe

Cùm ergo non ſicut quidam chariſſimi mei putant, nulla, vel pauca, ſed potiùs plura fortaſſe quàm etiam maledici opinantur, verba dixerim, quæ mallem reuocare ſi poſſem; non mihi Tulliana illa blanditur ſententia, quâ dictum eſt: Nullum vmquam verbum quod reuocare vellet, emiſit: ſed angit me planè Horatiana ſententia: Neſcit vox miſſa reuerti. *eâd. Epiſt.* 7. Quò facit, quod & alibi aiebat: Sicut laudabile eſt, à verâ ſententiâ non amoueri; ita culpabile, perſiſtere in falsâ: quam numquam tenere, prima laus eſt; ſecunda mutare: vt aut ex initio vera permaneat, aut mutatâ falsâ vera ſuccedat. *l. 3. cont. Creſcon. cap.* 3.

§. II.

Coadiutorem adſciſcit Eradium Presbyterum.

QVod igitur tam diu ſerioque agitauerat, opere nunc complere ſtatuit. Obſtabant Epiſcopalis dignitatis munia, quæ ad hoc agendum, otium haudquaquam permittebant. Id ſanè experimento didicerat, quando quinque ſaltem diebus vacare aliquando permiſſus non eſt, vt Scripturas tantiſper erueret quibus falſitas demonſtraretur Pelagiani erroris.

Ea-

Eapropter occurrit recens Seueri Epiſcopi Mileuitani exemplum: vt, ſicuti hic morte inſtante ſucceſſorem nominauit, quem deinde accepit; ita iam id ætatis Auguſtinus coadiutorem deſignet, in cuius humeros transferat occupationes, quibus admodum diſtrahebatur: donec peracto operum ſuorum luſtro, quidquid offendere poterat, caſtigaſſet.

Id ipſum vt reliqui Patrum effeciſſent, vti vehementer optamus; ita prorſus neceſſarium plures ob cauſſas in Auguſtino fuit: cui hanc perinde cogitationem non alius, quàm pater ipſe luminum ſuggeſſit: & perficiendi ex parte otium, vires, vitamque indulſit. Videamus quomodo id agere ſit aggreſſus.

Glorioſiſſimo Theodoſio duodecies, & Valentiniano Augu- "
ſto iterum Conſule, ſexto Kalendas Octobris, cùm Auguſtinus "
Epiſcopus, vnà cum Religiano & Martiano Coëpiſcopis ſuis, con- "
ſediſſet in Eccleſia Pacis Hipponenſium Regiorum (erat illa vt "
exiſtimo Cathedralis) præſentibus Saturnino, Leporio, Barna- "
bâ, Fortunatiano, Ruſtico, Lazaro, & Eradio Presbyteris, "
adſtante Clero & frequente populo, Auguſtinus Epiſcopus "
dixit:

Quod heſterno die promiſi charitati veſtræ, propter quod vos "
volui frequentiùs conuenire, & video frequentiùs conueniſſe, mo- "
râ omni poſtpoſitâ hoc agendum eſt. Si enim aliud velim loqui; "
in illud ſuſpenſi, minùs auditis. Omnes in hac vitâ mortales ſu- "
mus, & dies huius vitæ vltimus, omni homini eſt ſemper incer- "
tus. Verumtamen in infantiâ ſperatur pueritia, & in pueritiâ ſpe- "
ratur adoleſcentia, & in adoleſcentia ſperatur iuuentus, & in iuuen- "
tute ſperatur grauitas, & in grauitate ſperatur ſenectus. Vtrum con- "
tingat, incertum eſt: eſt tamen quod ſperetur. Senectus autem aliam "
ætatem quam ſperet, non habet. Incertum eſt enim, ipſa ſene- "
ctus quamdiu ſit homini. Illud tamen certum eſt, nullam rema- "
nere ætatem, quæ poſſit ſuccedere ſenectuti. "

Quia voluit Deus, ad iſtam ciuitatem cum vigore ætatis aduê- "
ni: & tamen iuuenis fui, & ſenui. Scio poſt obitum Epiſcopo- "
rum, per ambitioſos aut contentioſos ſolere Eccleſias perturbari: "
&, quod ſæpe expertus ſum & dolui, debeo quantum ad me atti- "
net, ne contingat huic proſpicere ciuitati. Sicut nouit charitas ve- "
ſtra, in Mileuitana Eccleſia modò fui: petierant enim me fratres, "
& maxi-

„ & maximè ſerui Dei qui ibi ſunt, vt venirem: quia poſt obi-
„ tum beatæ memoriæ fratris & coëpiſcopi mei Seueri, nonnul-
„ la ibi perturbatio populi timebatur. Veni, & quomodo volui,
„ Dominus adiuuit nos pro ſua miſericordia, vt cum pace Epiſco-
„ pum acciperent, quem viuus deſignauerat Epiſcopus eorum. Hoc
„ enim eis cùm innotuiſſet; voluntatem præcedentis & decedentis
„ Epiſcopi ſui libenter amplexi ſunt. Minùs tamen aliquid factum
„ erat, vnde nonnulli contriſtabantur: quia frater Seuerus credidit
„ poſſe ſufficere, vt ſucceſſorem ſuum apud Clericos deſignaret, a-
„ pud populum inde non eſt locutus: & erat inde aliquorum non-
„ nulla triſtitia. Quid plura? Deo placuit: triſtitia fugata eſt: gau-
„ dium ſucceſſit: Ordinatus eſt Epiſcopus, quem præcedens Epiſco-
„ pus deſignauerat.

„ Ergo nè aliquis de me queratur, voluntatem meam, quam credo
„ Dei eſſe, in omnium veſtrum notitiam perfero: Presbyterum Era-
„ dium mihi ſucceſſorem volo. A populo acclamatum eſt: Deo Gra-
„ tias, Christo Lavdes, dictum eſt vicies ter. Exavdi Chri-
„ ste: Avgvstino Vita, dictum eſt ſexies decies: Te Patrem,
„ te Episcopvm, dictum eſt octies.

„ Cumque reticeretur, Auguſtinus Epiſcopus dixit: Non opus eſt
„ me de laudibus eius aliquid dicere: faueo ſapientiæ, & parco vere-
„ cundiæ: ſufficit, quia noſtis eum: & hoc me velle dico, quod vos
„ velle ſcio: & ſi ante neſcirem, hodie probarem. Hoc ergo volo, hoc à
„ Domino Deo noſtro nunc etiam in ætate frigidâ votis feruentibus
„ poſco: hoc vt mecum oretis exhortor, admoneo, rogo, vt omnium
„ in pace Chriſti collatis & conflatis mentibus, confirmet Deus quod
„ operatus eſt in nobis. Qui miſit mihi eum, ſeruet incolumem, ſeruet
„ ſine crimine: vt qui facit gaudium viuentis, locum ſuppleat mo-
„ rientis.

„ A Notariis Eccleſiæ ſicut cernitis, excipiuntur quæ dicitis: &
„ meus ſermo, & veſtræ acclamationes in terram non cadunt. Aper-
„ tiùs vt dicam, Eccleſiaſtica nunc geſta conficimus. Sic enim hoc eſſe,
„ quantum ad homines attinet, confirmatum volo. A populo accla-
„ matum eſt trigeſies ſexies, Deo Gratias, Christo lavdes.
„ Exavdi Christe, Avgvstino Vita, dictum eſt tredecies.
„ Te Patrem, Te Episcopvm; dictum eſt octies. Dignvs et
„ ivstvs est, dictum eſt vicies. Bene meritvs, Bene dignvs,
„ dictum eſt quinquies. Cumque

Cumque reticeretur, Auguſtinus Epiſcopus dixit. Scio, quod ſci- “
tis & vos: ſed nolo de illo fieri, quod de me factum eſt. Quid autem “
factum ſit, multi ſcitis. Illi ſoli neſciunt, qui tunc aut nondum nati “
erant, aut nondum habebant ætatem ſciendi. Adhuc in corpore po- “
ſito, beatæ memoriæ Patre & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus “
ordinatus ſum, & ſedi cum illo: quod Concilio Nicæno prohibitum “
fuiſſe neſciebam: nec ipſe ſciebat. Quod ergo reprehenſum eſt in me, “
nolo reprehendi in filio meo. A populo acclamatum eſt, Deo Gra- “
tias, Christo lavdes, dictum eſt tredecies. “

Cumque reticeretur; Auguſtinus Epiſcopus dixit: Erit Presby- “
ter, vt eſt: quando Deus voluerit, futurus Epiſcopus. Sed planè mo- “
dò facturus ſum, adiuuante miſericordiâ Chriſti, quod adhuc non “
feci. Noſtis ante aliquot annos, quid facere voluerim, & non per- “
miſiſtis. Placuit mihi & vobis, propter curã Scripturarum, quam mihi “
fratres & patres mei Coepiſcopi duobus Conciliis, Numidiæ & Car- “
thaginis, imponere dignati ſunt, vt per quinque dies nemo mihi mo- “
leſtus eſſet. Geſta confecta ſunt. Placuit: acclamaſtis. Recitatur placi- “
tum veſtrum, & acclamatio veſtra. Paruo tempore ſeruatum eſt circa “
me, & poſtea violenter irruptum eſt: & non permittor ad quod volo “
vacare. Ante meridiem & poſt meridiem, occupationibus hominum “
teneor. Obſecro vos & obſtringo per Chriſtum, vt huic iuueni, huic “
Presbytero Eradio, quem hodie in nomine Chriſti deſigno Epiſco- “
pum ſucceſſorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum “
mearum. A populo acclamatum eſt Ivdicio tvo gratias agi- “
mvs, dictum eſt vigeſies ſexies.

Cumq; reticeretur, Auguſtinus Epiſcopus dixit: Ego charitati & “
beneuolentiæ veſtræ, apud Dominum Deum noſtrũ gratias ago: imò “
de illâ, Deo gratias. Ergo, fratres, quidquid eſt quod ad me perfereba- “
tur, ad illum perferatur. Vbi neceſſariũ habuerit conſilium meum, non “
negabo auxilium. Abſit vt me ſubtraham. Tamen quidquid illud eſt, “
quod ad me perferebatur ad illum perferatur. Ipſe me conſulat, ſi fortè “
non inuenit quid facere debeat: aut poſcat adiutorem, quem nouit pa- “
trem: vt & vobis nihil deſit, & ego tandem aliquando, ſi quantu- “
lumcumque ſpatium mihi huius vitæ donauerit Deus, ipſam meam “
quantulamcũque vitam non dem ſegnitiei, nec donem inertiæ, ſed in “
ſanctis Scripturis, quantum ipſe permittit & largitur, exerceam. Hoc “
& ipſi proderit, & per ipſum etiam vobis. Nemo ergo inuideat otio “

 meo; “

„ meo; quia meum otium, magnum habet negotium.
„ Video me de hac re, propter quam vos inuitaui, omnia vobiſcum
„ egiſſe quæ debui. Hoc ad vltimum rogo, vt geſtis iſtis dignemini
„ ſubſcribere, qui poteſtis. Hic mihi reſponſione veſtra opus eſt: teneam
„ reſponſionem veſtram. De hac aſſenſione aliquid acclamate. A po-
„ pulo acclamatum eſt: FIAT FIAT, dictum eſt vicies quinies. DI-
„ GNVM ET IVSTVM EST, dictum eſt vicies octies. FIAT FIAT, di-
„ ctum eſt quaterdecies. OLIM DIGNVS, OLIM MERITVS, dictum
„ eſt vicies quinquies. IVDICIO TVO GRATIAS AGIMVS, dictum
„ eſt tredecies. EXAVDI CHRISTE, ERADIVM CONSERVA, dictum
„ eſt octies decies.
„ Cumque reticeretur, Auguſtinus Epiſcopus dixit: Bene habet, vt
„ ea quæ Dei ſunt circa ſacrificium eius agere valeamus; in qua hora
„ ſupplicationis noſtræ maximè commendo charitati veſtræ, vt omnes
„ veſtras cauſſas & negotia intermittatis: & pro iſta Eccleſia, & pro me,
„ & pro Presbytero Eradio, Domino precem fundatis.

Atque hæc ſunt geſta Eccleſiaſtica, à Notariis excepta: quæ ſub titulo Epiſtolæ centeſimæ decimæ continentur Tomo II. vel idcirco à capite ad calcem exhiberi digna, quod præter hiſtoriam, plura habeant ſcitu lectuque iucunda.

§. III.

Auguſtinus quot annis cum Valerio ſederit?

Ætat. 72. QVoniam memorati in principio Geſtorum quæ iam retulimus, Conſules incidunt in Annum CCCC. XXVI; agebat tum Auguſtinus ætatis ſeptuageſimum ſecundum: cumque ſpecialiter mentionem faciat, in Actis, erroris circa ſe à Valerio commiſſi, de quo anteà egimus lib. 1. cap. 3. §. 1. dicam tantummodò quot circiter annis vnà cum Valerio ſederit in Cathedra Hipponenſi.

Ac Valerius quidem tum adhuc ſupererat, cùm Auguſtinus inuitauit Proculianum, Hipponenſem Donatiſtarum Epiſcopum, ad mutuam collationem, ſicuti patet *Epiſtolâ* 147. vbi ait: De animo beatiſſimi & Venerabilis mihi patris Valerij, nunc abſentis, totâ ſecuritate pol-

te polliceor, hoc eum cum magna lætitia cogniturum. Ea verò inuitatio cùm ſit facta poſt Concilium Carthaginenſe, habitum Theodoſio iuniore & Rumorido Coſſ. qui incidunt in Annum CCCC. III. ipſeque Auguſtinus creatus ſit Epiſcopus Anno CCC. XCV. Olybrio & Probino Coſſ. vt ex Proſpero ſuprà retulimus; colligitur octo ſaltem aut nouem annis cum Valerio ſediſſe: aut etiam pluribus, quando mortis Valerij annus, poſtea ſecutæ, ignoratur.

§. IV.

Auguſtinus orditur Libros Retractationum.

CVrâ igitur Epiſcopalis oneris in Eradium Presbyterum translatâ, Operum ſuorum Retractationem auſpicatus eſt, hoc exordio:

Iamdiu iſtud facere cogito atque diſpono, quod nunc adiuuante Domino aggredior, quia differendum eſſe non arbitror: vt opuſcula mea, ſiue in libris, ſiue in Epiſtolis, ſiue in Tractatibus, cum quâdam iudiciariâ ſeueritate recenſeam: & quod me offendit, velut cenſorio ſtylo denotem. Neque enim quiſquam niſi imprudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit.

Sed ſi dicit, non ea debuiſſe à me dici, quæ poſtea mihi etiam diſplicerent; verum dicit, & mecum facit. Eorum quippè reprehenſor eſt, quorum ego. Neque enim ea reprehendere deberem, ſi dicere debuiſſem. Sed qui primas non potuit habere ſapientiæ; ſecundas habeat partes modeſtiæ: vt qui non valuit omnia impœnitenda dicere; ſaltem pœniteat, quæ cognouerit dicenda non fuiſſe.

Sed vt volet quiſque accipiet hoc quod facio; me tamen Apoſtolicam illam ſententiam & in hac re oportet intueri, vbi ait: ***Si nos ipſos iudicaremus, à Domino non iudicaremur.*** Illud enim quod ſcriptum eſt, ***Ex multiloquio non effugies peccatum***; terret me plurimum: non quia multa ſcripſi; vel quia multa etiam quæ dictata non ſunt, tamen à me dicta, conſcripta ſunt: (abſit enim vt multiloquium deputem, quando neceſſaria dicuntur, quantâlibet ſermonum multitudine ac prolixitate dicantur;) ſed iſtam ſententiam Scripturæ ſanctæ propter-

 ea timeo,

ea timeo, quia de tam multis diſputationibus meis, ſine dubio multa colligi poſſunt, quæ ſi non falſa, at certè videantur, ſiue etiam conuincantur non neceſſaria. Quem verò Chriſtus fidelium ſuorum non terruit, vbi ait: *Omne verbum otioſum quodcumque dixerit homo, reddet pro eo rationem in die iudicij?* &c. *Prol. II. Retract.*

§. V.

Poſsidij hac de re teſtimonium.

MEminit eiuſdem rei Poſſidius, dum ait: Ante proximum diem obitûs ſui, à ſe dictatos & editos recenſuit libros: ſiue eos quos primo tempore conuerſionis ſuæ adhuc laicus, ſiue quos Presbyter, ſiue quos Epiſcopus dictauerat: & quæcumque in his recognouit, aliter quàm ſeſe haberet Eccleſiaſtica regula, à ſe fuiſſe dictata vel ſcripta, cùm adhuc Eccleſiaſticum vſum minùs ſciret, minuſque intelligeret; ab ipſomet & reprehenſa & correcta ſunt. Vnde etiam duo ſcripſit volumina, quorum eſt titulus: De recenſione librorum.

Præreptos etiam ſibi quoſdam libros, ante diligentiorem emendationem, à nonnullis fratribus, conquerebatur: licet eos poſtmodum emendaſſet. Imperfecta etiam quædam librorum ſuorum, præuentus morte reliquit. *Poſsid. cap.* 28.

Sanè inter præreptos ante emendationem, teſtatur Auguſtinus ipſe fuiſſe libros de Trinitate: *l. 2. Retract. c.* 15 *Epiſt. prælim. ad ll de Trin.* quos alioquin, quòd eſſent (vti & libri de Geneſi) periculoſiſſimarum quæſtionum, diutius tenebat quàm ferret deſiderium eos habere volentium: vt ſi non potuerint niſi habere aliqua quæ meritò reprehenderentur; ſaltem pauciora eſſent, quàm eſſe poſſent, ſi præcipiti feſtinatione inconſultiùs ederentur, &c. *Epiſt.* 7.

Hinc etiam contigit, vt, licet ad hoc vſque tempus De Geneſi ad litteram libri vndecim eſſent compoſiti; nunc adiecerit duodecimum: in quo diligentiùs de Paradiſo diſputatum eſt: in toto verò opere, plura quæſita, quam inuenta: & eorum quæ inuenta ſunt; pauciora firmata ſunt: cetera ita poſita, velut adhuc requirenda. *lib. 2. Retract. cap.* 24. Huius nihilominùs operis præclarum elogium Caſſiodorus

dorus contexit, vbi ait: De iiſdem principiis ſanctus quoque Auguſtinus, diſertus atque cautiſſimus diſputator, duodecim volumina conſcripſit, quæ doctrinarum penè omnium decore veſtiuit: hæcque vocauit De Geneſi ad litteram. *Caſſ. l.1. de diu. lect. cap.1.*

Ergo quos iuuenis de Trinitate inchoauerat, ſenex edidit: emendatos tamen non vt voluit, ſed vt potuit: ne ab illis qui ſubrepti iam in manus hominum exierant, plurimum diſcreparent. *Epiſt. præ-tim. ad ll. de Trinit.*

§. VI.

Librorum numerus. Speculum ab Auguſtino compoſitum.

RECenſione paullò pòſt finitâ, opera nonaginta tria, in libris ducentis triginta duobus, à ſe dictata recoluit quando hæc retractabat; antequam ſcilicet Epiſtolas ac Sermones ad populum, alios dictatos, alios à ſe dictos, retractare cœpiſſet: totamque recenſionem in duobus libris, fratribus vrgentibus edidit: vtrùm adhuc aliquos eſſet dictaturus, ignorans. *Epilog. ll. Retract.*

Quod licet ita tum haberet; attamen prodeſſe omnibus volens, & volentibus multa librorum legere & non valentibus, ex vtroque diuino Teſtamento Veteri & Nouo, præmiſſa præfatione, præcepta diuina ſeu vetita ad vitæ regulam pertinentia, excerpſit: atque ex his vnum Codicem fecit: vt qui vellet legeret: atque in eo quàm obediens Deo, inobedienſve eſſet, agnoſceret: & hoc opus voluit Speculum appellare. *Poſsid. cap.28.* Extat Tomo III.

Nam cùm conſtet in Scripturis ſanctis quædam ſic eſſe propoſita, vt tantùm ſcirentur & crederentur: vt eſt, quod in principio Deus fecit cælum & terram, & quod in principio erat Verbum, &c. quædam verò ſic eſſe iuſſa, vt obſeruarentur & fierent; vel prohibita, ne fierent: vt eſt, Honora patrem & matrem: &, Non mœchaberis. Horum autem quæ iubendo & vetando ſcripta ſunt; alia eſſe Sacramentorum velata myſteriis, quæ à populo veteris Teſtamenti mandata ſunt fieri, ſicuti eſt Sabbatum, ad viſibilem vocationem: ſicut azyma,

ma, in pane ſine fermento, &c. quæ ſoli nunc Iudæi obſeruant. Alia verò etiam nunc facienda eſſe, ſi facienda præcepta ſunt; nec facienda, ſi prohibita: qualia ſunt quæ dixi, Honora patrem & matrem: &, non mœchaberis; idcirco de his quæ ita ſunt poſita in litteris ſacris, vel iubendo, vel vetando, vel ſinendo, vt etiam nunc, id eſt tempore Noui teſtamenti, ad vitam piam exercendam, moreſque pertineant; hoc opus componere aggreſſus eſt: vt quantum Deus adiuuiſſet, omnia talia de Canonicis libris colligeret; vtque facilè inſpici poſſent, in vnum tamquam Speculum congereret. *Præfat. Speculi.*

Atqui ad componendum hoc opus, vel oportuit eum memoriâ vniuerſam propè Scripturam tenere; vel mirabili ſollertiâ & attentione ab initio ad finem legendo decurrere. Et quia omnium hic ſaluti, atque vtilitati ſpiritali ſudauit; quò vicinior fuit patriæ cæleſti, eò flagrantiori charitate, quæ numquam excidit, arſit.

§. VII.

Non omnia recognouit.

DVm ſic omnia perluſtrat; quia Epiſtolas & Sermones ad populum retractare non cœperat: euenit vt neque Commentariorum ſiue Enarrationum in Pſalmos: neque Tractatuum in Epiſtolam primam & Euangelium Ioannis, aliorumque meminerit.

De his tamen Caſſiodorus agens, atque in primis de Pſalmorum codice: Hunc, inquit, in quibuſdam Pſalmis beatus Hilarius, beatus Ambroſius, & beatus Hieronymus; in omnibus tamen beatus Auguſtinus, ſtudiosè nimis latiuſque tractauit: ex quibus iam duas decadas, Domino præſtante, collegi: à quo vt fieri ſolet, mutuans lumen de lumine, aliqua de ipſo, Domino largiente conſcripſi. *l. diuin. lect. cap.* 4.

De Euangelio verò Ioannis: Ioannem beatus, ait, Auguſtinus, copioſâ & inſigni expoſitione lucidauit. *eod. l. cap.* 7. In Epiſtola prima beati Ioannis, ſanctus Auguſtinus decem ſermonibus multa & mirabiliter de charitate diſſeruit. *ibid. cap.* 8. denique meminit quæſtionum quarumdam, & ſermonum de locis quibuſdam obſcurioribus librorum

rum Regum: *eiuſd.l.c.2.* ſed quæ iàm non exſtant: vti neque Sermones ſeptem, de ſeptem diebus Geneſis. *ibid. cap.1.*

Et quamuis, vt dixi, rem poſteris omninò neceſſariam Auguſtinus exegerit, dum quæcumque olim ſcripſerat, recenſenda ſuſcepit; attamen ſi quod eſt fateri volumus, tam feliciter ipſe, abſque vllo Magiſtro ſeu Doctore, Theologiam vniuerſam exantlauit; vt vnico errore Semipelagiano excepto (in quem aliquando ante Epiſcopatum inciderat, vt pòſt dicemus: ſed mox Scripturàrum luculentiâ conuictus emerſit, vt patet ex Libris ad Simplicianum) nihil docuerit tradideritvè tam infinitis lucubrationibus, quod quemquam poſſet iure meritoque offendere.

Atque hinc duo, de quibus agimus, Retractationum libri, magis in explicandâ doctrinâ ipſius, ac præcauendis alienis erroribus, & caſtigando phraſium quarumdam aut vocabulorum vſu; quàm in propriis erroribus, vel rebus alicuius momenti corrigendis verſantur.

Mirum verò alicui videri poſſit, quòd à morte ipſius tam multa ſint edita, quæ nomen eius mendaciter præferunt, vt videri poteſt ad calcem cuiuſlibet Operum ipſius Tomi: ſed mirari deſinet, ſi cogitauerit id adhuc viuente Auguſtino actitari cœpiſſe, vti ipſemet teſtatur vbi ait: Mihi quidam fratres noſtri nonnulla opuſcula, ſub meo nomine in Hiſpaniam veniſſe dixerunt: quæ quidem ab eis qui alia noſtra legiſſent, non agnoſcerentur, ab aliis tamen noſtra eſſe crederentur: *l. de geſt. Palæſt. cap.6.* Vt ideo minùs mirari debeamus, ſi plura partim ei ſuppoſita ſint, partim ab incauta poſteritate falsò tributa.

§. VIII.

Librorum numerus quem init Poſsidius: de iiſdem Caſsiodori, aliorumq; iudicium.

TEſtatur verò Poſſidius, qui Operum ipſius indiculum concinnauit, feciſſe ad inſtructionem animarum in Eccleſia Catholica libros, Tractatus, Epiſtolas, numero mille triginta: exceptis quæ numerari non poſſunt: quia nec numerum deſignauit ipſorum. *Epil. Indic.* Vide eumdem *c.18.*

vide

Vti autem duos aut tres libros, quos adoleſcens conſcripſerat De Pulchro & Apto, neſcire ſe ait quomodo ſic aberrauerint, vt ne ipſe quidem eos haberet, *l.4.Conf.c.13.* ita exiſtimandum eſt Panegyricum periiſſe, quem Bautoni Conſulatum ineunti dixerat Kalendis Ianuariis Mediolani. *l.3.cont. Petil.cap.25.*

Sed & Caſſiodorus aliquod pronuntiat de eis iudicium, & librorum Retractationum meminit his verbis: Vtiles ſunt ad inſtructionem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, Sancti Ambroſij de Officiis mellifluí libri tres: nec non & beati Auguſtini de vera Religione liber vnus: & de Doctrina Chriſtiana libri quatuor. Item eiuſdem liber vnus, quem de Agone Chriſtiano compoſuit, maximè vobis neceſſarius, qui calcato ſæculo, deſudatis in certamine Chriſtiano. Similiter etiam liber eiuſdem, quaſi Philoſophiæ Moralis, quem pro moribus inſtituendis atque corrigendis ex diuina auctoritate collegit, Speculumque nominauit, magná intentione legendus eſt..

Iam & Sancti Auguſtini viginti duos libros quos de Ciuitate Dei confecit, infaſtidibili ſedulitate percurramus: vbi & Babylonia confuſa, ciuitas diaboli, & ſplendida Hieruſalem vrbs Domini Chriſti, in hominum conuerſatione, competenti diuerſitate monſtratæ ſunt. Scripſit etiam quinque Quæſtiones de Nouo Teſtamento ad Honoratum Presbyterum: & octoginta tres alias, mirificâ deliberatione formatas.

Si quis autem dicta ſua diligenti cupit examinatione purgare, nec incautâ temeritate delinquere; duos libros Retractationum Sancti Auguſtini, ſtudioſâ lectione percurrat: vnde & ſe comat imitando, & agnoſcat quantam ſapientiæ copiam beatiſſimo patri indulgentia diuina contulerit: vt quem nemo poterat fortaſſe reprehendere, ipſe ſe videatur cautiſſimâ retractatione corrigere. *l.diu.lect.c.16.*

Eſt igitur Aurelius Auguſtinus & acumine ingenij, & rerum multitudine, & operis mole, veluti quidam Chryſippus argumentandi virtute, aut Zenon ſenſuum ſubtilitate, aut Varro noſter voluminum magnitudine, inquit Claudianus Mamercus *l.2.de Statu Animæ cap.10.* Quamobrem ipſius Auguſtini tam altè viſa in omnibus fermè diſciplinis eſt auctoritas, vt extra omnem ſit aleam poſita: ſic vt ab ea iam ne tranſuerſum quidem, quod dicitur, vnguem recedi fas habeatur. Etenim tantâ ingenij conſtat eum celeritate viguiſſe; vt quidquid de arte loquendi & diſſerendi, quidquid de dimenſionibus figurarum,

de Muſicis, de Numeris præcipitur; etiam ſine magna difficultate, nullo hominum tradente perceperit: tanto deinde acumine præſtitiſſe diſputandi, vt iure in vno iſto potiſſimum totius veritatis niti patrocinium videatur. *Angel.Politian. l.Miſcellan.cap.*1.

CAPVT VI.

PELAGIANORVM ANALECTA.

§. I.

Alipius in Italiam adfert Librum ſecundum de Nuptiis & Concupiſcentia: cui Iulianus libris octo reſpondere voluit.

VEnerat Anno huius ſæculi CCCC.XXVII. circiter, Alipius iterum in Italiam: quam ob cauſſam, incertum: niſi forte, vt Pelagianam impietatem recenti iuſſione coërceri procuraret. Hanc verò fuiſſe itineris cauſſam, coniectare licet ex petulanti Iuliani dicacitate, qui in id inuectus paullò pòſt, tantum eſſe garriebat Catholicorum pauorem, vt contra Pelagianorum ſanguinem pecuniarum effuſione, hereditatum largitione, equorum tranſmiſſione, populorum ſeditione, poteſtatum corruptione pugnantes, fidem ſuam erubeſcerent profiteri. *l.*1. *operis imperf. cap.* 75. Anno 427.

Eiuſcemodi confictis logis ſugillari videtur Alipij in Italiam aduentus, de quo paullò ſuperiùs Auguſtino improperauerat: Vereor ne frangaris: &, ſi Philoſophorum ego ſenatum aduocauero, tu continuò ſellularios opifices, omneque in nos vulgus accendas: vociferans cum feminis cunctiſque calonibus & tribunis, quibus octoginta ampliùs equos, totâ Africâ ſaginatos, collega tuus nuper adduxit Alipius

pius, nequaquam re acquieſcere eruditorum ſententiis: ſed, quod intellectui tuo congruit dixiſſe Apoſtolum, quia ſtultam fecit Deus ſapientiam mundi. *l. 1. op imp. cap. 42. 43. 44.*

Quidquid ſit; Alipius, qui contra primum Auguſtini librum de Nuptiis & Concupiſcentiâ excerpta in Africam attulerat; hac vice in Italiam rediens, librum Auguſtini ſecundum, ad Comitem Valerium attulit: cui perinde mox octo ſuos oppoſuit Iulianus, non atramento, ſed indignatione & ſuperbiâ ſuffragante, atrâ potiùs bile conſcriptos.

Eiuſce rei teſtis ipſe Iulianus eſt, dum Florum Epiſcopum quemdam, cui poſtremum hoc opus dedicauerat, compellans ait: Quia id impendio popoſciſti, imò indixiſti auctoritate patriâ; vt libro Tractatoris Pœni, quem ad Valerium Comitem vernula peccatorum eius Alipius nuper detulit, obuiarem; hinc mihi eſt longior facta reſponſio. *l 1. op. imp. c. 8.* Sed de his poſtea pluribus.

§. II.

Leporij conuerſio per Auguſtinum.

FVerat Leporius, Pelagiani dogmatis ſectator hactenus non inſtrenuus. At reſipuit circiter hoc tempore, vt nonnulli volunt, (alij altiùs referunt, ad annum CCCC. XXIII. nam de CCCC. VI. errorem puto) operâ potiſſimùm Auguſtini, ad quem in Africam appulerat. Teſtatur Gennadius dum ait: Leporius adhuc Monachus, » poſteà Presbyter, præſumens de puritate vitæ, quam arbitrio tan- » tùm & conatu proprio, non Dei ſe adiutorio obtinuiſſe crediderat; » Pelagianum dogma cœperat ſequi. Sed à Gallicanis Doctoribus ad- » monitus, & in Africa per Auguſtinum à Deo emendatus; ſcripſit » emendationis ſuæ libellum, in quo & ſatisfacit de errore, & gratias » agit de emendatione. Simul & quod malè ſenſerat de Incarnatione » corrigens, Catholicam ſententiam tulit: dicens manentibus in Chri- » ſto duabus naturis, vnam reddi Filij Dei perſonam. *libr. de Vir. Illuſtr. cap. 59.*

Inter eos à quibus in Gallia admonitus fuit Leporius, extitit Ioannes Caſſianus, vt ipſemet prodit lib. 1. de Incarnat. Chriſti, adeoque Leporij correctionem commendat, vt non minùs penè admiranda ſit, quàm illæſa multorum fides: Quia primum eſt, inquit, errorem non incurrere; ſecundum, benè repudiare.

Is ergo (Caſſiani verba ſunt) non ſolùm in Africa, vbi tunc erat „ atque nunc eſt; tam errorem ſuum cum dolore, quàm ſine pudore „ confeſſus eſt; ſed etiam ad omnes Galliæ ciuitates, admodum flebiles „ confeſſionis ac planctûs ſui litteras dedit. Scilicet vt vbi deuiatio „ eius priùs cognita erat; illic etiam emendatio noſceretur: & qui „ teſtes erroris anteà fuerant; iidem poſteà correctionis eſſent. *ita* „ *Caſſianus.*

Sanè quod litteras attinet, quæ libello Emendationis adhærent quo Neſtorianum errorem potiſſimùm retractat; Auguſtini fuiſſe, indicat ſtilus: quæ perinde cum ipſo Leporij libello, & aliis quibuſdam Capreoli Carthaginenſis Epiſcopi, Victorini Afri, & aliorum opuſculis, Lutetiæ prodierunt Anno 1630.

Vt verò Leporius hic (cuius etiam meminerunt Ioannes II. Papa, Epiſtolâ ad Auienum, Senatorem, Liberium & alios: Facundus Hermianenſis Epiſcopus. *libr. 1. ad Iuſtinian. Imp. cap. 4.*) alius eſt ab illo, qui pridem Auguſtini contubernalis fuit, nominaturque in Actis Eccleſiaſticis quæ mox præmiſimus: ita an omninò ſit idem cum eo, de quo Dexter in Chronico, his verbis: *Anno ab V. C. M. C. LV. Leporius Vticenſis in Betica* (Epiſcopus) *priùs Monachus ex familia Auguſtini, mutat ſuam perditam priorem ſententiam, admonitus ab Auguſtino præceptore ſuo*: penes alios eſto examen atque iudicium.

In annis enim conditæ Vrbis apud Dextrum, manifeſtus irrepſit error: quem ſi quis fecerit M. C. LXXV; is quidem incidet in ſæculi Chriſtiani CCCC. XXIII. ſed non concidet cum Catalogo Epiſcoporum Vticenſium, Hiſpali edito: qui Leporium ſediſſe Anno CCCC. X. tradit, vt refert. *Cruſen. Monaſt. Auguſt. 1. p. c. 15.*

§. III.

Auguſtinus Vitalem ab errore reuocare ſtudet.

VTI Leporium, ad meliorem ſententiam & mentem Auguſtinus reduxit; ita non minorem adhibuit diligentiam, in corrigendo quodam Vitale Carthaginenſi: qui docere cœperat, Non aliter eſſe diuini muneris, vt prædicato Euangelio conſentiamus; quàm quia credere non poſſumus, niſi prædicatio externa veritatis anteceſſerit.

Quapropter interrogatus Vitalis, quid ſit quod ait Apoſtolus: *Deus operatur in nobis & velle & perficere?* Reſpondebat, per legem ſuam, per Scripturas ſuas Deum operari vt velimus, quas vel legimus vel audimus: ſed eis conſentire, vel non conſentire; ita noſtrum eſſe, vt, ſi velimus, fiat: ſi autem nolimus; nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quidem ille, dicebat, quantum in ipſo eſt vt velimus, cùm nobis nota fiunt eius eloquia: ſed ſi eis acquieſcere nolumus, nos, vt operatio eius nihil in nobis proſit, efficimus. *Auguſtinus Epiſt. 107. ad Vitalem.* Volebat nimirum Vitalis, fidei initium ex nobis eſſe: iſtâque credulitate tamquam inquiſitione & pulſatione, ex vi liberi arbitrij profectis, quemlibet mereri gratiam Dei: eam perinde merito noſtro dari.

Atqui huius Pelagianiſmi partem iugulauerat pridem Auguſtinus, *libro de Grat. Chriſti cont. Pelagian. & Celeſt. cap. 7. & ſeqq.* vbi ad extremum ait: Ergonè vt perueniatur ad adiutorium Dei, ad Deum curritur ſine adiutorio Dei? Et vt Deo adhærentes adiuuemur à Deo, à Deo non adiuti adhærebimus Deo? Quid homini maius, quidve tale poterit gratia ipſa præſtare, ſi iam ſine illâ vnus cum Deo ſpiritus effici potuit, non niſi de arbitrij libertate? *eod. lib. cap. 23.*

Verumtamen eundem nunc euertit, ex Orationibus Eccleſiæ: quæ non tantùm pro eis funduntur, qui prædicatione veritatis carent; ſed & pro eis qui veritati prædicatæ agnitæque obſtinatè reluctantur. *Epiſtolâ 107.* perquam accuratâ atque exactâ. Quapropter

pter ſentientem aliter Vitalem compellans, ait: Exerce contra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas: & quando audis Sacerdotem Dei, ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis, vt eos Deus conuertat ad fidem; & pro Cathecumenis, vt eis deſiderium regenerationis inſpiret; & pro fidelibus, vt in eo quod eſſe cœperunt, eius munere perſeuerent: ſubſanna pias voces, & dic te non facere quod hortatur, id eſt, Deum pro infidelibus, vt eos fideles faciat, non rogare, eo quòd non ſint iſtæ diuinæ miſerationis beneficia, ſed humanæ officia voluntatis, &c. *ibid.*

Etenim opus eſt hoc gratiæ: quam qui accipiunt, doctrinæ ſalutari Scripturarum Sanctarum, etſi fuerint inimici, fiunt amici: non opus eiuſdem doctrinæ; quam qui audiunt & legunt ſine gratia Dei, peiores eius efficiuntur inimici. *ead. Epiſt.* Non ergo Gratiam dicamus eſſe doctrinam; ſed agnoſcamus gratiam, quæ facit prodeſſe doctrinam: quæ Gratia ſi deſit; videmus etiam obeſſe doctrinam. *ibid.*

§. IV.

Epiſtola Auguſtini ad Vitalem, Semipelagianiſmi neruos incidit.

EA ſanè Epiſtolâ veluti compendio, doctrinam Eccleſiæ Catholicæ contra Pelagianos Auguſtinus complexus eſt, quoad illa, quæ tum ipſe firmiſſimè ſciebat ita eſſe: adeoque ſic in illis vnicuique ambulandum exiſtimabat, donec Deus aliud reuelauerit; vt ab eis nullo modo deuiare poſſimus. Eſt inquam, complexus, atque exorientis paullò pòſt, vel eodem potiùs tempore in Gallia Semipelagianiſmi (ab eis qui delicato hominis arbitrio, ferre non poterant rigidam, atque in Scripturarum petra ſolidatam doctrinam: hancque propterea ſanctiſſimi Doctoris, cœperant arrodere) radices penitùs incidit.

Nam cum dicerent, Omnes homines Gratiam fuiſſe accepturos, ſi non illi quibus non donatur, eam ſuâ voluntate reſpuerent, quoniam Deus vult omnes homines ſaluos fieri; rogat Auguſtinus,

V. Proſp. l. de Ingrat. cap. 30. & ſeqq.

Quomodo id eſſe poſſit, quandoquidem multis non detur paruulis; & ſine illâ plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem: & aliquando cupientibus feſtinantibusque parentibus, miniſtris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non detur, cùm repente antequam detur exſpirat, pro quo vt acciperet currebatur?

Vnde manifeſtum eſt, eos, qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati, non intelligere omninò, quâ locutione ſit dictum, quod *Omnes homines, vult Deus ſaluos fieri*, cum tam multi ſalui non fiant: non quia ipſi, ſed quia Deus non vult, quod ſine vlla caligine manifeſtatur in paruulis. Sed ſicut illud quod dictum eſt, *Omnes in Chriſto viuificabuntur*, cùm tam multi æternâ morte moriantur; ideò dictum eſt, quia omnes quicumque vitam æternam percipiunt, non percipiunt niſi in Chriſto: ita quod dictum eſt, *Omnes homines vult Deus ſaluos fieri*, ideo dictum eſt, quia omnes qui ſalui fiunt, niſi ipſo volente non fiunt: & ſi quo alio modo illa verba Apoſtoli intelligi poſſunt, vt tamen huic apertiſſimæ veritati, in qua videmus tam multos volentibus hominibus, ſed Deo nolente, ſaluos non fieri, contraria eſſe non poſſint. *Epiſt.* 107.

Dicere enim, Tales paruulos ideo non permitti ad Baptiſmum peruenire, quia vel non credituros, vel non perſeueraturos in gratiâ, idque propriæ voluntatis vitio ſiue defectu, Deus præuiderit; tantumnon eſt ridiculum: vt oſtendit poſteà, *l. de dono perſeu. cap.* 9. Scimus enim paruulos, etiam ſecundùm ea quæ per corpus geſſerunt, recepturos vel bonum vel malum: geſſerunt autem non per ſeipſos; ſed per eos, quibus pro illis reſpondentibus & renuntiare diabolo dicuntur, & credere in Deum, vnde & in numero fidelium computantur, &c. non ſecundùm ea, quæ, ſi diu hic viuerent, geſturi fuerant. *Epiſt.* 107.

CAPVT VII.

EXCIDII AFRICÆ INITIA.

§. I.

Bellum Bonifacio Comiti illatum.

BOnifacius Africæ hac tempeſtate Comes, cùm apud eos populos potentiâ gloriâque indies augeretur; multorum inuidiam, ſed Aëtij potiſſimum militum Magiſtri, incurrit. Imperatoris iuſſu nuper in Hiſpanias Bonifacius profectus, affinem ibi Vandalorum Regibus vxorem duxerat: hocque nuptiarum fœdere Barbaros ſibi deuinxerat. Ea res inuidiæ veluti tectorium fuit, quando Aëtius ob id tantummodò Bonifacium accuſabat tamquam Imperij in Libyâ inſidiatorem, quia Barbarorum amicitiam affectauerat.

Hiſcè ſuſurris poſtquam Placidiæ, matris Valentiniani Imperatoris, aures animumque Aëtius impleſſet; tum Bonifacio ſummâ perfidiâ ſcripſit, ſuccenſere illi grauiter Imperatores: ideoque, tametſi vocari eum contingeret; caueret equidem adeſſe: doloſo cineri ignes ſuppoſitos iacere. Aëtio, ſeruo quondam ſuo, Bonifacius fidem commodauit, fabulæ totius ignarus: adeoque ab Imperatoribus accerſitus, diſtulit venire. Quapropter cùm gratiam, Aëtij perfidia; iram, Bonifacij ſimplicitas apud Cæſares inueniſſet; publico ei nomine bellum illatum eſt, ducibus Mauortio, Galbione, & Sinoce: ſed cuius denique fortuna (occiſis primùm Sinocis proditione Mauortio & Galbione, iſto demùm per Bonifacium interemto) in eundem inclinauit. *Proſp. in Chron. Paull. Diac. hiſt. miſc. lib.* 14. Huc faciunt Epiſtolæ nonnullæ, quæ continentur in Append. Tom. 11. *Epiſt.* 12. 13. 14. 15. 16. quibus vltrò citroque Bonifacius & Auguſtinus ſcribunt.

§. II.

§. II.

Vandalos in auxilium Bonifacius vocat.

VErumtamen non hic extitit belli finis:cuius proſequendi curam cùm in Comitem Sigiſuultum Bonifacius tranſlatam vidit; atque innocentiam ſuam obſtinato conſilio peti; è Libya in Hiſpaniam nauigans, Vandalorum auxilia certis legibus popoſcit, neque difficulter obtinuit: cùm Vandali vndique concluſi, Gothorum (quibus anteà Honorius, deliberato cum ſuis conſilio, Gallias Hiſpaniaſque ratâ confirmatione donauerat) timore æſtuarent. Vnde factum eſt, vt rerum ſuarum & innocentiæ tutandæ deſperatione, vir alioqui pius, ſibi totique Africæ perniciem, & ſæculi propè vnius iugum Religioni in eâ Catholicæ, fatali imprudentiâ excidium accerſiuerit.

Quâ viâ modoque Africam ingreſſi ſint, deſcribit Victor Vticen-
„ ſis, his verbis: Sexageſimus nunc agitur annus, quo populus ille cru-
„ delis ac ſæuus Vandalorum gentis, Africæ miſerabiles attigit fines:
„ tranſuadens facili tranſitu per anguſtias maris, quo inter Hiſpaniam
„ Africamque, æquor hoc magnum ſpatioſumque, biſſenis millibus, an-
„ guſto limite ſe coarctauit.

„ Tranſiens igitur quantitas vniuerſa, calliditate Genſerici ducis, vt
„ famam ſuæ terribilem faceret gentis, illicò ſtatuit omnem multitudi-
„ nem munerari, quam huic luci ad illam vſque diem vterus profude-
„ rat ventris. Qui reperti ſunt ſenes, paruuli, ſerui vel domini, octo-
„ ginta millia numerati. Quæ opinio diuulgata vſque in hodiernum
„ anceps gentibus, armatorum tantus numerus æſtimatur, cùm ſint
„ nunc exiguus & infirmus.

„ Inuenientes igitur pacatam quietamque Prouinciam; ſpecioſi-
„ tatem totius terræ florentis quaquauerſum impietatis agminibus
„ impetebant, deuaſtando depopulabantur incendio atque homici-
„ diis totam exterminantes. Sed nec arbuſtis frugiferis omnimo-
„ dè parcebant: ne fortè quos antra montium, aut prærupta ter-
„ rarum, vel ſecluſa quæque occultauerant, poſt eorum tranſitum,

illis

illis pabulis nutrirentur. Et ſic tali crudelitate furentibus ab eorum „ contagione nullus remanſit locus immunis. Præſertim in Eccleſiis, „ Baſilicíſque Sanctorum, Cæmiteriis vel Monaſteriis, ſceleratiùs ſæ- „ uiebant: vt maioribus incendiis domos orationis magis, quàm vrbes, „ cunctaque oppida concremarent, &c. *Vict. Vticen. l.* 1. *de perſec. Vand.*

§. III.

Auguſtini ad Bonifacium paræneſis.

PRiuſquàm iſta quæ diximus, Bonifacius deſignaret; litteras ad eum Auguſtinus dedit: quibus iam tum in deterius prolabentem ſiſtere conatus (cùm dolorem ſuum Bonifacius moderari haud ſineret) nihilum profecit. Operæpretium eſt nonnulla ſaltem proferre; vt quilibet intelligat, quàm habuerit Antiſtes noſter ab adulatione, & huiuſce ſæculi moribus, quos Politicos hodie vocant, animum purum & auerſum.

Scio, inquit, non deeſſe homines, qui te ſecundùm vitam mundi huius diligunt: & ſecundùm ipſam tibi dant conſilia, aliquando vtilia, aliquando inutilia, quia homines ſunt, & ſicut poſſunt ad præſens ſapiunt, neſcientes quid contingat ſequenti die. Secundùm Deum, ne pereat anima tua, non facile tibi quiſquam conſulit: non quia deſunt qui hoc faciant; ſed quia difficile eſt inuenire, quando tecum iſta poſſint loqui. Nam & ego ſemper deſideraui, & numquam inueni locum vel tempus, vt agerem tecum, quod me agere oportebat cum homine quem multum diligo in Chriſto. Scis autem qualem me apud Hipponem videris, quando ad me venire dignatus es: quia vix loquebar, imbecillitate corporis fatigatus.

Nunc ergo, fili; audi me ſaltem per litteras tibi ſermocinantem, quas in periculis tuis, numquam tibi mittere potui, periculum cogitans perlatoris: & cauens ne ad eos quos nollem, mea Epiſtola perueniret. Vnde peto vt ignoſcas, ſi me putas plus timuiſſe, quàm debui. Audi ergo me, imò Dominum noſtrum per miniſterium infirmitatis meæ. Recole qualis fueris, adhuc in corpore conſtitutâ religioſæ memoriæ priore coniuge tuâ: & recenti eius obitu, quomodo

tibi vanitas huius ſæculi horruerit, & quomodo concupieris ſeruitutem Dei. Nos nouimus, nos teſtes ſumus, quid nobiſcum apud Tubunas, de animo & voluntate tua fueris collocutus. Soli tecum eramus, ego, & frater Alipius. Non enim exiſtimo tantum valuiſſe terrenas curas quibus impletus es, vt hoc de memoria tua penitus delere potuerint. Nempe omnes actus publicos, quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, & te in otium ſanctum conferre: atque in eâ vitâ viuere, in qua ſerui Dei Monachi viuunt.

Vt autem non faceres, quid te reuocauit, niſi quia conſideraſti, oſtendentibus nobis, quantùm prodeſſet Chriſti Eccleſiis quod agebas, ſi eâ ſolâ intentione ageres, vt defenſæ ab infeſtationibus Barbarorum quietam & tranquillam vitam agerent, ſicut dicit Apoſtolus, in omni pietate & caſtitate: tu autem ex hoc mundo nihil quæreres, niſi ea quæ neceſſaria eſſent huic vitæ ſuſtentandæ, tuæ, ac tuorum: accinctus baltheo caſtiſſimæ continentiæ, & inter arma corporalia ſpiritualibus armis tutiùs ac fortiùs munitus.

Cùm ergò te eſſe in hoc propoſito gauderemus; nauigaſti, vxoremque duxiſti. Sed nauigaſſe, obedientiæ fuit, quam ſecundum Apoſtolum debebas ſublimioribus poteſtatibus: vxorem autem non duxiſſes, niſi ſuſceptam deſerens continentiam concupiſcentiâ victus eſſes. Quod ego cùm comperiſſem; fateor, miratus obſtupui: dolorem autem meum ex aliqua parte conſolabatur, quod audiui te illam ducere noluiſſe; niſi priùs Catholica fuiſſet facta: & tamen hæreſis eorum, qui verum Dei filium negant, tantùm præualuit in domo tûâ, vt ab ipſis filia tua baptizaretur.

Iam verò ſi ad nos non falſa perlata ſunt, quæ vtinam falſa ſint, quòd ab ipſis hæreticis etiam ancillæ Deo dicatæ rebaptizatæ ſint: quantis tantum malum plangendum eſt fontibus lacrymarum! Ipſam quoque vxorem non tibi ſuffeciſſe; ſed concubinarum neſcio quarum commixtione pollutum loquuntur homines, & forſitan mentiuntur. Iſta omnibus patent, & tot & tanta mala, quæ te, poſteaquam coniugatus es, conſecuta ſunt. Quid dicam? Chriſtianus es: cor habes: Deum times: tu ipſe conſidera quæ volo dicere, & inuenies de quantis malis debeas agere pœnitentiam: propter quam tibi credo Dominum parcere, & à periculis omnibus liberare, vt agas eam ſicut agenda eſt: ſed ſi illud audias quod ſcriptum eſt: *Ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem.*

Iuſtam

Iuſtam quidem dicis te habere cauſſam : cuius iudex ego non ſum, quoniam partes ambas audire non poſſum. Sed qualiſcumque ſit cauſſa tua (de qua modò credere vel diſputare non opus eſt) numquid coram Deo potes negare, quod in iſtam neceſſitatem non perueniſſes, niſi bona ſæculi huius dilexiſſes? quæ tamquam ſeruus Dei, quem te ante noueramus, contemnere omninò, & pro nihilo habere debuiſti: & oblata quidem ſumere, vt eis vtereris ad pietatem : non autem negata, vel delegata ſic quærere, vt propter illa, in iſtam neceſſitatem perducereris, vbi cùm amantur vana, perpetrantur mala: pauca quidem à te; ſed multa propter te : & cùm timentur quæ ad exiguum tempus nocent, (ſi tamen nocent) committuntur ea quæ verè, & in æternum noceant.

De quibus vt vnum aliquid dicam, quis non videat quod multi homines tibi cohæreant, ad tuendam tuam potentiam vel ſalutem: qui etiamſi tibi omnes fideles ſint, nec ab aliquo eorum vllæ timeantur inſidiæ; nempe tamen ad ea bona, quæ ipſi quoque non ſecundùm Deum, ſed ſecundùm ſæculum diligunt, per te cupiunt peruenire: ac per hoc qui refrænare & compeſcere debuiſti cupiditates tuas, explere cogeris alienas. Quod vt fiat; neceſſe eſt multa, quæ Deo diſplicent, fiant: nec ſic tamẽ explentur tales cupiditates. *Epiſt.* 70. Et paullò pòſt:

Quando ergò poteris tot hominum armatorum (quorum fouenda eſt cupiditas; timetur atrocitas) quando, inquam, poteris eorum concupiſcentiam, qui diligunt mundum non dico ſatiare (quod fieri nullo modo poteſt) ſed aliqua ex parte paſcere, ne vniuerſa plebs pereat; niſi tu facias, quæ Deus prohibet & facientibus comminatur? Propter quod vides tam multa contrita, vt iam vile aliquid quod rapiatur, vix inueniatur.

Quid autem dicam de vaſtatione Africæ, quam faciunt Afri Barbari, reſiſtente nullo, dum tu talis, tuis neceſſitatibus occuparis, nec aliquid ordinas, vnde iſta calamitas auertatur? Quis autem crederet, quis timeret, Bonifacio Domeſticorum & Africæ Comite in Africa conſtituto, cum tam magno exercitu & poteſtate, qui Tribunus cum paucis fœderatis, omnes ipſas gentes expugnando & terrendo pacauerat; nunc tantùm fuiſſe Barbaros auſuros, tantùm progreſſuros, tanta vaſtaturos, tanta rapturos, tanta loca quæ plena populis fuerant deſerta facturos? Qui non dicebant, quandocumque tu Comitiuam ſumeres poteſtatem, Afros Barbaros non ſolùm domitos; ſed etiam

tributarios futuros Romanæ reipublicæ? Ex nunc quàm in contrarium verſa ſit ſpes hominum, vides: nec diutiùs hinc tecum loquendum eſt, quia plus tu potes ea cogitare, quàm nos dicere.

Sed forte ad ea reſpondes, Illis hoc eſſe imputandum, qui te læſerunt: qui tuis officioſis virtutibus non paria, ſed contraria reddiderunt. Quas cauſſas ego audire & iudicare non poſſum. Tuam cauſſam potius aſpice & inſpice, quam non cum hominibus quibuſlibet, ſed cum Deo habere te cognoſcis: quia in Chriſto fideliter viuis, ipſum timere debes, nè offendas. Nam ego cauſſas ſuperiores potiùs attendo: quia vt Africa tanta mala patiatur, ſuis debent homines imputare peccatis. Verumtamen nolim te ad eorum numerum pertinere, per quos, malos & iniquos Deus flagellat pœnis temporalibus quos voluerit. Ipſis namque iniquis, ſi correcti non fuerint, ſeruat æterna ſupplicia, qui eorum malitià iuſtè vtitur, vt aliis mala ingerat temporalia.

Tu Deum attende: Ieſum Chriſtum conſidera: qui tanta bona præſtitit, & tanta mala pertulit. Quicumque ad eius regnum cupiunt pertinere, & cum illo, ac ſub illo ſemper beatè viuere; diligunt etiam inimicos ſuos: benefaciunt illis, qui eos oderunt: & orant pro eis, à quibus perſecutionem patiuntur. Et, ſi quando adhibent pro diſciplinâ moleſtam ſeueritatem; non tamen amittunt ſinceriſſimam charitatem.

Si ergo tibi bona ſunt præſtita, quamuis terrena & tranſitoria, ab Imperio Romano; quia & ipſum terrenum eſt non cæleſte, nec poteſt præſtare niſi quod habet in poteſtate: ſi ergo bona in te collata ſunt; noli reddere mala pro bonis. Si autem mala tibi irrogata ſunt; noli reddere mala pro malis. Quid iſtorum duorum ſit; nec diſcutere volo, nec valeo iudicare: ego Chriſtiano loquor, Noli reddere vel mala pro bonis, vel mala pro malis.

Dicis mihi fortaſſe: In tanta neceſſitate quid vis vt faciam? Si conſilium à me ſecundùm hoc ſæculum quæris, quomodo iſta ſalus tua tranſitoria tuta ſit, & potentia atque opulentia vel iſta ſeruetur quam nunc habes, vel etiam maior addatur; quid tibi reſpondeam neſcio. Incerta quippe iſta, certùm conſilium habere non poſſunt. Si autem ſecundùm Deum me conſulis, ne anima tua pereat; & times verba Veritatis, dicentis, *Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur*; habeo planè quod dicam: eſt apud

me

me conſilium quod à me audias. Quid autem opus eſt vt aliud dicam, quàm illud quod ſuprà dixi: Noli diligere mundum, nec ea quæ in mundo ſunt? &c. Et poſt paucula:

Hîc appareat ſi vir fortis es. Vince cupiditates, quibus iſte diligitur mundus: age pœnitentiam de præteritis malis, quando ab eis cupiditatibus victus, per deſideria non bona trahebaris. Hoc conſilium ſi acceperis, ſi tenueris atque ſeruaueris; & ad bona illa certa peruenies, & cum ſalute animæ tuæ inter iſta incerta verſaberis.

Sed fortè iterum quæris à me, quomodo iſta facias, tantis mundi huius neceſſitatibus implicatus? Ora fortiter, & dic Deo quod habes in Pſalmo: *In neceſſitatibus meis erue me.* Tunc enim finiuntur iſtæ neceſſitates, quando vincuntur illæ cupiditates. Qui exaudiuit te, & nos pro te, vt liberareris de tot tantiſque periculis viſibilium corporaliumque bellorum, vbi ſola iſta vita quandoque finienda periclitatur, anima uerò non perit, ſi non malignis cupiditatibus captiua teneatur: ipſe te exaudiet, vt interiores & inuiſibiles hoſtes; id eſt, ipſas cupiditates, inuiſibiliter & ſpiritaliter vincas: & ſic vtaris hoc mundo, tamquam nôn vtaris: vt ex bonis eius bona facias, non malus fias. Quia & ipſa bona ſunt: nec dantur hominibus, niſi ab illo qui habet omnium cæleſtium & terreſtrium poteſtatem. Sed ne putentur mala, dantur & bonis: ne putentur magna vel ſumma bona, dantur & malis. Itemque auferuntur iſta & bonis, vt probentur; & malis, vt crucientur. *Ac deinde.*

Salus verò animæ, cum immortalitate corporis vtriuſque iuſtitiæ; & victoria de cupiditatibus inimicis, & gloria & honor & pax in æternum; non dantur niſi bonis. Propter hæc acquirenda & obtinenda, fac eleëmoſynas, funde orationes, exerce ieiunia, quantum ſine læſione corporis tui potes. Bona verò illa terrena noli diligere, quantalibet tibi abundent. Sic eis vtere, vt bona multa ex illis, nullum autem malum facias propter illa. Omnia quippe talia peribunt: ſed bona opera non pereunt, etiam quæ de bonis pereuntibus fiunt. Si enim coniugem non haberes; dicerem tibi, quod & Tubunis diximus, vt in ſanctitate continentiæ viueres. Adderem, quod tunc fieri prohibuimus, vt iam te, quantum rerum humanarum ſaluâ pace potuiſſes, ab iſtis rebus bellicis abſtraheres: & ei vitæ vacares in ſocietate ſanctorum, cui tunc vacare cupiebas: vbi in ſilentio

lentio pugnant milites Chriſti, non vt occidant homines; ſed vt expugnent principes & poteſtates, & ſpiritalia nequitiæ, id eſt, diabolum & angelos eius, *&c.*

Sed vt te ad iſtam vitam non exhorter, coniux impedimento eſt: ſine cuius conſenſione continenter tibi non licet viuere. Quia etſi tu eam, poſt illa tua verba Tubunenſia ducere non debebas; illa tibi tamen nihil eorum ſciens, innocenter & ſimpliciter nupſit. Atque vtinam poſſes ei perſuadere continentiam, vt ſine impedimento redderes Deo, quod te debere cognoſcis. Sed ſi cum illâ agere non potes; ſerua ſaltem pudicitiam coniugalem: & roga Deum, qui te de neceſſitatibus eruit, vt quod non potes modò, poſſis aliquando. Verumtamen vt Deum diligas, non diligas mundum: vt in ipſis bellis (ſi adhuc in eis verſari opus eſt) fidem teneas: pacem quæras. Vt ex mundi bonis facias bona opera; & propter mundi bona, non facias opera mala; aut non impedit coniux, aut impedire non debet.

Hæc ad te, fili dilectiſſime, vt ſcriberem charitas iuſſit, quâ te ſecundùm Deum, non ſecundùm hoc ſæculum diligo: quia & cogitans quod ſcriptum eſt, *Corripe ſapientem, & amabit te, corripe ſtultum, & adiiciet odiſſe te*; non te vtique ſtultum, ſed ſapientem debui cogitare. *Epiſt.* 70.

Atque ita Auguſtinus ad Bonifacium, procul omni fuco & palpo: adeò vt ſicuti optandum eſt calidiſſimis votis, plures eiuſcemodi ſermones ad eos fieri, qui Prouincias hodie militiamque gubernant; ita vtinam tum ſaltem Bonifacius audiuiſſet! quod quia non eſt factum; ſic vtique malum increuit, vt neque ipſe reſiſtendo fuerit: licet Imperatoribus reconciliatus (vt mox dicemus) magnam auri vim receſſuris Vandalis obtuliſſet.

CAPVT

CAPVT VIII.

AVGVSTINVS ARIANOS IN AFRICA REFELLIT.

§. I.

Arianiſmus in Africa.

CVm Sigiſuulto Comite, militiæ contra Bonifacium Præfecto, venerat in Africam Maximinus, Arianorum Epiſcopus. Id enim ipſe profitetur initio collationis, quam Hippone habuit, de qua dicere aggredior. Ego, inquit, in hanc ciuitatem miſſus à Comite Sigiſvulto (ſic enim legendum) contemplatione pacis adueni. *l. prim. cont. Maxim. initio.*

Hic tantæ temeritatis extitit, vt ad diſputationem Auguſtinum prouocauerit: licet impar congreſſus Achilli, vti docuit euentus. Vnde & eum Auguſtinus compellat his verbis: Quid tibi viſum eſt, ô homo Ariane, tam multa dicere, & pro cauſsâ quæ inter nos agitur nihil dicere: quaſi hoc ſit reſpondere poſſe, quod eſt tacere non poſſe? *Præfat. lib. 2. contra Maximin.*

Imò non ipſe ſolum; ſed & Paſcentius, Comes domûs Regiæ in Africa, exactor rerum fiſcalium, idem auſus eſt: homo ſimpliciter impudens, neque ad certamen vllatenus inſtructus: & fiſci opinor ſui, quàm Chriſti peritior. De vtroque Poſſidius, atque in primis Paſcentio, ita narrat.

§. II.

Diſputatio Auguſtini cum Paſcentio Ariano.

CVm quodam Paſcentio (inquit Poſſidius) Comite domûs re- "
giæ Ariano, qui per auctoritatem ſuæ perſonæ, fiſci vehemen- "
tiſſimus

,, tiſſimus exactor, fidem Catholicam acriter ac iugiter oppugnabat & ,, perturbabat; præſentibus honoratis & nobilibus viris apud Cartha- ,, ginem ab illo prouocatus, idem ſanctus Auguſtinus coram contulit.

,, Verum hæreticus, tabulas atque ſtylum, quod Magiſter noſter & ,, ante congreſſum & in congreſſu inſtantiſſimè fieri volebat, ne adeſ- ,, ſent, omninò recuſabat. Et dum id pernegaſſet, dicens quòd metu ,, legum publicarum, periclitari tabulis ſcriptis nollet: atque in- ,, terpoſitis, id placere Auguſtinus Epiſcopus, cum ſuis qui aderant ,, conſacerdotibus videret; vt abſque vlla ſcriptura priuatim diſputa- ,, rent, collationem ſuſcepit: prædicens vt poſtmodum contigit, quod ,, poſt ſolutum conuentum, eſſe cuiquam poſſet liberum arbitrium for- ,, tè dicere, nullo ſcripturæ documento ſe dixiſſe, quod fortè non dixe- ,, rit: vel non dixiſſe, quod dixerit.

,, Et miſcuit cum eodem ſermonem atque aſſeruit quid crederet, & ,, ab illo quid teneret audiuit: & verâ ratione, & auctoritate Scriptu- ,, rarum probata docuit & oſtendit noſtræ fidei firmamenta: illius au- ,, tem aſſerta, nullâ veritate, nullâ Scripturarum ſacrarum auctoritate ,, ſuffulta docuit, & fruſtrauit.

,, Et vt à ſe inuicem partes digreſſæ ſunt; ille magis magiſque iratus ,, & furens, mendacia multa, pro fide ſuâ falsâ iactabat: & victum eſſe ,, à ſeipſo proclamans multorum ore laudatum Auguſtinum.

,, Quæ cum venerabilem virum minimè laterent; coactus eſt ad ip- ,, ſum ſcribere Paſcentium, propter illius metum omiſſis nominibus ,, conferentium: & in eis litteris, quidquid inter partes dictum vel ge- ,, ſtum fuerit, fideliter intimauit: ad ea ſi negarentur, probanda, mag- ,, nam teſtium habens copiam, clariſſimos ſcilicet atque honorabiles ,, qui tunc aderant viros.

,, Atque ille ad duo ſibi directa ſcripta, vnum vix reddidit reſcri- ,, ptum: in quo magis iniuriam facere, quàm ſuæ ſectæ rationem valuit ,, declarare: quod à volentibus & valentibus legere, comprobabitur.

Poſſid. cap. 17.

Sunt autem illa Auguſtini ſcripta ad Paſcentium, Epiſtola 174. 175. 177. 178. Vbi & Paſcentij mendacia, de quibus Poſſidius, licebit aduertere: deinde etiam hypocriſim, qui cùm Anathema Ario dixiſſet, nominando Auxentium virum laudabiliter ſanctum, & omnis ſcientiæ; quod fuit, videri equidem noluit. *Epiſt.* 178.

§. III.

§. III.

Diſputatio Auguſtini cum Maximino.

DE hoc Auguſtini cum Maximino congreſſu, ita idem Poſſidius: Cum ipſorum quoque Arianorum Epiſcopo Maximino, cum « Gothis in Africam veniente, apud Hipponem quampluribus volen- « tibus atque petentibus, & præclaris interpoſitis viris, contulit; & « quid ſingulæ aſſeruerint partes, ſcriptum eſt. Quæ ſi ſtudioſi legere « voluerint; proculdubio indagabunt, & quod callida & irrationa- « bilis hæreſis, ad ſeducendum & ad decipiendum profiteatur; & quod « Eccleſia Catholica, de diuina teneat Trinitate.

Sed quoniam ille hæreticus, de Hippone rediens Carthaginem « de ſua multa in Collatione loquacitate, victorem ſe de ipſa Colla- « tione receſſiſſe, iactauit & mentitus eſt: quæ vtique non facile à diui- « næ legis ignaris, examinari & diiudicari poſſent: à venerabili viro « Auguſtino, ſequenti tempore ſtilo, & illius totius Collationis, de ſin- « gulis obiectis & reſponſis, facta eſt recapitulatio: & quàm ille nihil « obiectis referre potuerit, nihilominùs demonſtratum eſt: additis ſup- « plementis, quæ tempore Collationis anguſto, cuncta inferri & ſcribi « minimè potuerunt.

Id enim egerat nequitia hominis, vt ſuâ nouiſſimâ proſecutione « multùm longiſſimâ, totum quod remanſerat diei ſpatium occuparet. « *Poſsid. cap. 17.*

Exſtat illa cum Maximino diſputatio tempore ſuccedente (vt iam ex Poſſidio retulimus, ipſeque Auguſtinus in fine teſtatur) conſcripta, ſubiunctis libris duobus contra Maximinum, quos ſupplementa diſputationis vtique Poſſidius appellat: vt nihil mirum ſit, horum omnium in libris Retractionum nullam fieri mentionem, cùm liquidò appareat, libris Retractionum hos contra Maximinum poſteriores eſſe. Atque hinc Agatho Pontifex, in Sexta Synodo Actione 4. citat quædam Auguſtini contra Maximinum, quæ habentur *l.3.c.20.* meminit & Beda *in cap.8. ad Romanos.*

Oſtendit verò hoc in Opere Auguſtinus, primò, non potuiſſe Maxi-

minum refellere ſibi in diſputatione obiecta: deinde quæ ipſe obiecerat Maximinus, vberiùs iterum liquidiùſque refellit. Quàm autem eſſent nihili, quæ latè licet exſpatiatus Maximinus attulerat, oſtendit his ad eum verbis Auguſtinus: Si oras & petis, vt dicis, diſcipulus eſſe diuinarum Scripturarum, ad rem pertinentia teſtimonia diuina conſidera. Noli per multa quæ te nihil adiuuant, euagari. Elige prudenter tacere, quàm inaniter loqui, quando non inuenis quid reſpondeas manifeſtæ veritati. Timere te oſtendis, ne te nudem diſcipulis tuis. Vtinam in Chriſto ſic induaris, vt diſcipulos tuos magis ipſius velis diſcipulos eſſe, quàm tuos. Nam me non pœnitet, quantum Dominus donat, operam dare; vt tu & diſcipuli tui, ſub vno magiſtro, ſitis condiſcipuli mei. *lib. 3. contra Maximin.*

Verùm ſicuti Paſcentius, maluit Auxentij, quàm Arij diſcipulum ſe profiteri; ita Maximinus preſſus ab Auguſtino, illam ſe fidem tenere aſſeruit quæ Arimini à trecentis & triginta Epiſcopis, non ſolùm expoſita, ſed etiam ſubſcriptionibus firmata eſt: *l. 1. cont. Maxim. init.* in qua nimirum Synodo teſtatur Hieronymus Valentis & Vrſatij fraudibus effectum, vt ingemiſcens orbis terrarum Arianum ſe eſſe miratus ſit.

§. IV.

Diſputatio cum Feliciano.

VEriſimile eſt cum Feliciano, eiuſdem ſectæ hæretico, circa idem tempus fuiſſe congreſſum: quam diſputationem deinde, prænotatis propter perſonarum diſcretionem, principalibus nominum litteris in libellum contulit: *l. cont. Felician. cap. 1.* amico quodam ſollicitè petente: fortè Terentiano, cuius meminit Poſſidius. *Indic. c. 5.*

Cum autem Felicianus in exordio diſputationis offendi ſe diceret, quòd à Catholicis præcepta fidei non tam rationis, quàm ſanctarum Scripturarum pondere munita traderentur (quod tametſi in rudibus hominibus videretur aliqua excuſatione dignum; in Auguſtino, cui eloquentia pariter cum ſcientiâ fidei non deerant, haud ſe perpeti poſſe) reſpondit Feliciano Auguſtinus: Non ſe vſque adeò laudibus

laudibus duci, vt iniuriam faciat præcedentibus ſanctis: neque præſumere vmquam in ſapientiâ verbi, ne euacuetur Crux Chriſti: ſed Scripturarum ſanctarum auctoritate contentum, ſimplicitati potiùs obedire velle, quàm tumori.

Quam enim rationem afferre potes, inquit, ſi partum prædicas Virginis: ſi redditos oculos non negas cæcis: ſi ſepultos rediiſſe oſtendis à mortuis? Si ergo horum eſt incomprehenſibilis ratio, veritas prompta eſt: faciliùs in negotiis fidei teſtimoniis creditur, quàm ratio inueſtigatur. *l. cont. Felician cap. 21.*

Quibus verbis ſicuti oſtendit ſe diſcipulum reuera Chriſti, eiuſque verbi, eſſe; (quod iam olim initio Conuerſionis ſuæ dixerat, dum quia valentiorem auctoritatem non reperiebat, negabat ſe ab eâ velle diſcedere; *lib. 3. cont. Academ. cap. 20.*) ita prorſus Ioannem Baptiſtam imitatus, adeo non fuit arundo, vt tantillâ laudationis aurâ, qualem Felicianus afflabat, moueretur.

§. V.

Digreſsio ad Auguſtini modeſtiam, & Gloriæ fugam.

VAnitates profectò eiuſcemodi habuit penitùs exoſas: Quapropter tulit aliquando ægriuſculè, quod ad Concilium quoddam Numidiæ à Victorino per tractoriam vocatus, inter ipſos Epiſcopos Numidas ita perturbatò & neglectò ordine ſcriptum reperit nomen ſuum, vt loco tertio eſſet poſitum: quæ res (cùm noſſet vtique, quàm poſt multos factus eſſet Epiſcopus) & aliis iniurioſa ſatis eſt, inquit, & mihi inuidioſa. Quamobrem ſuſpicatus, ne Tractoria quam receperat, vitio falſitatis laboraret; tum ea, tum aliis de cauſſis, à Concilio ſe excuſat. *Epiſt. 217.* Quam Epiſtolam ſe miſiſſe ſignatam ait, annulo qui exprimit faciem hominis attendentis in latus: ſi quis hinc fortaſſe ſigilli ipſius imaginem velit curioſè ruſpari.

Eodem referri poſſunt eius Verba de Vitæ genere ſiue otioſo, ſiue actuoſo, & ex vtroque compoſito inter Chriſtianos: ex quibus liquet, eum non fuiſſe honoris & dignitatum admodum appetentem. Quamuis,

uis,inquit,ſaluâ fide quiſque poſſit in quolibet eorum vitã ducere, & ad ſempiterna præmia peruenire; intereſt tamen quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impendat. Neque enim ſic quiſque debet eſſe otioſus, vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi: nec ſic actuoſus, vt contemplationem non requirat Dei.

In otio non iners vacatio delectare debet; ſed aut inquiſitio aut inuentio veritatis: vt in ea quiſque proficiat,& quod inuenerit teneat, & alteri non inuideat. In actione verò non amandus eſt honor in hac vita, ſiue potentia; quoniam omnia vana ſub Sole: ſed opus ipſum, quod per eundem honorem vel potentiam fit, ſi rectè atque vtiliter fit: id eſt, vt valeat ad eam ſalutem ſubditorum, quæ ſecundùm Deum eſt.

Propterea quod ait Apoſtolus, *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonũ opus deſiderat*; exponere voluit quid ſit Epiſcopatus: quia nomen eſt operis, non honoris. Græcum eſt enim atque inde ductum vocabulum, quòd ille qui præficitur, eis, quibus præficitur, ſuperintendit: curam eorum ſcilicet gerens. ἐπὶ quippè, *ſuper*: σκοπὸς verò *intentio* eſt: ergo ἐπισκοπεῖν, ſi velimus, Latinè *ſuperintendere* poſſumus dicere: vt intelligat non ſe eſſe Epiſcopum; qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe.

Itaque à ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium: locus verò ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, etſi ita teneatur atque adminiſtretur, vt decet; tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium ſanctum quærit charitas veritatis, negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit; percipiendæ atque intuẽdæ vacandum eſt veritati: ſi autem imponitur, ſuſcipiẽda eſt propter charitatis neceſſitatem. Sed nec ſic omnimodò veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuauitas, & opprimat iſta neceſſitas. *l. 19. de Ciuit. Dei c. 19.*

§. VI.

Auguſtini doctrina Arianiſmum ſtirpitùs excîdit.

AD Arianos vt redeamus, illius hæreſis radices penitùs incidiſſe videri non immeritò Auguſtinus poteſt. Nam cùm hactenus

tota Patrum Vetuſtioru͂, quotquot Auguſtinum anteceſſerant, Schola, eoſque ſecutus Arius ipſe, crebras illas Dei in Veteri Teſtamento apparitiones, non de Patre (quòd eſſet inuiſibilis) ſed de Filio intellexiſſent: continuò exſculpſit Arius ex iſtorum etiam auctoritate, Filium Patre eſſe minorem: quia viſibilis factus, internuntij munere per tot ſæcula ad homines functus eſſet. Etenim, teſtante Ambroſio, hæc eſt cauſſa erroris, hæc origo hæreſis Arianæ. *l. de Filij diuinit. cap.* 8. Iam, non filium Abrahæ viſum, vel cum Iacob luctatu͂ eſſe, ſed Deum innaſcibilem ſiue Patrem aſſerentibus, Concilium Sirmienſe anathema dixit, apud Hilar. *l. de Synodis.*

Hanc igitur erroris Ariani ſcaturiginem, cùm, magiſtro ſuo Ambroſio commonſtrante, Auguſtinus reperiſſet; non dubitauit ire contra veterum nubem, melioribuſque auſpiciis fontem hæreſeos occludere: docens omnes illas prioris Teſtamenti apparitiones ne Filio quidem, ſed Angelo ſiue creaturæ eſſe tribuendas. tantumque adduxit in hanc ſententiam Scripturarum agmen, & rationum robur; vt eam deinceps nemo in dubium reuocauerit. Atque ob hanc cauſſam ſuſpicantur eum nonnulli, ſuâ ſponte librorum de Trinitate (in quorum potiſſimùm ſecundo & tertio hoc agit) editionem differre voluiſſe: ne cui fortè aut ſententiæ nouitas diſpliceret, aut exiſtimaret oſcitanter hoc illi excidiſſe. Videri de eadem re poteſt, *libr. 3. cont. Maxim. cap.* 26.

Aliam Arianorum fraudem (dum oſtendere cupientes Filij diuinitatem etiam in Euangelio negari, diſtinctione prauè collocatâ Euangeliſtam corrumpere auſi ſunt, ita legendo: *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat. Verbum hoc erat, &c.*) atque hanc quoque ab Auguſtino detectam alij ſcribunt. *Galarz. l. 1. Euang. Inſtit. cap.* 10.

Quod itaque Arianos attinet, prorſus ad hunc articulum res colligitur: vt Deus Pater, æqualem ſibi gignere filium aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit, infirmus: ſi noluit, inuidus inuenitur. Sed vtrumque hoc falſum eſt. Patri ergo Dei Filius verus æqualis eſt. *l. 3. cont. Maxim. cap.* 7. Iam quid inter Filium & Spiritum ſanctum interſit, vnius alteriuſque proceſſionem, quantùm de illa excellentiſſima natura declarari poteſt, hoc exſequitur. *eod. l. c.* 14.

§. VII.

Collatio Orthodoxorum cum Arianis, mortuo Auguſtino.

CEterùm quia Patrem & Filium vnius eſſe ſubſtantiæ, & perſonarum tantummodo proprietate diſtinctos (vt tum contra Paſcentium, tum Maximinum & Felicianum, Auguſtinus docuit) Catholici fatebantur; (ad quod iuuabit legere Epiſt. 178. ante citatam) ob eam rem dicti ſunt Arianis *Homouſiani*. Ariani verò cùm Hunerico in Africa dominante regnum etiam aliquod obtinerent; ad Collationem Catholicos prouocarunt, vt hi anteà Donatiſtas fecerant. Hiſtoriam Victor Vticenſ. deſcribit. *l. 2. & 3.*

Mandatum ergo ſuum cùm Hunericus edidiſſet; Eugenius Epiſcopus Carthaginenſis, tam ſuo, quàm ſuorum in Africâ Catholicorum nomine reſpondet, ſe minimè recuſare refugereve Collationem, quam imperabat Hunericus: ſed petere, vt etiã aduocentur tranſmarini Catholici: quia ſine eis non poſſit agere communem cauſſam, præſertim talem tantamque. Id autem obtendebat; vt, cùm tranſmarini adeſſent (in quos ſæuire non auderet Hunericus, ne Imperatorem eorum offenderet) tantò liberior eſſet diſputatio.

Et verò Eugenius cum ſuis ad diem venit, vt iuxta Hunerici mandatum cum Arianis conferret. Sed cum tyrannus in ſuo edicto pollicitus eſſet Catholicis omnia tuta; fidem illicò infregit, & iis qui venerant manum inicit: ſæuit in doctiſſimos, eoſque etiam necat. Attamen qui ſuperſtites erant, non diffugiunt: imò, vt diſputatio ſine tumultu tranſigeretur, eligunt ex ſuo ordine quoſdam, qui pro omnibus loquantur: vt & factum fuerat in Collatione cum Donatiſtis.

Cumque Ariani æquo iure ſe ad diſputationem comparare deberent; volunt vt eorum neſcio quis Patriarcha Cyrillus, ſit iudex: & eum magno ſatellitio armatum collocant in alto ſuggeſtu. Catholici conqueruntur de tali formâ iniquiſſimi iudicij: ſed fruſtrà. Imò accuſantur, quòd ſe vocent Catholicos: & magnis aduerſariorum clamoribus

moribus propè obruuntur. Tum verò noſtri iis vltrò largiuntur, vt Catholicorum nomen veluti ſuſpendatur, donec quæſtio definita ſit: & vt ad rem veniant, edunt ſcriptam ſuæ fidei confeſſionem, quam tueri inſtituunt.

Quid Ariani? Cum viciſſim ſuam edere deberent; tantùm clamant noſtros eſſe ſeditioſos: & inflammant ſuum Hunericum. Qui ſtatim contra Catholicos edicit, quod olim Chriſtiani Imperatores in Donatiſtas edixerant.

Quam Hiſtoriam, tametſi poſt mortem Auguſtini euenerit, eò libuit ſubiunxiſſe, vt, dum quiſque videt hæc Arianorum apud Afros initia, quæ in manibus habemus; videat vltra vitæ morumque fœditatem, alios aliis hæreticis ſucceſſiſſe, imò indies fuiſſe multiplicatos, donec fatalis dies vaſtitasque toti propè Africæ intonaret: quod paullò pòſt contigit.

CAPVT IX.

MALORVM AFRICÆ CAVSSA.

§. I.

Calamitatis quæ Africam afflixit cauſſa, peccata.

NImirum, vt Auguſtinus dixerat Epiſtolâ ad Bonifacium, quòd Africa tanta mala patiatur; ſuis debent homines imputare peccatis. Afrorum nequitia maturuerat ad iuſtiſſimam vindictam: celeſtisque manus, quæ Vandalos ad punienda Hiſpanorum flagitia attraxerat; etiam ad vaſtandam Africam tranſire cogebat. Ipſi fatebantur, non ſuum eſſe quod facerent: agi enim ſe diuino iuſſu ac perurgeri, inquit *Saluian. l. 7. de Iudic. & Provident. Dei.*

Qui cùm deinde oſtendiſſet non adſcribendum Deo, quidquid pro peccatis noſtris patimur: ſicut imputari iudici non debet, quod homicida occiditur, & latro aut ſacrilegus exuritur: adiungit, Vnde &

quod

de iure ſuo ſe putent perdere, ſi hinc ſibi alius quidquam voluerit vindicare. Tranſeatur denique propè omnium fraudum, falſitatum, periuriorum nefas; nulla vmquam his malis Romana ciuitas caruit: ſed ſpecialius hoc ſcelus Afrorum omnium fuit. Nam ſicut in ſentinam profundæ nauis colluuiones omnium ſordium, ſic in mores eorum quaſi ex omni mundo vitia fluxerunt. Nullam enim improbitatem ſcio, quæ illic non redundauerit: cùm vtique etiam Paganæ ac ferinæ gentes, etſi habeant ſpecialiter mala propria; non eſt tamen in his, hoc corpus omnium. *Saluian. ibidem.*

Nam, vt poſtea ſubiungit: Gothorum gens perfida, ſed pudica eſt. Alanorum impudica, ſed minùs perfida. Franci mendaces, ſed hoſpitales. Saxones crudelitate efferi, ſed caſtitate venerandi. Omnes denique gentes habent, ſicut peculiaria mala; ita etiam quædam bona. In Afris pœnè omnibus, neſcio quid non malum. Si accuſanda eſt inhumanitas, inhumani ſunt: ſi ebrietas, ebrioſi ſunt: ſi falſitas, fallaciſſimi: ſi dolus, fraudulentiſſimi: ſi cupiditas, cupidiſſimi: ſi perfidia, perfidiſſimi. Impuritas eorum atque blaſphemia, his omnibus admiſcenda non ſunt: quia illis quæ ſuprà diximus malis aliarum gentium vitia; his autem, etiam ſua ipſorum vicerunt.

Ac primum vt de impuritate dicamus, quis neſcit Africam totam obſcenis libidinum tædis ſemper arſiſſe: non vt terram ac ſedem hominum, ſed vt Æthnam putes impudicarum fuiſſe flammarum. Nam ſicut Æthna inteſtinis quibuſdam naturæ feruentis ardoribus; ſic illa abominandis iugiter fornicationum ignibus æſtuauit. Nec volo in hac re aſſertionibus meis credi, teſtimonium requiratur generis humani.

Quis non omnes omninò Afros, impudicos generaliter ſciat, niſi fortè ad Deum conuerſos, id eſt fide ac religione mutatos? Sed hoc tam rarum eſt ac nouum, quàm rarum videri poteſt quemlibet ganeonem non eſſe ganeonem: aut quemcumque ſæuum non eſſe ſæuum. Tam infrequens eſt enim hoc & inuſitatum, impudicum non eſſe Afrum; quàm nouum & inauditum, Afrum non eſſe Afrum. Ita enim generale in eis malum impuritatis eſt; vt quicumque ex eis impudicus eſſe deſierit, Afer non eſſe videatur. *Saluian. eodem lib. 7. de Iudic. & prouident. Dei.* Quo in loco conſequenter plura reperiet, qui noſſe voluerit in vnâ Carthagine exuberantiam vitiorum.

Innumeris propè locis Saluiano adſtipulatur Auguſtinus, dum lubricos ſuorum mores, ſpectacula, & actus, inſectanter caſtigat: vt ex iis conſtat, quæ lib. 1. cap. 3. aliiſque locis è Sermonibus ad populum, varia retulimus.

Et quamquam alicubi ipſe teſtetur, paucos tum repertos fuiſſe qui verbis, ſed plures qui vitâ moribuſque blaſphemarent: ſolitos nihilominus blaſphemare (vt teſtatus eſt Saluianus) apparet vbi ait: Quis non ſecundùm iſtos, qui ex meritis prioris vitæ ante hoc corpus in cæleſtibus geſtæ, animas terrenis corporibus magis magiſque grauari opinantur, affirmet eas ante iſtam vitam ſceleratiùs immaniùſque peccaſſe; qui mentis lumen ſic amittere meruerunt, vt ſenſu vicino pecoribus naſcerentur: non dico tardiſſimi ingenio; (nam hoc de aliis dici ſolet) ſed ita excordes, vt etiam cirrati ad mouendum riſum, exhibeant cordatis delicias fatuitatis, quorum nomen ex Græcâ deriuatum, *Moriones* vulgus appellat? Talium tamen quidam fuit Chriſtianus, vt, cùm eſſet omnium iniuriarum ſuarũ patientiſſimus, iniuriam tamen Chriſti nominis, vel in ſeipſo religionis, quâ imbutus erat, ſic ferre non poſſet; vt blaſphemantes videlicet cordatos, à quibus hæc vt prouocaretur audiebat, inſectari lapidibus non deſiſteret, nec in ea cauſſa vel Dominis parceret: *lib. 2. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 22.*

§. III.

Afrorum peccatis etiam Auguſtinus Africæ calamitates adſcribit.

IGitur cum ab Epiſcopis perpetuâ vigilantiâ, hæreſes, tametſi penitus exſtirpari non potuerint, corriguntur; incorrecti mores permanſerunt: dum populus monitiones quidem audit, ſed non obaudit: finemque criminis vnius, gradum alterius facit. Etenim non ob aliud Afros ſuos cladem Barbaricam pati, Auguſtinus ait: qui nimirum non iam à Vandalis dumtaxat, ſed & à Barbaris intra Africam conſtitutis, (vti patet ex Epiſtola ad Bonifacium, quam antè recitauimus) malis multò maximis afficiebantur: adeò

vt

vt ne quidem propè iam conſumti, ad pœnitentiam reſpectarent.

Id enim magnopere deplorat vir piiſſimus, Sermone de Tempore Barbarico: quem tum perinde dixiſſe (menſe vt opinor Martio) conſideratis iis quæ cap. 5. eiuſdem Sermonis Tomo IX. habet, credere vtique debemus. Paucula ex eo recitabimus.

Admonet, inquit, Dominus Deus noſter, nos non debere negligere noſtra peccata: quando talem demonſtrat iram ſuam. Ipſe quippe iuſtè punit nocentem, quia nullum inuenit pœnitentem. Quoties, dilectiſſimi, intonuerunt atque intonant tubæ diuinæ: *Agite pœnitentiam: appropinquauit enim ad vos regnum cælorum*? Et clauſis auribus cordis, magis operamur mala, & petimus vt veniant bona. *cap.* I.

Si eſſet in nobis humanus affectus, ſi eſſet compaſſionis ſenſus; vnius hominis mortem flere, dolere, ac plangere deberemus. Quibus lacrymis, quo gemitu, quibus planctibus exagitamur; quando aut maximam partem, aut pœnè totam plangimus ciuitatem? Æger eſt carus, & vena eius malum renuntiat: omnes qui eum diligunt, ægrotant ſimul animo. Si eum in ipſa vicina morte redire viderint: quemadmodum ab eo omnem ſpem ſalutis ablatam ſentiunt; eum adhuc viuum, tamquam mortuum meritò plangunt.

Inter tantas anguſtias, & in ipſo fine rerum poſita eſt vniuerſa Prouincia, & quotidie frequentantur ſpectacula: ſanguis hominum quotidie funditur in mundo, & inſanientium voces crepitant in Circo. O planctus, omni triſtitiâ acceptior! ô planctus omni mœſtitiâ affligens cor? libet flere. Plangimus enim, dilectiſſimi, & illos, & nos: quia & nos digni ſumus, qui cum talibus meritò flagellemur. Nos enim cum alios accuſamus, omnes declinauimus: ſimul inutiles facti ſumus prorſus omnes: nullus eſt excuſatus, quia talis eſt iudex, vt omnis homo ab illo inueniatur reus. *eod. cap.*

Quiſquis malus es, quiſquis corrigi non vis; non te conſoletur altitudo tua: quia maior te exſpectat ruina, ampliorque ſuſtinet flamma, quia ſecuris hæc ad te nondum venit. Ideo putas te poſſe ſemper ſtare, cùm videas vel audias alias arbores ampliores cecidiſſe? *cap.* 2. Superbiam enim eorum caſtigat, qui fortunarum ſuarum, & potentiæ mole freti, nihilum de ſæculi inconſtantiâ cogitabant.

Dicet aliquis: Si mali meritò flagellantur; boni quare talia cum malis, & à malis patiuntur? Quare? Quia ſecundùm quemdam modum dicuntur boni: ſecundùm autem rectum verumque bonum, nemo bonus niſi ſolus Deus. Ergo & ipſi boni, quicumque ſunt boni; non tales ſunt, quales eſſe debent boni. Non enim ſunt perfectum bonum: proficiunt enim de die in diem. Si proficiunt, vtique exercitationibus proficiunt. *cap.* 3.

Igitur patientes eſtote boni, vt ſitis verè boni: patientes eſtote vſque ad aduentum Domini Tolerate mala, quæ patimini à malis, cum malis: quia iſta tentatio, veſtra eſt examinatio. Si aurum es; quid times paleam? quid times ignem? Simul quidem eritis in fornace: ſed ignis paleas in cineres vertit; tibi ſordes tollit. Si frumentum es; quid times tribulam? Non apparebis, qualis antea eras in ſpicâ; niſi tribula conterendo à te ſeparauerit paleas. Si oleum es; quid times preſſuram prælì? Non declarabitur ſpecies tua; niſi etiam pondus lapidis à te ſeparauerit amurcam.

Verumtamen interroget ſe vnaquæque anima, vt videat ſi iniuſtè patitur. Proferatur ſtatera iuſtitiæ: appendatur amor mundi, cum amore Dei: vide quemadmodum præponderet amor mundi. Proferatur ſpeculum Scripturæ diuinæ. Speculum hoc neminem palpat: qualis es, talem te tibi demonſtrat. Intende & vide: & ſi eſt aliquid quod te offendat; abi confuſus, & redi correctus. *eod. cap.*

Cumque trium Puerorum exemplo propoſito (qui, dum nolunt imaginem Regiam adorare, ignes riſerunt) miraculum fugatæ ab eis flammæ in fornace Chaldaicâ plurimùm commendaſſet; ſubdit: Quid tale, dilectiſſimi, fecimus? imò è contrario quæ mala non fecimus? Illi nec minis, nec tormentis conuenti, dæmoniis ſacrificauerunt. An non ſacrificauit, qui imagines Idolorum per noctem ludentes, quod *Nocturnum* vocant, libentiſſimè ſpectauit.

Sacrificauit prorſus, ſacrificauit: & quod peius eſt, non tauri, vel cuiuſlibet pecoris aliquam victimam; ſed ipſam animam hominis pretioſam. In hoc tam nefando ſacrificio, non vnus, vel pauci accuſantur: tota hoc ciuitas fecit, quæ tota conſenſit: nec ab hoſtibus, nec à barbaris; ſed à ſeipſo omnis homo in animâ ſeipſum occidit: videndo, conſentiendo, non prohibendo, omnes remanſimus rei. Et dum nolumus pacem ciuitatis turbari peruerſam; pacem quam deſideramus, non accipimus rectam. Contemnimus pacem ſeruare bonorum

bonorum morum, & periit pax temporum noſtrorum.

Diſcite vel nunc dilectiſſimi, quid cui rei præponere debeatis. Nolite diligere vitia in filiis, in amicis, in ſeruis, in omnibus notis: præponatur ſingularis poteſtas, omni poteſtati: honorem exhibeamus Cæſari, timorem autem Deo, &c. *cap.* 4.

Vt planè videas, veteris alicuius Paganiſmi ritus aut reliquias, tum adhuc ſuperſtites in Hipponenſibus ſuis, ſicuti apparet, integerrimum Epiſcopum flagellare voluiſſe.

Adhæc Martyrum adductis exemplis: Patientiâ Prophetæ Iob; Parabolâ filij Prodigi ab optimo patre in gratiam recepti, poſtquam in ſe vtique reuerſus, erroris ſui pœnitentiam egiſſet: (quæ tum ſanè opportuna videbantur graſſantibus malis ſiue ſolatia, ſiue remedia) vbi ſemel iterumque nefariam Arianorum hæreſin, quâ erant infecti Vandali, & ob quam rebaptizare quoſcumque ſatagebant, acriter perſtrinxiſſet, *cap.* 3. *& præſertim* 8. memor illorum, qui bonis omnibus mediiſque viuendi Barbarorum rapacitate multati, Hipponem profugerant; breuiter concludit: Reddituri eſtis rationem Domino Regi, boni ſerui: data eſt vobis occaſio bene operandi. Abundant peregrini, captiui, exſpoliati: facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt & ipſi recipiant vos in habitacula æterna. *ſerm. de temp. Barb. cap.* 8. *Tom.* I X.

§. IV.

Conſilium Auguſtini de fugâ Epiſcoporum, tempore bellorum.

INterea (inquit Poſſidius) reticendum minimè eſt, cùm memorati impenderent hoſtes, â ſancto viro Epiſcopo Thabennenſis Eccleſiæ Honorato per litteras fuiſſe conſultum Auguſtinum: Vtrumnam Barbaris aduentantibus, eſſet Epiſcopis vel Clericis recedendum ab Eccleſiis, an non? Eique reſcriptis inſinuaſſe, quid magis ab illis Romaniæ euerſoribus eſſet metuendum. *Poſſid. cap.* 30. Exſtat hæc Epiſtola *Tomo* I I. *num.* 180. Sacerdotum Dei, & miniſtrorum moribus vtilis, & neceſſaria, teſte Poſſidio *ibidem.*

Conſultus antea fuerat ſuper eâdem re à Quodvultdeo, Epiſcopo tum Carthaginenſi, vt teſtatur Victor l. 1. quique perinde Aurelio ſucceſſerat. Auguſtinus eum Coëpiſcopum vocat, eique ſe reſpondiſſe refert in hæc verba: Nec eos eſſe prohibendos, qui ad loca (ſi poſſunt) munita migrare deſiderant: & miniſterij noſtri vincula, quibus nos Chriſti charitas alligauit, ne deſeramus Eccleſias quibus ſeruire debemus, non eſſe rumpenda. *Epiſt.* 180.

Vnde ſic mox concludit: Reſtat ergo, vt nos, quorum miniſterium quantulæcumque plebi Dei vbi ſumus manenti ita neceſſarium eſt, vt ſine hoc eam non oporteat remanere; dicamus Domino: Eſto nobis in Deum protectorem, & in locum munitum. *ibid.*

Cùm verò & Honoratus ipſe, & alius quiſpiam Epiſcopus opponerent verba Chriſti dicentis, *Cum autem perſequentur vos in Ciuitate iſtâ, fugite in aliam*; atque inde dicerentur quidam plebes ſuas deſeruiſſe: & his & illis alio Euangelij loco occurrit. Cur enim, inquit, ſibi putant indifferenter obtemperandum eſſe præcepto, vbi legunt de ciuitate in ciuitatem eſſe fugiendum;& *mercenarium* non exhorrent, qui *videt lupum venientem & fugit, quia non eſt ei cura de ouibus*? Cur non iſtas duas Dominicas veraſque ſententias, vnam ſcilicet vbi fuga finitur aut iubetur, alteram vbi arguitur atque culpatur, ſic intelligere ſtudent, vt inter ſe reperiantur non eſſe contrariæ, ſicut non ſunt? Quicumque iſto modo fugit, vt Eccleſiæ neceſſarium miniſterium illo fugiente non deſit; facit quod Dominus præcepit ſiue permiſit: qui autem ſic fugit, vt gregi Chriſti ea quibus ſpiritaliter viuit, alimenta ſubtrahantur; mercenarius ille eſt, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non eſt ei cura de ouibus. *Eâdem Epiſt.*

§. V.

Digreſſio. In dubiis conſultus, neque aliorum facilè ſententiam damnat, neque ſuam præfractè tuetur.

MOdeſtiæ hi fructus ſunt, quam vti per reliquam omnem vitam tam ſcriptis quàm moribus conſtanter vbique expreſſit, ita

neque

neque ſub extremum amatam ſibi virtutem deſeruit. In Epiſtolâ certè iam memoratâ, poſtquam ſuam de Epiſcoporum fugâ ſententiam aperuiſſet, ne ſibi plus aliis ſumere videretur, his eam verbis obſignat: Hæc tibi, quia me conſuluiſti, frater dilectiſſime, quâ exiſtimaui veritate & certâ charitate reſcripſi: ſed nè meliorem, ſi inueneris, ſequaris ſententiam, non præſcripſi. *Epiſt.* 180.

Iam verò quod attinet Eccleſiaſticas conſuetudines, quæ aliæ aliis in terris aut regionibus etiam tum ſeruabantur; de his conſultus olim ab iis qui diuerſa ſentiebant, ita ſemper reſpondit, vt nullam earum damnaret, ſi modò Fidei aut moribus non repugnaret. Vnde nec immutandam cenſebat, quando id commodè & eius Eccleſiæ ſeruatâ pace fieri non poterat. Hinc ad Ianuarium de his ſcribens: Faciat ergo quiſque, inquit, quod in eâ Eccleſiâ in quam venit, inuenerit. Non enim quicquam eorum contra Fidem fit, aut contra mores, hinc vel inde meliores. His enim cauſſis, id eſt, aut propter fidem aut propter mores, vel emendari oportet quod perperàm fiebat, vel inſtitui quod non fiebat. Ipſa quippe mutatio conſuetudinis, etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat. Quapropter quæ vtilis non eſt, perturbatione infructuoſâ conſequenter noxia eſt. *Epiſt.* 118. *cap.* 5. Super huiuſmodi autem rebus contendere, & ſuperfluâ quæſtione rixari, (quod ſolent, qui, niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum exiſtimant) appellat ipſe puerilem ſenſum: cauendum in nobis, tolerandum in aliis, corrigendum in noſtris. *Ibid. cap.* 2. & 4.

Apparet ex eâdem Epiſt. iam inde ab Auguſtini æuo agitatam fuiſſe quæſtionem, de accipiendâ quotidie Euchariſtiâ: aliis alia ſentientibus, atque diuerſis rationibus cauſſam ſuam ſtabilientibus. Quâ in re conſultus ipſe, ſalubri temperamento partes vtraſque conciliare ſtudens; Rectiùs, inquit, inter eos fortaſſe quiſquam dirimit litem, qui monet vt præcipuè in Chriſti pace permaneant: faciat autem vnuſquiſque, quod ſecundùm fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini. Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere, & ille honorando non audet vllo die prætermittere. Neque enim litigauerũt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit Zachæus & ille Centurio: cùm alter eorum, *Gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominum*; alter dixerit, *Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum*: am- *Luc.* 19. *Matt.* 8.

bo

bo ſaluatorem honorificantes diuerſo & quaſi contrario modo; ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſecuti. *ibidem cap. 3.*

§. VI.

Bello Vandalos Bonifacius aggreſſus, funditur. Vandalorum mores.

INductis in Africam, & per omnia effuſis Vandalis: cùm amicos Bonifacij, qui hactenus officio non defuerat, ingens admiratio teneret, quænam illum intemperiæ tranſuerſum egiſſent; tum nonnulli iuſſu Placidiæ Auguſtæ, Carthaginem delati ſunt: vbi oſtenſis Bonifacius Aëtij litteris; omnem eius fraudem perfidiamque detexit. *Procop. l. 1. de bell. Vandal.* Receptus idcirco in gratiam, cum nullo pretio Vandalorum furorem redimere, abitumque cauponari potuit; bello eoſdem quos acciuerat, aggreſſus eſt.

Sed fuſus ipſe fugatuſque, Hipponem Regium, ciuitatem maritimam munitamque ſe recepit. Qua tandem deditâ, abeunte in cælum Auguſtino (vt diceмus) Bonifacius cum Romano exercitu cui Aſpar præerat, victus iterum; Romam deinde ex fuga appulſus eſt: vbi adepto magiſterio militum, anno circiter 433. vel morbo (vt ſcribit Proſper) extinctus eſt: vel (vt Marcellinus ait) ab Aëtio ſauciatus interiit: ac Pelagiæ coniugi moriens præcepit, vt ne alteri, quàm Aëtio nuberet.

Ceterùm poſt primam Bonifacij cladem, adeò procurrebat indies aucta calamitas; vt quadringentis ampliùs exciſis per Africam Eccleſiis, tres tantummodò ſupereſſent, Carthaginenſis, Hipponenſis & Cirtenſis. Sed de his paullò pòſt.

Eſt ſanè memorabile, eoſipſos Vandalos Africæ debellatores (cùm non tantummodò Afrorum in hæreſi pertinaciam, ſed & luxuriam, Imperij certiſſimam peſtem, amplexi eſſent) impietatis tandem pœnas dediſſe. Contriti enim poſtea ac ſubacti ſunt à Beliſario: qui Regem eorum Gilimerem, cum Theodora coniuge filioque Hilderico, Conſtantinopolim ad triumphum auexit, Imperante Iuſtiniano: qui ſe Libyâ potitum ſcribit tertio Conſulatu ſuo. Is autem incurrit in annum Chriſti IↃ.XXXIII.

Tali.

Talibus porrò vitiis obnoxios fuiſſe Vandalos, ex Procopio audiamus. Vandali, inquit, omnium ſunt quos ſciam molliſſimi, atque delicatiſſimi. Illis, quamdiu Africam tenuerunt, menſa quotidie copioſa, & rerum omnium quas fert regio, referta fuit. Geſtabant veſtem Medicam ac ſumtuoſam, quam ſericam vocant. In theatris & hippodromis, ac reliquis oblectamentis, præſertim in venationibus continuò verſabantur: ſaltatores & mimos ſpectabant: acroamatis & muſicis inſtrumentis aures demulcebant. Eorum plerique in hortis aquâ & arboribus amœnis degebant: ſympoſia, conuiuiaque celebrabant: vt nihil deeſſet, profuſi in Venerem erant. *Procop. lib. 2. Bell. Vand.*

CAPVT X.

AVGVSTINI VLTIMVS CONTRA HÆRETICOS LABOR.

§. I.

Semi-pelagianiſmi ortus, eiusq; auctores.

NOndum obierat Auguſtinus, cùm Pelagiana hæreſis faciem nonnihil immutauit: & videri Catholica voluit, quia iam Gallicanis quibuſdam è Maſſilia Presbyteris placere cœperat. Hos ſicuti magnæ ſanctitatis atque doctrinæ, ita auctoritatis fuiſſe, Proſper & Hilarius commemorant ſcriptis ad Auguſtinum litteris: vt haud dubium ſit, quin eos inter fuerint Ioannes Caſſianus (qui peragratis Ægypti & Thebaidis variis Monaſteriis, Maſſiliæ tandem conſedit; vetus Chryſoſtomi diſcipulus, origine Schyta, exercitatione Monachus) & Vincentius, alius à Lirinenſi, Genuenſis opinor: vnum eundemque eſſe, alij aſſerunt. Hi detruncatis abs vniuerſo errorum Pelagij corpore, aliquot membris; ſolum retinuerant caput, à quo demum animaretur, quod erat præciſum. Anno 428.

Dum libertatem arbitrij, affectumq; volendi

In naturalis motûs virtute locantes;
Tam bona quemq́; decent ſectari poſſe ſuopte
Ingenio, quàm poſſe ſubeſt cuique in mala ferri.

Proſp. lib. de Ingrat. cap. 4.

In reliquis enim cum Catholicis ſentiebant:ab illâ verò velut partitâ Pelagij hereditate, Semipelagiani appellati ſunt. quos ita Proſper loquentes inducit:

Immortalem hominem factum ſi creditis; & nos
Credimus. Inciderit mortem peccando, ſuámque
Progeniem culpâ & letho deuinxerit omnem:
Nullus non egeat ſacro baptiſmate Chriſti,
Infantéſque etiam purgentur fonte lauacri:
Dum noſtri decus arbitrij, luménque creatum
Principio, quod ſponte poteſt inſiſtere rectis,
Manſerit illæſum; nec viribus abſit ab illis,
Quas condente Deo generaliter omnis in Adam
Suſcepit natura hominis: nec ſuppetat vlli
De non acceptâ arbitrij virtute querela:
Cùm ſine delectu, ſeu lex, ſeu Gratia Chriſti,
Omnem hominem ſaluare velit: donúmque vocantis
Sic ſit propoſitum, vt nullus non poſſit ad illud
Libertate ſuâ, proprióque vigore venire;
Sítque ſalus, dignis ſaluari, ex fonte VOLENDI. *eod. l.c.* 6.

§. II.

Semipelagiani Auguſtino obtrectant. Eorum dogmata fuſiùs relata.

HIs veluti iactis fundamentis, ſcripta Auguſtini contra Pelagianos carpere cœperunt: ac dicere, quidquid in eis de vocatione electorum ſecundum Dei propoſitum docuerat; Patrum opinioni, & Eccleſiaſtico ſenſui eſſe contrarium. *Proſp. Epiſt. ad Auguſtinum.*

Et quamquam nouiſſimo Auguſtini commentario, quem de Correptione & Gratia ad Monachos Adrumetinos dederat, veluti præſentiſſi-

ſentiſſimo antidoto, ſanari potuiſſent: quando eâdem videlicet cachexiâ laborabant: euenit nihilominùs, vt eis non tantùm non profuerit tam excellens medicina, quin potiùs vehementer obfuerit, ſicuti latiùs ibidem Proſper enarrat: quem vt non ſufficiat, verſâ oratione loquentem audiuiſſe; proſâ repetemus. Hæc ènim ipſorum, inquit, definitio ac profeſſio eſt:

OMNEM quidem hominem, Adam peccante peccaſſe: & neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regeneratione ſaluari: vniuerſis tamen hominibus, propitiationem, quæ eſt in Sacramento Sanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam; vt quicumque ad fidem & baptiſmum accedere voluerint, ſalui eſſe poſſint. Qui autem crediturі ſunt; quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit iuuanda, manſuri ſunt; præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum: & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum: quos gratis vocatos; dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros præuiderit. Ideoque omnem hominem, ad credendum & ad operandum diuinis inſtitutionibus admoneri: vt de apprehendenda vita æterna nemo deſperet, cùm voluntariæ deuotioni remuneratio ſit parata.

Hoc autem propoſitum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium vel in ipſa conditione generis humani, eligendorum & reiiciendorum dicitur facta diſcretio; (vt ſecundùm quod placuit Creatori, alij vaſa honoris, alij vaſa contumeliæ ſint creati) & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem torporis adferre: eò quòd in vtramque partem ſuperfluus labor ſit, ſi neque reiectus vllâ induſtriâ poſſit intrare; neque electus vlla negligentiâ poſſit excidere. Quoquo enim modo ſe geſſerint; non poſſe aliud erga eos, quàm Deus definiuit accidere, & ſub incerta ſpe curſum non poſſe eſſe conſtantem: cùm, ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, caſſa ſit annitentis intentio.

Remoueri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes; ſi Dei conſtitutio humanas præueniat voluntates: & ſub hoc prædeſtinationis nomine, fatalem quandam induci neceſſitatem; aut diuerſarum naturarum dici Dominum conditorem; ſi nemo aliud poſſit eſſe, quàm factus ſit, &c. *Proſp. Epiſt. ad Auguſt.* Et poſt pauca:

QVIDAM verò horum in tantum à Pelagianis ſemitis non declinant, vt, cùm ad confitendam eam Chriſti gratiam quæ omnia præueniat merita humana, cogantur; (ne ſi meritis redditur, fruſtrà Gra-

tia nominetur) ad conditionem hanc velint vniuſcuiusque hominis pertinere, in qua cum nihil prius merentem, quia nec exiſtentem, liberi arbitrij, & rationalem, gratia Creatoris inſtituat: vt per diſcretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius, poſſit ſuam dirigere voluntatem: atque ad hanc gratiam, quâ in Chriſto renaſcimur, peruenire per naturalem ſcilicet facultatem petendo, quærendo, pulſando: vt ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat; quia bono naturæ bene vſus, ad iſtam ſaluantem gratiam, initialis gratiæ ope, meruerit peruenire.

Propoſitum autem vocantis Gratiæ, in hoc omninò definiunt; quòd Deus conſtituerit nullum in regnum ſuum, niſi per Sacramentum regenerationis, aſſumere. Et ad hoc ſalutis donum omnes homines vniuerſaliter, ſiue per naturalem, ſiue per ſcriptam legem, ſiue per Euangelicam prædicationem, vocari: vt & qui voluerint, fiant Filij Dei; & inexcuſabiles ſint, qui fideles eſſe noluerint: quia iuſtitia Dei in eo ſit, vt qui non crediderint pereant; bonitas in eo appareat, ſi neminem repellat à vita, ſed indifferenter vniuerſos velit ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. *Idem eâd. Epiſt.* Et paulò pôſt:

CVMQVE inter hæc (inquit) innumerabilium illis multitudo obiicitur paruulorum, qui vtique excepto originali peccato (ſub quo omnes homines ſimiliter in primi hominis damnatione naſcuntur) nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non ſine Dei iudicio ſecernuntur: vt ante diſcretionem boni ac mali de vſu vitæ iſtius auferendi, alij per regenerationem inter cæleſtis regni aſſumantur hæredes; alij ſine baptiſmo, inter mortis perpetuæ tranſeant debitores: tales aiunt perdi talesque ſaluari, quales futuros illos in annis maioribus, ſi ad actiuam ſeruarentur ætatem, ſcientia diuina præuiderit. *ibidem.* Et paucis interiectis.

Hanc ſanè de humanis meritis præſcientiam Dei, ſecundùm quam gratia vocantis operetur, multò ſibi rationabiliùs videntur adſtruere, cùm ad earum nationum contemplationem venitur, quæ vel in præteritis ſæculis dimiſſæ ſunt ingredi vias ſuas; vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantiæ impietate depereunt, nec vlla eis aut legis aut Euangelij illuminatio coruſcauit: cùm tamen in quantùm prædicatoribus oſtium apertum eſt & via facta eſt, gentium populus qui ſedebat in tenebris & in vmbra mortis, lucem

viderit

viderit magnam: & qui quondam non populus, nunc autem populus Dei ſit: & quorum aliquando non miſertus eſt, nunc autem miſereatur; præuiſos inquiunt à Domino, credituros: & ad vnamquamque gentem ita deſpenſata tempora, ac miniſteria magiſtrorum; vt exortura erat bonarum credulitas voluntatum.

Nec vacillare illud, quod Deus omnes homines velit ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: quandoquidem inexcuſabiles ſint, qui & ad vnius veri Dei cultum potuerint inſtrui intelligentiá naturali; & Euangelium ideo non audierint, quia nec fuerint recepturi. Pro vniuerſo autem humano genere, mortuum eſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: & neminem prorſus à redemptione ſanguinis eius exceptum, etiamſi omnem hanc vitam alieniſſimâ ab eo mente pertranſeat: quia ad omnes homines pertineat diuinæ miſericordiæ Sacramentum: quo ideo plurimi non renouentur; quia quòd nec renouari velle habeant, prænoſcantur.

Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem; ab his etiam apprehendi qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ, merito credulitatis acceperint.

In iſtam verò talis gratiæ prædicationem, hi, quorum contradictione offendimur, cum priùs meliora ſentirent, ideo ſe vel maximè contulerunt; quia ſi profiterentur ab eâ omnia bona opera præueniri, & ab ipsâ vt poſſint eſſe donari; neceſſitate concederent, Deum, ſecundùm propoſitum & conſilium voluntatis ſuæ, occulto iudicio & opere manifeſto aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam: quia nemo niſi per gratiam iuſtificetur, & nemo niſi in præuaricatione naſcatur. Sed refugiunt iſtud fateri: diuinoque adſcribere operi, ſanctorum merita formidant.

Nec acquieſcunt, Prædeſtinatum Electorum numerum nec augeri poſſe, nec minui: ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant, ac ſuperflua ſit induſtriæ ac laboris indictio, cuius ſtudium, ceſſante electione, fruſtrandum ſit. Ita demum enim poſſe vnumquemque ad correctionem aut ad profectum vocari; ſi ſe ſciat ſuâ diligentiâ bonum eſſe poſſe: & libertatem ſuam ab hoc Dei auxilio iuuandam, ſi quod Deus mandat, elegerit.

Ac ſic, cùm in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo ſint quæ humanam operentur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis

obedientia; priorem volunt obedientiam eſſe, quàm gratiam: vt initium ſalutis ex eo qui ſaluatur, non ex eo credendum ſit ſtare, qui ſaluat: & voluntas hominis, diuinæ gratiæ ſibi pariat opem; non gratia ſibi humanam ſubiiciat voluntatem. *ead. Epiſt.*

Similia ſunt quæ Hilarius, olim Auguſtini contubernalis & diſcipulus, magiſtro per litteras ſignificauit: binas, vt apparet ex vnis quæ exſtant: quibus impreſsè loca quædam ex operibus Auguſtini pridem editis refert, per quæ nouitium ſuum dogma Semipelagiani firmabant.

§. III.

A Proſpero & Hilario conſultus Auguſtinus, ſcribit de Prædeſtinatione Sanctorum & Dono perſeuerantiæ.

PORrò duos hoſce, Proſperum & Hilarium, perpetuæ Gallorum querimoniæ, quibus vndequaque ſatisfacere non poterant, ad Auguſtini opem recurrere compulerunt: præſertim cùm inter eos quidam etiam Epiſcopali dignitate fulgentes, ſanctitatis inſuper opinione pleroſque mortales in idem ſecum periculum doctrinæ raperent. Quare totam Semipelagianorum opinionem ſcripto complexi ad Auguſtinum miſerunt, rogantes vt quid eſſet de eâ ſentiendum, quove pacto rationibus eorum occurrendum, quantâ poſſet perſpicuitate doceret.

Et quod Proſperum ſpectat; circa hoc tempus ſcripſiſſe videtur Epiſtolam ad Ruffinum, de libero arbitrio: quâ non tantum Semipelagianos errores ſtrenuè confutat; verumetiam Auguſtini hyperaſpiſten, & luculentum laudatorem agit.

Auguſtinus verò iam vetus & multarum palmarum pugil, qui tot tantiſque voluminibus Pelagianum errorem proſtrauerat, vt potuerit non immeritò dici illius triumphator; acceptis amborum litteris, calamum ſtrinxit, ad ea elucidanda quæ popoſcerant, vnaque aduerſariorum obiectiones confutandas. Fecit id editis duobus libris, vno De Prædeſtinatione Sanctorum, De dono perſeuerantiæ altero: tantâ luce atque energiâ, vt non tam ingenij vires intendiſſe, quàm diuino afflante ſpiritu locutus fuiſſe videatur.

Ac

Ac primò quidem docet, quod fundus & ſeges eſt controuerſiæ totius, Non tantummodò incrementum fidei, ſed initium quoque ipſum, Dei donum eſſe: ideoque prædeſtinationem ex meritis, tamquam noſtris, eſſe haud poſſe.

Nam, vt inquit cum Apoſtolo: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei. quoniam ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia.* Et ipſum igitur initium fidei noſtræ, ex quo niſi ex ipſo eſt? Neque enim hoc excepto ex ipſo ſunt cætera; ſed ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia. *Libr. de prædeſt. cap. 2.*

Sequenti verò capite fatetur ſummâ humilitate ſe aliquando aliter ſenſiſſe; (ante Epiſcopatum nempè) ſed reſipuiſſe, conſideratis Apoſtoli verbis vbi ait: *Quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quo præcipuè, inquit, teſtimonio etiam ipſe conuictus ſum cùm ſimiliter errarem, putans fidem quâ in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona quibus temperanter & iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo. Neque enim fidem putabam Dei gratiâ præueniri, vt per illam nobis daretur quod poſceremus vtiliter; niſi quia credere non poſſemus, niſi præcederet præconium veritatis: vt autem prædicato nobis Euangelio conſentiremus; noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuſcula mea ſatis indicant, ante Epiſcopatum meum ſcripta. *libr. de prædeſtinat. cap. 3.* Sunt autem opuſcula illa, quorum hîc meminit, præcipuè Expoſitio quarumdam propoſitionum ex Epiſtolâ ad Romanos: ex qua errorem ſuum Semipelagiani Maſſilienſes Auguſtini verbis & auctoritate tuebantur, vt refert Hilarius Epiſtola ad Auguſtinum: qui olim imprudenter à ſe ſcripta, poſtcà palàm retractauit *libr. 1. Retract. cap. 23.* Et iterùm *lib. de prædeſt. loco citato.* vbi ſtatim ſubdit:

Quapropter videtis certè, inquit, quid tunc de fide atque operibus ſentiebam; quamuis de commendanda Dei gratiâ laborarem. In qua ſententia iſtos fratres noſtros eſſe, nunc video: quia non ſicut legere libros meos, ita etiam in eis curauerunt proficere mecum. Nam ſi curaſſent inueniſſent iſtam quæſtionem, ſecundùm veritatem diuinarum Scripturarum, ſolutam in primo libro duorũ, quos ad beatæ memoriæ Simplicianum ſcripſi, Epiſcopum Mediolanenſis Eccleſiæ, S. Ambroſij ſucceſſorem, in exordio Epiſcopatûs mei: niſi fortè non eos nouerunt.

uerunt. Quod ſi ita eſt; facite vt nouerint. *l. de Prædeſt. Sanct. c. 4.*

Neque enim volo quémquam ſic amplecti omnia mea, vt me ſequatur; niſi in iis, in quibus me non errare perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi: vt nec meipſum in omnibus me ſecutum fuiſſe demonſtrem, ſed proficienter me exiſtimo, Deo miſerante, ſcripſiſſe, non tamen à perfectione cœpiſſe: quandoquidem arrogantiùs loquor, quàm veriùs; ſi vel nunc dico me ad perfectionem, ſine vllo errore ſcribendi, iam in iſtâ ætate veniſſe, &c. *l. de dono perſeu. cap. 21.*

Iam & reſpondet ad id, quod in Opuſculo quodam ſuo contra Porphyrium, ſub titulo De tempore Chriſtianæ religionis, dixerat: ſibique fauere, Semipelagiani exiſtimabant. *l. de Præd. Sanct. c. 9.*

Cùmque iidē moleſtè ferrent, ita diuidi gratiam, quæ vel tunc primò homini data eſt, vel nunc omnibus datur, vt ille acceperit perſeuerantiam, non quâ fieret vt perſeueraret; ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeuerare nō poſſet: nunc verò ſanctis in regnum per gratiam prædeſtinatis, non tale adiutorium perſeuerantiæ detur; ſed tale vt eis perſeuerantia ipſa donetur: non ſolum vt ſine iſto dono, perſeuerantes eſſe non poſſint; verumetiam vt per hoc donum, non niſi perſeuerantes ſint: *Hilar. Epiſt. ad Auguſt.* latiùs idipſum lucidiusque pertractat & aperit altero Libro, quem De dono perſeuerantiæ inſcripſit.

Et vbi difficultates omnes, quas ſiue Proſper ſiue Hilarius propoſuerant tam ſuo quàm errantiū in Gallia nomine, enucleatè ſoluiſſet, vt ne atomus quidem vnica dubiorum reſtaret; ad extremum ait: Qui legunt hæc, ſi intelligunt; agant Deo gratias: qui autē non intelligunt; orent vt eorum ille ſit doctor interior, à cuius facie eſt ſcientia & intellectus. Qui verò errare me exiſtimant; etiam atque etiam diligenter quæ ſunt dicta conſiderent, ne fortaſſis ipſi errent.

Ego autem cùm per eos, qui meos labores legunt, non ſolùm doctior, verum etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnoſco: & hoc per Eccleſiæ Doctores maximè exſpecto, ſi & in ipſorum manus venit, dignenturque noſſe quod ſcribo. *l. de dono perſeu. c. 24.*

Ceterùm quo tempore ambo hi libri conſcripti ſint; colligi exinde poteſt, quòd, cùm Retractationū ſuarum duos libros abſoluiſſet, primùm acceperit Proſperi & Hilarij ſcripta prolixiora, ſiue litteras: *l. de Prædeſt. Sanct. c. 3.* vt perinde computari debeant inter vltima morientis verba, quæ ſuo funeri cæleſtis hic cygnus præcinuerit.

§. IV.

§. IV.

Iulianus octo Libris Auguſtinum oppugnat: ex his quinque Alipius ad Auguſtinum tranſmittit.

SEd neque interea omittendi ſunt alij, beatiſſimi Antiſtitis præ- Anno
ter-propter hæc tempora exantlati labores. Romæ etenim exi- 429.
ſtente adhuc Alipio, vt diximus, Iulianus ſecundum opus ſuum publicauit, volumini ſecundo Auguſtini De Nuptiis & Concupiſcentiâ oppoſitum, octo Libris.

Hos cùm Alipius Romæ accepiſſet; nondum omnes deſcripſerat, cùm oblatam occaſionem noluit prætcrire, per quam quinque Auguſtino tranſmiſit: promittens alios tres citò ſe eſſe miſſurum, & multùm inſtans, ne reſpondere differret. *Epiſt. ad Quodvultd. Tomo 6.*

Erant hi Iuliani libri pleniſſimi calumniarum, conuitiorum, & acerbiſſimæ bilis: tanto denique faſtu tantoque tumore conſcripti, vt ex eis ſolis planiſſimè liceat hæreticum in Iuliano ſpiritum æſtimare. Vocat in primis ore contumelioſo Catholicos omnes, qui confitentur Originale peccatum, Traducianos: imitatus maiores ſuos, qui quoties à Catholicis exierunt, nouum eis nomen impoſuerunt. *l. 1. op. imp. c. 7. & 77.* & *l. 2. c. 14.* Ipſum Auguſtinum, Tractatorem Pœnum: fortè à Tractatibus quos ediderat in Ioannem. Sed cui paronomaſticàs reſpondet Auguſtinus: Magna tibi pœna eſt, diſputator hic Pœnus: & longè antequam naſceremini, magna pœna hæreſis veſtræ, Pœnus præparatus eſt Cyprianus. *l. 1. op. imp. c. 8.*

Nimirum cùm eodem improperio, iam antè in opere priore, Iulianus fuiſſet petulanter vſus; ipſe verò Auguſtinus, auctoritate Cypriani errorem eius conuiciſſet: Pœnus (inquit) diſputator, non ego, ſed Cyprianus,

——— Pœnus te hoc vulnere, Pœnus
Immolat: & pœnam ſcelerato ex dogmate ſumit.

alludens ad illud Virgilij l. 12.

——— *Pallas te hoc vulnere, Pallas*
Immolat: & pœnam ſcelerato ex ſanguine ſumit.

l. 3. cont. Iulian. c. 17.

Obiicit deinde, Auguſtinum Manichæo, Iouiniano, aliiſque pridem damnatis hæreſibus affinia docere: idque verbis tam aculeatis & maledicâ phraſi; vt ſatyram potiùs aut inuectiuam accepto conuitiandi pretio ſcribere, quàm aduerſario reſpondere, videri maluerit.

Sed neque beatæ Monicæ, arreptâ è medio vitilitigandi occaſione aliquâ, pepercit homo procax: cuius perinde vindicias Auguſtinus ſuſcipiens, Quod autem, inquit, etiam Matrem meam, quæ te nihil læſit, nec contra te aliquid diſputauit, conuitio lacerandam putaſti; victus es maledicendi libidine: non timens quod ſcriptum eſt, *Neque maledici regnum Dei poßidebunt*. Sed quid mirum eſt quod te inimicum etiam eius oſtendis, cùm ſis inimicus gratiæ Dei; quâ eam dixi ab illo puellari vitio liberatam? Ego verò parentes tuos, tamquam Catholicos Chriſtianos, honorabiles habeo: eiſque gratulor, quòd antè defuncti ſunt, quàm hæreticum te viderent. *l. 1. op. imp. c. 69.*

§. V.

Lucubrat die noctuq; : & Iuliano reſpondet.

HOs quinque Iuliani libros ſibi Româ ab Alipio miſſos accepit Auguſtinus, retractandis quæ reſtabant operibus ſuis intentus, cùm iam emendaſſet Libros à ſe conſcriptos centum triginta duos, eoſque in duo volumina redegiſſet. Reſtabant autem, vt ipſe teſtatur, Epiſtolæ & Tractatus populares, quos Græci Homilias vocant. Et plurimas iam Epiſtolarum legerat, ſed nihil adhuc inde dictauerat. *Epiſt. ad Quodvuld. tom. 6.* Cùm verò inſtaret Alipius, vt Iuliani libris reſpondere nè differret; neque opuſculorum tamen ſuorum retractationem (vtpote rem, vt ipſe indicabat, plurimùm neceſſariam) omittere aut tantiſper intermittere vellet; ſtatuit vtrique operi ſimul incumbere, vni diebus, alteri noctibus: quando ei ab aliis occupationibus hinc inde interim venire non deſinentibus parceretur. *ibid.*

Euenit

Euênit autem vt circa idem tempus Quodvultdeus, Diaconus Carthaginenſis, iteratis litteris ac precibus ab Auguſtino poſceret breue aliquod ſcriptum de Hæreſibus, quæ ab initio prædicati Euangelij ad hæc vſque tempora exſtitiſſent; his inter alia verbis Auguſtinum compellans: *Video quàm oneroſus exiſtam meliora cogitanti, & diſponenti maiora ſancto ſeni, & querelas corporis ſuſtinenti. Sed per Chriſtum Dominum rogo, qui te participem Sapientiæ ſuæ ſine inuidiâ eſſe conceſſit, vt hanc gratiam dones indoctis Eccleſiæ, qui te agnoſcis ſapientibus atque inſipientibus debitorem; merito ac iure dicturus: Videte quoniam non mihi ſoli laboraui, ſed omnibus exquirentibus veritatem. Quodvultd. Epiſt. 1. ad Auguſt. tom. 6.* Ad has litteras reſpondens Auguſtinus, nullâ de occupationibus ſuis factâ mentione, tantùm difficultatem operis poſtulati excuſat: & Quodvultdeum ad Philaſtrij & Epiphanij (quorum hic Cypri Epiſcopus, ille Brixienſis, de Hæreſibus vterque [illegible] ſcripſerant) libros remittit. *Auguſtin. Epiſt. 1. ad Quodvultd. tom. 6.*

Verùm hanc excuſationem non admittens Quodvultdeus, aliis litteris quod priùs rogauerat vrget; eaſque finit in hæc verba: *Quamobrem ad peculiare patrocinium pietatis tuæ confugio, & voce meâ, ſed vniuerſali deſiderio, paratum ad miſericordiam ſacroſanctum pietatis pectus appello: ſequeſtratis ſaporibus peregrinis, panem Afrum (quem noſtra prouincia ſolet habere præcipuum) caleſti etiam mannâ conditum, ſero pulſanti & famem patienti non deneges*

Hâc Quodvultdei inſtantiâ atque indefeſsâ importunitate permotus Auguſtinus, cœperat animo agitare quomodo Quodvultdeo ſatisfaceret: quod tamen reapſe efficere non potuit, talibus (vt ipſe ait) curis ſuperuenientibus impeditus, à quibus omnino diſſimulare non poſſet. *Epiſt. 2. ad Quodvultd.* Erant autem, vt ibidem teſtatur, libri Iuliani quinque, ex octo, quos ſuprà retulimus: quorum tunc quarto reſpondere ſe cœpiſſe commemorat. Additque, quod huc propriè facit: Quando id ergo explicauero, quintoque reſpondero; ſi tres non ſuperuenerint, diſpono (ſi Deus voluerit) & quæ poſcis incipere: ſimul agens vtrumque & hoc ſcilicet, & illud de retractatione opuſculorum noſtrorum, nocturnis & diurnis temporibus in ſingula diſtributis. *ibid.*

Cùm autem Librum de Hæreſibus, quem hîc certis conditionibus Quodvultdeo promittit, poſtmodum ſcribere aggreſſus ſit; apparet

eum

eum quinque Iuliani libros aliis totidem refutaſſe: quamquàm ex his duo tantum exſtant, nuper à Claudio Menardo Andium Proprætore inuenti, luciq́ue redditi: reliqui tres vel omninò perierunt, vel cum puluere & blattis alicubi etiamnum luctantur.

§. VI.

Lacinia. contra Librorum D. Auguſtini aduerſus Iulianum, obtrectatorem.

VErum quidem eſt, duos hoſce poſterioris Auguſtini contra Iulianum Operis Libros in dubium ab iis vocari, qui nouâ ſuorum Doctorum opinione delectati, veterem deſeruerunt, & ſcriptis ſuis perſecuti ſunt: ſed tamen conuincuntur, inprimis certiſſimâ facie ſtyli & ſermonis Auguſtini, & perpetuâ conſonantis cum reliquis doctrinæ ſententiâ.

Et ideo maioris audaciæ & temeritatis (ne quid amplius dicam) reus eſt Logicus quidam, (neque enim fas eſt eiuſcemodi homines Theologos appellare) qui nuper in Academicis ſcholis, inter Auguſtinum & Iulianum iudicis aſſumptâ perſonâ, vtriuſque obiectiones & reſponſiones ex primo libro Operis imperfecti, de quo agimus, dialogi in modum longo diſcurſu foras eduxit: & oſtendere voluit ad ſingulas earum, ob tales & tales rationes, Iuliano non ſatisfeciſſe Auguſtinum.

Exiſtimo dicere voluiſſe, regulas argumentandi Dialecticorum, Auguſtinum (quem tam diu antè Dialecticum Donatiſtæ, propter acrimoniam differendi & concludendi, appellauerant) aut ignoraſſe, aut ætatis iam & annorum auctu, obliuioni tradidiſſe: vt ideo Logicus hic oſtendere debuerit vitium in quod impegit, & errantem reducere in viam. Nam & aliquando reſponſionem Diui Auguſtini, potuiſſe à Iuliano aduersùs reſpondentem retorqueri, acutè ſcilicet obſeruauit. Quare miror, quòd cum Iuliano (cuius tanti ingenium facit) non comparauerit Auguſtinum piſtillo, imò dixerit eſſe piſtillo obtuſiorem. *l.2. oper. imp.* præſertim cùm & ipſe Iulianus alibi docere voluerit (vti nunc Logicus facit) quomodo fiant à Dialecticis ſyllogiſmi. *l.3. cont. Iul. c.7.*

Vti

Vti enim Pelagiani omnes in acumine diſputandi iuxta Ariſtotelis methodum, mirificè ſibi plauſerunt; ita & Iulianus: adeò vt rerum omnium priùs inquireret rationem, cui deinde ſi poſſet auctoritatem, etiam diuinam, adaptaret: ſi non poſſet; eandem omitteret. Hinc & Apoſtolum alicubi dicit futurum fuiſſe perturbatæ mentis, ſi quidquam loqueretur contra rationes apertiſſimas à ſe prolatas. *l. 2. op.imp.c.226.* & alibi ita loquitur: Cùm igitur liquidò clareat, hanc ſanam & veram eſſe ſententiam, quam primo loco ratio, deinde Scripturarum muniuit auctoritas, *l. 1 cont.Iul.c.7.* Præterea: Vbi verborum communitas ingerit quæſtionem; adhibeatur regula rationis: ad cuius æqualitatem, quæ putabantur deflexiſſe, tendantur. *l. 1 oper. imp.*

Contra quæ & ſimilia inquit Auguſtinus: Quæ tibi argumenta ſuccurrent? quæ Ariſtotelis Categoriæ, quibus vt in nos velut artifex diſputator inſilias, videri appetis elimatus? *l. 1. cont. Iul. c. 4.* Et alibi: Vbi eſt acumen tuum, quo tibi videris Categorias Ariſtotelicas aſſecutus, & etiam Dialecticæ artis aſtutiam? *l. 3. cont. Iul. c. 2.* Et rurſum: Vides nempe quàm dialecticè nihil dixeris, & nullâ quidẽ culpâ Dialecticæ diſciplinæ, tu quantum à tramite eius exorbitaueris? Videris illius artis verbis ad hoc vti, vt eis inflatus attonitos facias imperitos, volendo videri eſſe, quod non es. Quod etſi eſſes; ad eum modum quo iſta diſputanda ſunt, nihil eſſes. Sed planè nunc & ineptus & imperitus, tunc autem ineptus artifex eſſes: & tamen Dialecticorum quaſi iaculis oneratus acutis, in certamen procedis, & iactas plumbeos pugiones. *eod. l. c. 7.* Denique: Ideóne, inquit Auguſtinus, quia intellectu difficile eſt quod dicitur, contra Eccleſiam Matrem veſtram, ratiunculis veſtris, quaſi parricidalibus pugiunculis, debetis armari? *l. 6. cont. Iul. c. 7.* Vt enim paulò pòſt ſequitur: Si vis viuere, noli amare ſapientiam verbi, quâ euacuatur crux Chriſti. *eod. l. c. 11.*

Vt interim Logicus faceret quod crabrones ſolent, infixo auolare aculeo: neque impingeret in Cæleſtini Papæ ſanctiſſimi doctiſſimique de Auguſtino teſtimonium, quod recitat Proſper libro contra Collatorem extremo, his verbis: *Auguſtinum ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua atque pro meritis, in noſtra ſemper communione habuimus, nec vnquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit: quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, vt inter Magiſtros optimos, etiam à meis ſemper prædeceſſoribus haberetur.* Vt in hunc, inquam, lapidem angularem non impingeret, Celeſtium Pelagij armigerum imitatus, ita denique declamationem con-

 cluſit,

cluſit,vt affirmare quidem nollet, Iulianum in ea diſputatione victorem euaſiſſe; ſed demonſtrare ſolummodò, quàm ſint inſufficientes, intricatæ,& obſcuræ D. Auguſtini reſponſiones. Siquidem & ipſe Celeſtius,vt ſuprà memorauimus, cùm apud Zozymum Papam à doctrinæ fæculentia purgare ſe vellet,ita fuerat præfatus: vt ſi qua doctrinæ prauitas ei obrepſiſſet, integritatis Apoſtolicæ remedio ſanaretur. vide *l. 6. cont. Iul. c. 12.*

Verumtamen interrogo,quid duo hæc interſit:viciſſe Iulianum, & inſufficienter reſpondiſſe Auguſtinum. Quorſum enim ductore Auguſtino triumphauit de Pelagianis Eccleſia, ſi eorum Achilli Iuliano aut non ſatisfecit,aut ambiguè ſolummodò reſpondit? debuit nimirũ poſt tot ſummos Pontifices, vt mox demonſtrabimus, & doctiſſimos Epiſcopos, imò poſt orbis terrarum conſenſum, nouus aliquis repentè emergere,qui diceret Auguſtinum, (cum id alios fugiſſet) obiectionibus Iuliani, non-niſi intricatas ſolutiones & ambiguas repoſuiſſe: ob quas perinde etiamnùm conſtet robur earundem obiectionum,iudice tanto viro,qui plus operæ poſuit fortaſſe in Ariſtotelicis,quàm Euangelicis & Apoſtolicis litteris,

Quid aliud aduerſus Auguſtinum dicere Donatiſtæ potuerunt, calidiſſimi licet,vt ſuprà vidimus,Pragmatici,quàm (cùm eſſent deuicti praſtratique, neq; agere ex ratione vltrà poſſent) inerta eum pro certis excogitare:non permittere legentes quæ vera ſunt credere, ſed facere vt altiùs dubia ſuſpicentur, vti narrauimus *l. 3. c.* 8. §.6. Hos enim, (tametſi taceamus) imitari modernos Auguſtini obtrectatores,palàm eſt. Videant idcircò, ne fides iterum poëticas ſuas contra eoſdem Proſper exacuat, occinatque ſicuti in Collatorem olim:

Contra Auguſtinum narratur ſerpere quidam
Scriptor, quem dudum liuor adußit edax:
Qui caput obſcuris contectum vtcumque cauernis
Tollere humo, miſerum perpulit anguiculum.
Aut hunc fruge ſua aequorei pauêre Britanni,
Aut huic Campano gramine corda tument.
Quæ concepta fouet, promat: quæ parturit, edat:
Seu vetere armatur dogmate, ſiue nouo.
In quoſcumque ſinus ſpirarum torqueat orbes,
Et fallax multâ contegat arte caput;
Currentem attritos ſuper aſpidas & Baſiliſcos
Declinare ſenem Vipera non poterit.

§. VIII.

§. VII.

Aliorum Pontificum de Auguſtino eiúſque Doctrinâ teſtimonia, & elogia.

ET quamquam memorato nunc Cęleſtini Papæ de Diuo Auguſtino teſtimonio, ſatis ei ſcriptiſque illius omnibus ſit cautum, quod & ipſe Proſper obſeruauit, dum ait: *Per hunc virum* (Cæleſtinum) *intra Gallias iſtis-ipſis qui ſanctæ memoriæ Auguſtini ſcripta reprehendũt, maleloquentia eſt adempta libertas: quando conſultantium actione ſuſceptâ, & librorum qui errantibus diſplicebant pietate laudatâ, quid oporteret de eorum auctoritate ſentiri, ſancto manifeſtauit eloquio*; non grauabimur attamen pôſt ſequentium aliquot Pontificum & Conciliorum præclara martyremata repetere: vt quiſque videat quanta ſit temeritas & impudentia eorum, qui audent aduersùs antiquos Magiſtros inſolenter inſurgere.

Eapropter Cæleſtium excipiat Ioannes II. Anno Chriſti, 531. ad Pontificatum aſſumptus, qui quod de pręceſſoribus ſuís, Innocentio, Zozymo, & Bonifacio, Cæleſtinus dixerat; idem de Cæleſtino, & aliis qui huc vſque fuerant, affirmauit *Epiſtolâ 3. ad Senatores*, his verbis: *Sanctus Auguſtinus, cuius doctrinam ſecundùm Præceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſeruat Eccleſia, in libro vndecimo, &c. Ita Ioannes.*

Gregorius Magnus & ipſe Eccleſiæ Romanæ Doctor ac Pontifex, floruitque Anno ſalutis 590. & ſeqq. rogatus ab Innocentio in Africa alicubi Epiſcopo, vt Expoſitionem ſuam in Iob, tranſmittere vellet in Africam; non recuſauit quidem quod flagitabat Innocentius, ſed ait: *Si delicioſo cupitis pabulo ſaginari, beati Auguſtini patriotæ veſtri opuſcula legite, & ad comparationem ſimilaginis illius, noſtrum furfurem non quæratis. Epiſtolarum l. 8. Epiſt. 37.*

A quibus ſanè Gregorij Magni verbis non procul abludit, quod Taioni Epiſcopo Cęſar-auguſtano Romam profecto ad eiuſdem Diui Gregorij accerſenda Moralia in Hiſpaniam, in nocturna viſione dictum eſt. Hiſtoriam refert Garſias Loyaſa, ex perantiquo codice manu-ſcripto, in notis ad Concilium VII. Toletanum. Cùm enim ad impetrandum tantò citiùs quod deſiderabat, Epiſcopus Taio inter

oratio-

orationes pernoctaret in Eccleſia ſancti Petri Romæ: viſaque Præſulum multitudine, qui templum auguſtiori formâ & ordine quàm humana ſit, erant ingreſſi; (à quorum vno deinde didicit, quo loco reperturus eſſet, quod tam piè deſiderabat) interrogaſſet, ſi in tam ſancta multitudine pariter adeſſet ſapiens Auguſtinus, cuius nimirum opuſculis, non aliter atque Diui Gregorij, fuerat à puero delectatus; id accepit reſponſum: *Vir ille clariſſimus, & omnium exſpectatione gratiſſimus Auguſtinus quem quæris, altior à nobis eum continet locus.* Is Taio, Concilio VIII. Toletano ſubſcripſit, quod temporibus Martini Papæ I. habitum eſt Anno 653.

Idem Concilium Toletanum VIII. præbuit etiam luculentum Auguſtino teſtimonium, dum ait, *cap. 2. De incauto iuramento: Vir quoque ſanctiſſimus Auguſtinus, veſtigationis acumine cautus, inueniendi arte præcipuus, aſſerendi copiâ profluus, eloquentiæ flore venuſtus, ſapientiæ fructu fœcundus, hæc in ſuis narrat affatibus: Duo ſunt omninò genera Mendaciorum, in quibus magna culpa eſt. Sed tamen non eſt ſine culpa, cùm aut iocamur, aut pro miſericordia mentimur.* Hæc ibi.

Accedit Concilium Oecumenicum Florentium ſeſſ. 7. habitâ Anno 1439. his verbis: *Beatus Auguſtinus præclariſſimus Doctor Latinorum, quem ſancta Quinta Synodus recepit, qui & præſtantiſſimus appellatur, in multis ſuis libris liquidò aſſerit, Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere. Ita Florentium.*

Et quoniam citatur à Florentino Quinta Synodus Conſtantinopolitana (cuius auctoritate ad conuincendos Græcos, Florentinum ſpeciatim vti voluiſſe, viſum eſt) nō abs re fuerit eius verba proferre, quæ ſic habent, Confeſſione ſiue Collatione primâ in litteris Iuſtiniani Imperatoris: *Quidquid autem non conſonat iſtis, vel à quacumque perſona ſcriptum inueniatur, contra ea quæ de vna eademq; fide à ſanctis quatuor Conciliis, vel vno ex his definita ſunt; hoc tamquam alienum omninò pietatis execramur. Sequimur autem in omnibus, ſanctos Patres & Doctores ſanctæ Dei Eccleſiæ, id eſt Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum, Gregorium Nyſſenum, Ambroſium, Theophilum, Ioannem Conſtantinopolitanum, Cyrillum,* AVGVSTINVM, *Proculum, Leonem: & omnia quæ ab his de Fide recta, & ad condemnationem hæreticorum conſcripta & expoſita ſunt, ſuſcipimus. Ita Quinta Synodus Anno* 553.

Sed & ante hæc tempora Synodus Romana ſub Gelaſio I. Anno 494. habita, vti opuſcula Beati Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi re-

pi receperat; ita damnauit quæcumque cum hæreticis aliiſque, Iulianus Celanenſis, de quo anteà egimus, docuerat conſcripſeratque, vt patet ex decreto Gelaſij, quod incipit: Poſt Propheticas, &c. prout exſtat *Tomo 2. Conciliorum parte prima in Editione Binij.*

Poſt Gregorium I. (cui Conciliorũ ex occaſione teſtimonia ſubiunximus) ſequitur Adrianus I. Petri in Cathedra anno 772. ſucceſſor. Is ait epiſtolâ primâ ad Conſtantium & Irenem, exſtatque Septimæ Synodi actione ſecundâ: *Hinc & beatus Auguſtinus, præcipuus Pater & optimus Doctor, in ſuis admonitionum ſermonibus ait: Quid eſt imago Dei, niſi vultus Dei, in quo ſignatus eſt populus?*

Scio præter hæc, plurium, qui pôſt ſecuti ſunt aliorum Pontificum, de Auguſtino præclara teſtimonia & elogia produci in medium; ſed quoniam nullo authentico volumine ea reperimus, noluimus cum exſcriptoribus exſcribere: ne (quandoquidem hæc ſufficiant) abſurdum aliquid aut abſonum (quod fieri poſſet) adferamus. Hæc enim non ex aliqua Pannegyri, aut emendicatis Breuibus deprompta ſunt, ſed ex ipſo pectoris Sanctorum Pontificum ſcrinio: vt perinde nequeant adſcititiæ alicuius facundiæ titulo eleuari.

Quapropter ad Cęleſtini Pontificis, operum diui Auguſtini aut primi, aut primos inter Cenſoris, redeo: & quandoquidem vnicâ ſolùm aut alterâ hunc pagellâ diſtet; interrogo cũ Proſpero: *Contra iſtam clariſsimam laudationis tubam: contra iſtam ſacratiſsimi teſtimonij dignitatem, audet quiſquã malignæ interpretationis murmur emittere, & perſpicuæ ſinceriſſimæq; ſententiæ, nubem obliqua ambiguitatis obtendere: vt ſcilicet quia in epiſtola Papæ, librorum, pro quibus actum eſt, non expreſſus eſt titulus; hinc eos appareat non probatos? Maneat planè, maneat illa conditio, vt horum librorum nouitas repudiata videatur; ſi in eadem cauſſa, einſdem viri diſſentit antiquitas: & vt inutile, aut incongruum iudicetur, quod ab his quæ contra Pelagianos condidit, diſſonans inuenitur. l. cont. Collatorem cap. 20.*

Etenim de hac Cęleſtini epiſtola, è qua diui Auguſtini elogium citauimus, agens Photius in Bibliotheca, inquit: *Scripſit quoque* (Cęleſtinus) *ad Epiſcopos Galliarum de fide ſancti Auguſtini.* Et Vincentius Lirinenſis aduersùs hæreſes vltimo capite, plurimùm eandem laudans, teſtatur tanti ponderis eſſe, vt ad omnes hæreſes euertendas ſufficere poſſit. *Vide Baronium Anno 431. num 184. & ſeqq.*

Si quis interim hiſce non obſtantibus, & iudicio Cęleſtini, & aliorum quos adduximus Pontificum ac Conciliorum, cupiat procaciter

Iiii obluctari;

obluctari;quid amplius poſſumus,quàm cum Proſpero verſus iterùm occinere? vt ſi pharmacis non poſſit, inſtar amentis carmine curetur; dicamusque:

Quidam doctiloqui libros ſenis Auguſtini
Carpere, & aduerſum condere fertur opus.
Vſque adeonè bonum ingenium, & facundia diues
Oſtentare artem non aliter potuit,
In noua proſtratas acies niſi bella cieret:
Impiaq; extinctis hoſtibus arma daret?
Hac pugna, incentor, mors eſt tua: te ſtylus iſte
Conficit, & verbis perderis ipſe tuis.
Dúmque doces quantum valeat mens libera; monſtras
Velle tuum tibimet ſufficere, vt pereas.
Verte gradum, fuge perniciem, ſtratóſque rebelles
Oris Apoſtolici fulmine vbique vide.
Nec te mutato defendi nomine credas:
Si paſtorem ouium lædere vis, lupus es.

Nequeo tamen omittere eam præfationem Clementis VIII. quam commonitorio ſuo (quod ex Auguſtino deſumptum, tradidit Congregationi de auxiliis nuncupatæ)adiunxit: quandoquidem ad controuerſias finiendas (quæ nuper feruere cœperunt) plurimum momenti allatura ſit. Eſt verò talis: Quamuis nemini niſi Deo, rationem reddere debeam mearum actionum; dicam tamen impræſentiarum rationes, propter quas aſtringere ſtatui totam hanc diſputationem, ad normam doctrinæ S. Auguſtini de Gratia.

Prima eſt: quod ſi teſte B. Proſpero, ferè initio libri conta Collatorem, viginti annorum ſpatio acies Eccleſiæ ita dimicauit pro Gratia contra Pelagianos, vt tandem Auguſtino duce vicerit; oportet etiam vt in cauſſa ſimili, eundem ducem agnoſcamus & ſequamur.

Secunda eſt: quod idem Sanctus nihil videtur prætermiſiſſe eorum, quæ ad præſentes controuerſias pertinent: quandoquidem, ſi agitur de neceſſitate Gratiæ, eam deſcribit dicens; eſſe neceſſe vt nos præueniat, comitetur, & ſequatur: ſi de vi, aſſerit vires efficaciſſimas præbere voluntati: ſi de effectu, teſtatur facere de nolente volentem: ſi de modo, aſſerit Deum id facere omnipotentiſſimâ facilitate. Denique ſic diſſoluit obiectiones, vt doceat Liberum Arbitrium non tantùm bene cum illa Gratia quam defendit, cohærere, ſed etiam fieri liberius,

liberius, quando ab illa fuerit liberatum.

Tertia tandem ratio eſt: quod multi Pontifices Prædeceſſores noſtri, Doctrinæ S. Auguſtini de Gratia tam acres fuerint aſſertores & vindices, vt quaſi hæreditario iure eam in Eccleſia relinqui voluerint, æquum non eſt, vt patiar, illam hac quaſi hæreditate priuari. *Ita Clemens VIII. ſapientiſsimus Eccleſiæ Antiſtes.*

§. VIII.

Auguſtinus ſcribit librum de Hæreſibus, ad Quoduultdeum.

EX iis quæ ſuprà narrauimus, apparet tres reliquos ex octo Iuliani libris aut ab Alipio non fuiſſe tranſmiſſos, aut ad Auguſtinum nondum perueniſſe, cùm (illos intereà expectans) ad ſcribendum de Hæreſibus, vt Quoduultdeo ſatisfaceret, ſe accinxit. Agitauerat id iam pridem animo Auguſtinus, ſed operis difficultate deterritus (partim ob innumerorum voluminum & ingentium ad id neceſſariam lectionẽ, *præfat. l. de Hæreſ.* partim quòd ipſum omninò. Quid ſit Hæreſis, definire difficillimum iudicaret. *Epiſt. ad Quoduultdeum*) omiſit. Donec de auxilio diuino non deſperans, & Quoduultdei nomine quaſi omine admonitus, id nunc ſub ipſum vitæ finem aggreſſus eſt. Quod eius verbis operæ pretium eſt intelligere.

Quod petis, inquit, ſæpiſſimè atque inſtantiſſimè, ſancte fili Quodvult-deus, vt de Hæreſibus aliquid ſcribam, dignum lectione cupientium dogmata deuitare contraria fidei Chriſtianæ, & Chriſtiani nominis obumbratione fallentia: ſcias me olim longè antequàm peteres facere cogitaſſe, atque fuiſſe facturum, niſi diligenter conſiderans quale quantumque id eſſet, vltra vires meas eſſe ſentirem. Sed quoniam fateor nullum mihi, vt te, inſtitiſſe poſcendo; in ipsâ tamen moleſtâ inſtantiâ tuâ etiam tuum nomen attendi, & dixi: Aggrediar, & faciam Quod-vult-Deus. *Præfat. lib. de Hæreſ.* Vt verò videas, quàm conſtanter ad ſupremum vſque ſpiritum, quidquid boni agimus vel valemus, in Gratiæ diuinæ auxilium referendum duxerit: cùm dixiſſet ſe hoc opus aggredi, vt tantæ rei difficultas miniſterio linguæ ſuæ aut

oſtendatur tantummodò, aut Deo etiam plenius adiuuante tollatur; ſubdit illico: Quod vtrùm dum peto, dum quæro, dum pulſo, ſim fortaſſe accepturus, ignoro: ſcio me tamen nec petiturum, nec quæſiturum, nec pulſaturum quantùm ſat eſt; niſi & hunc affectum munere diuinæ inſpirationis accepero. *ibid.*

Statuerat autem hoc quidquid erat duobus Libris complecti, quorum primum (qui eſt de Hæreſibus quæ poſt Chriſti aſcenſum contra eius doctrinam extiterunt) iam abſolutum ad Quoduultdeum miſit. *lib. de Hæreſ. in fine* alterum (quo, quid faciat Hæreticum, tractare conſtituerat) morte interueniente abſoluere non potuit. *Iſidorus de viris ill. cap. 9.*

Hi libri, cum præteritis contra Iulianum, duobusque ad Proſperum & Hilarium, non memorantur in Opere Retractationum: quòd ſcripti poſt iſtud, nihilum continerent, quod auctorem ſuum, futuroſque lectores meritò potuiſſet offendere. Meritò, inquam; quia Semipelagiani, genus inimicum gratiæ Dei, humanique arbitrij præcones, & ob id Auguſtino aduerſarij, quod Catholicum erat, à ſuo ſenſu detortum inuidioſiſſimè traduxerunt: vt ex Proſpero patet, cuius exſtant libri omninò quatuor, aduerſus calumniatores doctrinæ beati Auguſtini de Gratia Dei, in Appendice Tom. VII.

CAPVT XI.

AFRICÆ EXCIDIVM, ET MORS AVGVSTINI.

§. I.

Africæ per Barbaros Vaſtatio, referente Poſsidio.

Anno 430. BOnifacio, vti diximus, à Vandalis ſuperato; ſumma dies, & ineluctabile tempus Africæ incubuit. Quantam enim longè lateque ſtragem Vandali ediderint; non aliis quàm Poſſidij verbis, qui interfuit,

fuit, aperiam: vt iis Victori Vticenſi præiuiſſe, exiſtimare debeamus.

Diuinâ, inquit, voluntate & poteſtate prouenit, vt manus ingens diuerſis telis armata, & bellis exercitata, immanium hoſtium Vandalorum & Alanorum, commixtam ſecum habens Gothorum gentem, aliarumque diuerſarum gentium perſonas, ex Hiſpaniæ partibus transmarinis, nauibus Africæ influxiſſet & irruiſſet: vniuerſaque per loca Mauritaniarum, etiam ad alias noſtras tranſiens Prouincias & regiones, omni ſæuiens crudelitate & atrocitate, cuncta quæ potuit exſpoliatione, cædibus, diuerſiſque tormentis, incendiis, aliisque innumerabilibus, & infandis malis depopulata eſt: nulli ſexui, nulli parcens ætati, nec ipſis Dei Sacerdotibus vel miniſtris, nec ipſis Eccleſiarum ornamentis, ſeu inſtrumentis, vel ædificiis.

Et hanc ferociſſimam hoſtium graſſationem & vaſtationem, ille homo Dei Auguſtinus) & factam fuiſſe & fieri, non vt ceteri homines ſentiebat & cogitabat: ſed altiùs & profundiùs ea conſiderans, & in his animarum præcipuè pericula vel mortes præuidens; ſolitò amplius, (quoniam vt ſcriptum eſt, *Qui apponit ſcientiam, apponit dolorem*: &, *Cor intelligens, quaſi tinea oſsibus*) fuerunt ei lacrymæ panes die ac nocte, amariſſimamque & lugubrem, præ ceteris ſuæ ſenectutis iam penè extremam ducebat ac tolerabat vitam.

Videbat enim ille homo Dei, ciuitates excidio perditas pariter cum ædificiis: villarumque habitatores, alios hoſtili nece extinctos, alios effugatos atque diſperſos: Eccleſias Sacerdotibus ac miniſtris deſtitutas: Virgineſque ſacras & quoſque continentes, vbique diſſipatos: & in his, alios defeciſſe tormentis, alios gladio interemptos eſſe: alios in captiuitate, perditâ animi & corporis integritate ac fidei, malo more ac duro, hoſtibus deſeruire.

Cernebat etiam, hymnos Dei & laudes de Eccleſiis deperiſſe: ædificia Eccleſiarum, quamplurimis locis ignibus concremata eſſe: ſollemnia quoque quæ Deo debentur, de propriis locis defeciſſe: Sacrificia ac Sacramenta diuina, vel non quæri, vel quærenti qui tradat, non facile reperiri: in ipſas montium ſiluas, & cauernas petrarum, & ſpeluncas confugientes, vel ad quaſcumque munitiones, alios fuiſſe expugnatos, & interfectos vt fame contabeſcerent: ipſoſque Eccleſiarum præpoſitos & Clericos qui fortè Dei beneficio vel eos non incurrerant, vel incurrentes euaſerant; rebus omnibus exſpoliatos atque nudatos, egētiſſimos mendicare: nec eis omnibus quibus fulciēdi eſſent, ſubueniri poſſe.

 Vix

Vix tres ſuperſtites videbat ex innumerabilibus Eccleſiis, hoc eſt Carthaginenſem, Hipponenſem & Cirtenſem, quæ Dei beneficio exciſæ non ſunt, & earum permanent ciuitates & diuino & humano fultæ præſidio: licet poſt eius obitum vrbs Hipponenſis, incolis deſtituta, ab hoſtibus fuerit concremata. Et ſe, inter hæc mala, cuiuſdam ſapientis ſententiâ conſolabatur, dicens: Non erit magnum, quod cadunt ligna & lapides; & moriuntur mortales. Hæc ergo omnia ille, vt erat altè ſapiens, quotidie & vbertim flebat. *Poſſid. c. 28.*

§. II.

Sermo Auguſtini, & Oratio his temporibus accommoda.

ET quamuis tanta eſſet rerum in Africâ confuſio, munia nihilominùs ſtudiaque ſua gnauiter obibat ſedulus Præſul. Teſtis eſt Poſſidius: Verbum Dei, vſque ad extremam ægritudinem, impræter-miſsè, alacriter & fortiter, ſanâ mente ſanoque conſilio, in Eccleſiâ prædicaſſe. *cap. 31.*

Inter eiuſcemodi Sermones vnus etiamnum exſtat, lacrymis luctuque plenus, qualem videlicet præſens ante oculos ſtrages & ruina depoſcebat. Habitus eſt, vt quidem præfert inſcriptio, Feriâ quintâ poſt Dominicam Paſſionis, Centeſimus vndecimus de Tempore: Ciuitate Hipponenſi ſiue iam obſeſsâ, ſiue proximè obſidendâ.

Tradunt & orationem, per id tempus admodum oportunam Deo ſundere conſueuiſſe: quam Cardinalis Seripandus alicubi repertam protulerit in Concilio Tridentino, cuius agebat nomine Sedis Apoſtolicæ Legatum: ab Vrbano Papa VIII. nouiſſimè agnitam: his verbis:

Ante oculos tuos Domine, culpas noſtras ferimus: & plagas quas accepimus, circumferimus. Si penſamus malum quod fecimus, minus eſt quod patimur, maius eſt quod meremur. Peccati pœnam ſentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis infirmitas noſtra teritur; & iniquitas non mutatur. Mens ægra torquetur, & ceruix non flectitur. Vita in dolore ſuſpirat, & in opere non ſe emendat. Si exſpectas, non corrigimur: ſi vindicas, non duramus. Confite-

mur

mur in correctione, quod egimus; obliuiſcimur poſt viſitationem, quod fleuimus. Si extenderis manum, facienda promittimus: ſi ſuſpenderis gladium, promiſſa non facimus. Si ferias, clamamus vt parcas: ſi peperceris, iterùm prouocamus vt ferias. Habes Domine confitentes reos: nouimus quod niſi dimittas, rectè nos perimus. Præſta Pater omnipotens ſine merito, quod rogamus: qui feciſti ex nihilo, qui te rogarent.

§. III.

Hipponenſis Ciuitas obſidetur.

ACcreuit mœroribus & lamentationibus eius, inquit Poſſidius, vt etiam adhuc in ſuo ſtatu conſiſtentem ad eandem Hipponenſium Regiorum Ciuitatem, ab iiſdem hoſtibus veniretur obſidendam: quoniam in eius tunc defenſione fuerat conſtitutus Comes quidam Bonifacius, cum Gothorum quòdam fœderatus exercitu: quam vrbem, fermè quatuordecim menſibus concluſam, obſederunt. Nam & littus illi marinum interclufione abſtulerunt.

Quò etiam noſipſi de vicino, cum aliis noſtris Coëpiſcopis confugeramus: in eâdemque, omni obſidionis tempore fuimus. Vbi nobiſcum ſuper his infortuniis ſæpiſſimè colloquebamur: & Dei tremenda iudicia, præ oculis noſtris poſita, conſiderabamus dicentes; Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum: pariterque dolentes, gementes, & flentes, orabamus miſerationum patrem, & Deum omnis conſolationis, vt de eâdem nos tribulatione ſubleuare dignaretur. *Poſsid. cap.* 28.

Et fortè prouenit, vt vnà cum eodem (Auguſtino) ad menſam conſtitutis, & inde confabulantibus, cœperit coram nobis dicere: Noueritis me hoc tempore calamitatis, id Deum rogare, vt aut hanc ciuitatem ab hoſtibus circumdatam liberare dignetur: aut ſi aliud ei videtur, ſuos ſeruos ad perferendam ſuam voluntatem fortes faciat: aut certè vt me de hoc ſæculo ad ſe accipiat. Quæ ille dicens, noſque inſtruens; deinceps cum eodem & nos cum noſtris omnibus, & ipſi qui in eadem fuerant ciuitate, à ſummo Deo ſimiliter petebamus.

§. IV.

§. IV.

In morbum incidit Auguſtinus.

ET ecce tertio illius obſidionis menſe, decubuit lecto, febribus fatigatus, & illâ vltimâ exercebatur ægritudine. Nec ſuum ſanè Dominus famulum fructu ſuæ precis fraudauit: nam & ſibiipſi, & eidem ciuitati, quod lacrymoſis depopoſcit precibus,in tempore impetrauit. *Poßid. cap.* 29.

Dicere autem nobis inter familiaria colloquia conſueuerat, Poſt perceptum Baptiſmum, etiam laudatos Chriſtianos & Sacerdotes, abſque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipſe fecit, vltimâ quâ defunctus eſt ægritudine. Nam ſibi iuſſerat Pſalmos Dauidicos, qui ſunt pauciſſimi de pœnitentiâ, ſcribi; ipſoſque quaterniones iacens in lecto, contra parietem poſitos, diebus ſuæ infirmitatis intuebatur & legebat, & iugiter atque vbertim flebat. *Poſsid. cap.* 31.

§. V.

Miracula tum & aliàs, quæ patrauit.

HÆc dum aguntur, ad ægrotantem & lecto vacantem quidam cum ægroto ſuo venit: & rogauit, vt eidem manũ imponeret, quò ſanus eſſe poſſet. Reſpõdit: Si aliquid in his poſſet;ſibi hoc primitùs fuiſſe præſtiturum. Tum alius viſitatum ſe fuiſſe dixit,monitumque in ſomnis, Vade ad Auguſtinum Epiſcopum, dic vt eidem manum imponat, & ſaluus erit. Quod dum comperiſſet, facere non diſtulit: & illum infirmum, continuò Dominus ſanum ab eodem diſcedere fecit. *Poſsid. cap.* 29.

Sed non erat hoc primum ſiue ſignum, ſiue miraculum, quod ad pietatem ipſius doctrinamq; firmandam, Altiſſimus operari dignatus

eſt.

eſt. Etenim idem Poſſidius, Noui, inquit, eumdem & Presbyterum, & Epiſcopum, pro quibuſdam energumenis patientibus vt oraret rogatum, dum id agit & lacrymas fundit, ab obſeſſis corporibus dæmones abiiſſe. *eod. cap.*

Quandam virginem Hipponenſem audiens à dæmonio vexari pro illa deuotè orauit: & oleo, quod tenebat, lacrymas ſuas orando inſtillauit. Quo tranſmiſſo prædicta virgo peruncta eſt, & ſanata. Pro quodam etiam adoleſcente, quem non viderat, orauit: & eum oratione à dæmonio liberauit. Quæ duo miracula ipſe quidem inuenitur retuliſſe, inquit Philippus Abbas Bonæ Spei, *vita Diui Auguſt. cap.* 30.

Nam cum non minùs erga proximum charitate flagraret, quàm Deum; ſi fortè ab ægrotantibus, ad tribulationes ipſorum ſolatio quo poterat leuandas, accerſeretur, vtque pro eis in præſenti Deum rogaret, eiſque manus imponeret; ſine mora pergebat, inquit Poſſidius *c.* 17. Hinc & præclaras à moribundis nonnullis prolatas ſententias, quibus ſuam in ſupremo agone conſtantiam & fiduciam in Deo teſtati fuerant; ſolebat cum admiratione nonnunquam & laudibus, iam ſenex, præſentibus referre. *In eod. cap.*

§. VI.

Migrat è Vita.

PORrò, nè intentio eius Deum in extremis feruidè obſecrandi, à quoquam impediretur; ante dies fermè decem, quàm exiret de corpore, poſtulauit à præſentibus, Nè quis ad eum ingrederetur, niſi iis tantùm horis, quibus medici ad inſpiciendum intrarent: vel cùm ei inferretur refectio. Anno 430.

Et ita obſeruatum factumque eſt: & omni illo tempore orationi vacauit: *Poſſid. c.*31. donec tandem membris omnibus ſui corporis incolumis, integro aſpectu atque auditu, nobis adſtantibus ac videntibus (inquit Poſſidius) & cum eo pariter orantibus, obdormiuit in pace: *eod. cap.* Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Coſſ. quinto Kalendas Septembris: libris Iuliani, inter impetum obſidentium

Kkkk Van-

Vandalorum, in ipſo dierum ſuorum fine reſpondens, & glorioſè in defenſione Chriſtianæ Gratiæ perſeuerans. *Proſp. in Chron.*

Quæ notatio incidit, in Annum Dominicæ Natiuitatis, CCCC. XXX. Prædicationis CCCC. Cæleſtini Papæ VII. ab obitu Matris ſuæ Monicæ XLIII. ab obitu Ambroſij. XXXIII. Simpliciani, XXX. Ioannis Chryſoſtomi XXIII. Hieronymi Presbyteri X.

Porrò vicinum morti Hieronymum dixiſſe ferunt: Cum gaudio & ſolatio hanc ſe mortalem vitam relinquere, quoniam poſt ſe relinquat Auguſtinum, multæ ſcientiæ & bonitatis Epiſcopum Hipponenſem, omni veritate & perfectione redimitum. Habere ſe idcircò fiduciam in Chriſto, perſtituræ fidei noſtræ: rogare, vt ſuo nomine ſcribatur Auguſtino, vt tamquam fidelis miles pugnet, ne veniant (quod abſit) mala genti noſtræ. *Euſeb. Cremon. apud. Barth. Vrbinat.*

§. VII.

Ætas, & Sepultura.

VIxit annis LXXVI. *Poſſid. c.* 31. vt adeò colligatur, ex illo mortis, & hoc ætatis anno, natus CCC. LIV. In Clericatu autem & Epiſcopatu vixit annis fermè XL. *Poſſid. c.* 31. & pergit:

Nobiſque coram poſitis, pro eius commendanda corporis depoſitione Sacrificium Deo oblatum eſt, & ſepultus eſt.

Teſtamentum nullum fecit: quia vnde faceret, pauper Chriſti non habuit. *Poſſid. ibid.*

§. VIII.

Clerus Africæ, & Bibliotheca.

PRo opulentâ hereditate Clerum ſufficientiſſimum, & Monaſteria virorum ac feminarum continentium cum ſuis Præpoſitis plena, Eccleſiæ dimiſit: vnà cùm Bibliothecis, Libros & Tractatus, vel ſuos vel aliorum ſanctorum, habentibus: ex quibus dono Dei, qualis

lis quantuſque in Eccleſia fuerit noſcitur: & in his ſemper viuere, à fidelibus inuenitur. *Poſſid. eod. cap.*

Quod Clerum attinet, cùm de copiâ ipſius ſigillatim teſtimonium ferat Poſſidius; quàm is fuerit numeroſus, coniici aliquatenus poteſt, quòd perſecutionis Vandalicæ continuante procellâ, ſub Eugenio Carthaginenſe Epiſcopo quingentos de Clero in eâdem Eccleſiâ tum adhuc fuiſſe, ſcribat Victor Vticenſ. l. 3.

De Bibliothecis, quantùm inſtructæ fuerint, non vtique obſcurè deprehendi ex eodem Poſſidio queat, dum ait: Tanta ab Auguſtino dictata & edita ſunt, tantaque in Eccleſiâ diſputata, excepta, atque emendata: vel aduerſus diuerſos hæreticos conſcripta, vel ex Canonicis libris expoſita, ad ædificationem ſanctorum Eccleſiæ filiorum; vt ea omnia vix quiſquam ſtudioſorum noſſe, & perlegere ſufficiat.

Verumtamen ne veritatis (inquit Poſſidius) auidiſſimos in aliquo fraudare videamur, ſtatui Deo præſtante in huius opuſculi fine, etiam eorumdem librorum, Tractatuum, & Epiſtolarum Indiculum adiungere: quo lecto, qui magis Dei veritatem, quàm temporales amant diuitias, ſibi quiſque quod voluerit, ad legendum & cognoſcendum eligat: & ad id ſcribendum, vel de Bibliothecâ Hipponenſis Eccleſiæ petat, vbi emendatiora exemplaria fortè poterit inuenire: vel vnde voluerit inquirat, & inuenta deſcribat & habeat; & petenti ad ſcribendum, ſine inuidiâ etiam ipſe tribuat. *Poſſid. c.18.*

At miraculo planè contigiſſe videtur, vt poſt quatuordecim menſium obſidionem, concrematâ anno ſequente vrbe ab hoſtibus, iiſque Arianis; tantoque magis irritatis, quantò diuturniori obſeſſorum conſtantiâ fatigati fuerant; remanſerit integra Bibliotheca, non humano vtique ſed Diuino præſidio. Quapropter per Vandalos aliosque Barbaros quod efficere diabolus haud potuerat; deinceps per eos facere tentauit, quorum ſe antagoniſtas fortiſſimos Proſper & Hilarius, ipſumque Eccleſiæ Caput Cæleſtinus, præ reliquis ſtrenuè geſſerunt.

Videri hac de re litteræ Cæleſtini queunt, editæ Anno ſequente, in Appendice Tomi VII. atque innumeris locis Proſper, cuius hoc de Auguſtino luculentum eſt teſtimonium: *Viginti amplius annis, contra inimicos gratiæ Dei, Catholica acies huius viri ductu* PVGNAT, ET VINCIT. *l. cont. Collat. init.* puta, ab anno huius ſæculi decimo (quo

tum ſcriptis voluminibus, tum habitis ſermonibus laceſſere eos cœpit) ad hunc vſque, quo obiit.

§. IX.

Victoris Vticenſis de Auguſtino teſtimonium.

OBitûs porrò eius Victor etiam Vticenſis meminit, his verbis:
„ Eâ tempeſtate Hippone obſeſſa eſt ciuitas, quam omni laude di-
„ gnus beatus Auguſtinus, librorum multorum confector, Pontifex
„ gubernabat.
„ Tunc illud eloquentiæ, quod vbertim per omnes campos Eccleſiæ
„ decurrebat, ipſo metu ſiccatum eſt flumen: atque dulcedo ſuauitatis
„ dulciùs propinata, in amaritudinem abſynthij verſa eſt, vt Dauidi-
„ cum præconium conueniret: Dum conſiſteret peccator aduerſùm me;
„ obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.
„ Vſque ad illud tempus, ducentos iam triginta & duos libros con-
„ fecerat: exceptis innumerabilibus Epiſtolis; & Expoſitione totius
„ Pſalterij, & Euangeliorum, atque Tractatibus popularibus, quos
„ Græci Homilias vocant: quorum numerum comprehendere, ſatis
impoſſibile eſt. *Vict. Vticenſ. l.1. perſec. Vandal.*

§. X.

Vocatur ad Concilium Epheſinum contra Neſtorium.

CVm paullò antequàm migraret ex humanis Auguſtinus, Neſtorius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ex Pelagiano ſeminario nouos errorum ſurculos educare cœpiſſet; malumque quotidie gliſceret, & caperet incrementa: indicto Epheſi Concilio Oecumenico, Cæleſtinus ire contra ſtatuit.

Neque

Neque defuit pio Pontificis ſtudio Theodoſius Imperator: qui communes ad Epiſcopos litteras dedit, quibus ad Synodum eos conuocaret, ſignatas Conſtantinopoli decimotertio Kalendas Decembris eiuſdem Anni: & alias particulares, ad nonnullos celebrioris famæ Antiſtites. Inter hos, teſte Liberato, ſcripſit Imperator beato Auguſtino Hipponenſi Epiſcopo per Ebagnium Magiſtrianum, vt ipſe Concilio præſtaret ſuam præſentiam. *Liberat. in breuiar. c.5.*

Liberati (qui dum vixit, Archidiaconus Carthaginenſis fuit: vixit autem Anno Domini 535. tempore Reparati Epiſcopi Carthaginenſis) verba ſunt: Scripſit Imperator ſacram & B. Auguſtino Hipponenſi Epiſcopo per Ebagnium Magiſtrianum, vt ipſe Concilio præſtaret ſuam præſentiam. Qui Ebagnius veniens Carthaginem magnam, audiuit à Capreolo ipſius vrbis Antiſtite B. Auguſtinum ex hoc mundo migraſſe ad Dominum: acceptiſque ab eo ad Imperatorem litteris, loquentibus de obitu B. Auguſtini, Conſtantinopolin vnde venerat rediit. Porrò Capreolus Archiepiſcopus propter impetus Vandalorum Africanas regiones obſidentium, vniuerſale non valens congregare Concilium, Veſſulam Diaconum ſuum miſit Epheſum ad Concilium legatum. *Ita Liberat.*

Sunt qui ſcribant has Litteras Theodoſij Imperatoris ad Auguſtinum, (quas cur *Sacram* appellet Liberatus, vide ſupra l. 3. cap. 12. §. 9.) olim exſtitiſſe, aut etiamnum exſtare in Monaſterij Patauini S. Iuſtinæ Bibliotheca; ſed prout exhibitas legi, ſuſpectæ fidei ſunt, cùm indicinam ſequentis Anni præferant, quo erat finitum Concilium: quarto Idus Auguſti Baſſo & Antiocho Coſſ.

Eumdem Liberatum, horum quæ diximus teſtem, citat Apologeticus Synodi Romanæ ſub Gregorio VII. cap. 3. vbi Auguſtinum vocat, Omnium virtutum virum.

§. XI.

Neſtorianos damnauit ante mortem.

ET quamquam Synodo haud interfuerit Auguſtinus, Neſtorianos tamen condemnaſſe non deſiit: tam luculentâ validâque ſen- Anno 431.

 tentiâ,

tentiâ, vt vix clariùs aliquid poſt ipſum Concilium reperiri poſſit. Præſagus enim, quàm ſit facilè violatâ Chriſti gratiâ, Chriſtum etiam ipſum è medio tollere; in poſtremis ſuis contra Pelagianos lucubrationibus, ſæpenumerò inculcauerat (vti ſuprà indicauimus) ex naturâ diuinâ atque humanâ vnam perſonam Mediatoris coaleſcere: idq; non merito bonorum operum, aut liberi arbitrij; ſed gratiâ Dei. Verba ipſius ſunt:

Eſt etiam præclariſſimum lumen Prædeſtinationis & Gratiæ, ipſe Saluator, ipſe Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus: qui vt hoc eſſet, quibus tandem ſuis vel operum vel fidei præcedentibus meritis, natura humana quæ in illo eſt, comparauit? Reſpondeatur quæſo. Ille homo, vt à Verbo Patri coæterno in vnitatem perſonæ aſſumtus, Filius Dei Vnigenitus eſſet, vnde hoc meruit? quod eius bonum qualecumque præceſſit? quid egit ante, quid credidit, quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem gratiam perueniret? *L. de prædeſt. Sanct. c. 15.* Vt planè videas vtramque hæreſin, & Neſtorianam & Pelagianam, ob quas erat ab Imperatore Epheſum aduocatus, iugulaſſe priuſquam moreretur. *vide etiam l. 1. Op. imp. c. 140. & ſeqq.*

Neſtorius etenim, cùm perſonam Chriſti iam diuidere, & perniciosiſſimum dogma in Eccleſiam inferre pararet; Pelagianos è ſuis cathedris deiectos & exules, Iulianum, Florum, alioſque nonnullos ex Occidente Epiſcopos, Conſtantinopoli excepit & fouit: quorum nimirum Magiſterio doctrinam ſuam hauſerat. Pelagianos ſiquidem iſto quoque errore fuiſſe infectos; tum Leporij conuerſio; (qui inter alios damnauit & hunc) tum teſtimonia Proſperi & Caſſiani palàm faciunt, qui Neſtorianam hæreſin, Pelagianæ ſobolem dicunt; hocque de Chriſto dogma tenuiſſe ambas: Quod ab initio homo dumtaxat, ad perſonæ diuinæ dignitatem ex ſuis meritis pertigiſſet.

Quare de hac Synodo agens Proſper in Chronico: Baſſo, inquit, „ & Antiocho Coſſ. congregatâ apud Epheſum, plus ducentorum Sy- „ nodo Sacerdotum, Neſtorius cum hæreſi nominis ſui, & cum multis „ Pelagianis, qui cognatum ſibi dogma iuuabant, damnatur.

Idem proinde Proſper, vtriuſque Epitaphium luſit his verſibus, ante librum De Ingratitud.

Neſtoriana lues ſucceſſi Pelagianæ,
Quæ tamen eſt vtero pro generata meo.
Infelix miſera genetrix & filia nata,
Prodiui ex ipſo germine quod peperi.

Nam

Nam fundare arcem meritis prior orſa ſuperbis,
De capite ad corpus ducere opus volui.
Sed mea dum proles in ſumma armatur ab imis.
Congrua bellandi tempora non habui.
Et conſanguinea poſt triſtia vulnera fraudis,
Aſpera conſerui prælia ſine pati.
Me tamen vna dedit victam ſententia letho:
Illa volens iterum ſurgere, bis cecidit.
Mecum oritur, mecum moritur: mecumq; ſepulchrum
Intrat, & inferni carceris ima ſubit.
Quò nos præcipites inſana ſuperbia merſit,
Exutas donis, & tumidas meritis.
Nam Chriſtum pietate operum & mercede, volentes
Eſſe Deum, in capitis ſedere non ſtetimus:
Sperantéſque animi de libertate coronam;
Perdidimus, quam dat Gratia, iuſtitiam.
Quique igitur gemina miſeraris buſta ruina,
Ne noſtro exitio conſociere, caue.
Nam ſi, quæ Domini data munera ſerò fatemur,
Hæc homini credis debita; noſter eris.

CAPVT XII.

RELIQVIARVM S. AVGVSTINI TRANSLATIO.

§. I.

Per S. Fulgentium in Sardiniam deferuntur.

REdactâ in Vandalorum poteſtatem Africâ, cùm ipſi Arianâ labe (vti non ſemel diximus) imbuti, omni crudelitatis genere, cuius minimum erat exilium bonorumque publicatio, in Catholicos ſæuirent;

rent; haud equidem viſum ſuperis fuit, Doctoris Auguſtini reliquias apud eos eſſe permittere. Quamobrem per Fulgentium Ruſpenſem Epiſcopum, priùs in Sardiniam delatæ, atque inde per Luithprandum Longobardorum Regem, in Italiam; Ticini etiamnum honorificè conditæ ſunt. De vtraque Tranſlatione iuſſus aliquid à Carolo Magno ſcribere Petrus Oldradus, Mediolanenſis Archiepiſcopus; ita habet:

» Opus quod Celſitudo veſtra, dum in Vrbe Mediolani moraretur, » mihi imponere dignata fuit, vt aliquid de Tranſlatione corporis » beati Auguſtini Epiſcopi, de Sardinia Papiam inquirerem; & fideli » ſermone, Celſitudini veſtræ tranſſcriberem; quantum humana fragi- » litas laborare potuit, elaboraui: & quod ex litteris & libris Regum » Longobardorum, etiam ex traditione multorum legi & audiui, Deo » adiuuante breuiter ſcribam.

Anno 514. Beatus Auguſtinus, Doctor Eccleſiarum Chriſti, poſt multa miraculorum ſigna, quibus in hoc mundo effulſit; poſt multam inſudatio- » nem laborum, quâ obſtinationem hæreticorum, rectum iter vitæ de- » prauantium, oppugnauerat; Deo animam reddens, honorificè à fi- » delibus ſepultus eſt, in Ciuitate Hipponenſi, in epiſcopatu ſuo, in » Eccleſia ſancti Stephani (*fuit hac eadem qua* Pacis: *à memoria Martyru* » *ſic dicta*) currente Anno Incarnationis CCCC. XXX. ibique hono- » rificè ſepultus per manum Diſcipulorum ſuorum, iacuit annis ferè LXXIV.

» Deinde in Sardiniam corpus tranſlatum eſt à fidelibus & Catholi- » cis Epiſcopis, qui ob Chriſti fidem ab iniquo Traſamundo Rege, » vnà cum Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo, & innumerabilibus Chriſti » fidelibus, in eandem Inſulam relegati fuerant, quo tempore Vandali » Africam vaſtabant. Nè gemma & theſaurus tantus, ab immundis » ſpiritibus pollueretur; ſecum cum nonnullis aliis Sanctorum reliquiis, » deportarunt. Ibi multis miraculis claruit, annis CC. XXI. in quo » manifeſtè datur intelligi, quod quos Deus charos habet; ad ſancti- » tatis eorum teſtimonium, clarificat & inſignit virtutibus mi- » raculorum.

§. II.

§. II.

Luithprandus Longobardorum Rex, reliquias Auguſtini redimit à barbaris, & Ticinum deferri curat.

BArbarorum igitur infinita multitudo, Sardiniam expugnare eſt " Anno
aggreſſa. Quam cum inuaſiſſent, & ſubiugatam deſtruerent; loca " 725.
etiam ſancta violenter aggreſſi polluebant: inter quæ Sepulchrum B. "
Auguſtini. Hæc cū iuſtitiæ cultor, & amator religionis Luithprandus "
Rex audiſſet à ſanctæ memoriæ Petro Papienſi Epiſcopo, quem Rex "
maximo honore & ſummâ reuerentiâ ob vitæ ſanctitatem proſequa- "
batur: videlicet coinquinari, & inhoneſtè tractari ſanctiſſimi Augu- "
ſtini locum; legatos ſuos, proceres nobiles, cum magno pondere auri "
& argenti, tranſmiſit in Sardiniam, vt corpus tanti ſancti redimerent "
pretio, & transferrent quamprimum ad Ciuitatem Papienſem. "

Qui iuſſioni & deſiderio, piiſſimi Regis ſatisfacere cupientes; na- "
uigio venerunt in Sardiniam: & redimentes Corpus ſanctum à Bar- "
baris, nauique illud imponentes; Dei miſericordiâ, & ingenti eorum "
gaudio, plenis velis per tranquillum mare, in vnius diei & noctis ſpa- "
tio, perducti ſunt ante portum & ſtationem Ianuenſem: quæ facta "
erant, denuntiarunt; & vt honorificè occurrerent, ad Reliquias tam "
glorioſi corporis ſuſcipiendas. "

§. III.

Reliquiis Luithprandus obuiam exit.

QVo audito Rex immenſo gaudio perfuſus, gratias ingentes Deo "
referebat, quod deſiderium ſuum impleuiſſet: omnique negotio "
poſtpoſito, rogatis & conuocatis omnibus ciuitatum ſuarum Epiſco- "
pis, & vniuerſo Clero, vſque ad finem agri Dertonenſis, ad ſuſcipien- "
dum tam præclarum Dei munus, cum maxima humilitate proceſſit: "

„ & more Dauidico ad accipiendam arcam Domini, & reponendam in
„ decentiori loco properabat, cum innumerabili procerum, & populi
„ vtriuſque ſexus multitudine: Deo gratiam omnes agentes, de tantis
„ donis datis.

„ Cum autem ad locum vbi iacebat ſanctum Corpus, appropinquaſ-
„ ſet; depoſitis regalis aulæ inſignibus: nudatoq; capite & pedibus, cum
„ tanta humilitate & deuotione procedebat; vt omnes qui aderant, mi-
„ rarentur, & Deum ſuper tantâ deuotione piiſſimi Regis laudarent.

§. IV.

Miracula tum facta.

AD Confeſſorem autem ſuum clarificandum, miſericors Domi-
" nus dignatus eſt multa miracula operari. Multi enim aliquo
" officio corporis priuati aderant, qui recuperatâ ſanitate alacres, ad
" laudem & honorem Dei vociferantes, læti ad propria remeabant.

" Vnde Corpus beati Confeſſoris cum laudibus & hymnis defe-
" rentes, peruenerunt ad fines agri Dertonenſis, ad prædium quod ap-
" pellatur Sauinarienſe: vbi Rex Luithprandus, cum vniuerſo Epiſco-
" porum & procerum comitatu pernoctantes, & debitum tanto Patri
" officium dignè peragentes; Rex ipſe tamquam vnus de plebe, prope
" ſanctiſſimi Corporis reliquias, nimio deuotionis zelo ardens, perno-
" ctauit.

§. V.

Aliud, & nouum Miraculum.

„ CVm autem aurora ſequentis diei illuceſceret, ad peragendum
„ iter ad Vrbem Ticinenſem, ſiſtentes, nullo modo ſanctum cor-
„ pus mouere potuerunt. Cum igitur plures ad feretrum accederent,
„ nec quidquam proficerent; Rex Luithprandus ſciſſis veſtibus, & de-
formata

ſormata facie in terra devolutabatur: quippe qui immenſo deſiderio « tanti Patris transferendi Reliquias, ad vrbem Ticinum æſtuabat ni- « mis. at tum omninò ab omni ſpe ceciderat, poſſe amoueri ſanctum « corpus. «

Quo miraculo omnes Epiſcopi, & proceres ſtupebant: cogitan- « tes intra ſe, quidnam Deus Omnipotens indicare vellet de Reliquiis « tam glorioſi Doctoris. Aderat inter cœtum Epiſcoporum, ſanctæ « memoriæ Gratianus Nouarienſis Eccleſiæ Præſul, vir multâ doctri- « nâ præditus, & omni ſcientiarum genere illuſtris, & verè Dei Sacer- « dos: qui acceſſit confidenter ad Luithprandum Regem, affirmans « Dei miſericordiam non verbis & actibus externis, ſed magis votis & « operibus implorandam. «

Quæ Rex libentiſſimè monita audiens, facto voto deliberauit, ſi « Dominus Deus omnipotens, corpus beati Auguſtini deferri permit- « teret; quod ſuprà nominatum prædium Sauinarienſe Deo & Ec- « cleſiæ beati Petri, ad quam ipſum Corpus deferre volebat, perpetuò « habendum tribueret. «

Factum eſt igitur, vt, cum votum perſoluiſſet, accederet ad fere- « trum: qui cum Corpus de terra leuare tentaret; ita leuiſſimum inue- « nit, vt nullo vlterius onere impediente, Corpus beatiſſimum, quod « priùs nec moueri poterat à pluribus; modò non prohiberetur ferri à « duobus. Peragebant igitur inceptum iter: ingenti gaudio & exulta- « tione laudantes Dei omnipotentiam, qui vota Regis tam facile au- « diſſet.

§. VI.

Reliquiæ Ticini cum exultatione depoſitæ.

CVm autem in Vrbe auditum eſſet de aduentu Regis cum Reli- « quiis beatiſſimi Confeſſoris; ad ſuſcipiendum Corpus ſanctiſſi- « mum omnes qui reſidui fuerant, feſtinarunt occurrere: & cum ſum- « mo honore, vtpote tanto Patri debito, detulerunt cum hymnis & can- « ticis, & totius populi concurſu; ſummo gaudio perfuſi: & repoſue- « runt in Eccleſia beati Petri in Cælo aureo. «

Iure autem in Apoſtolica poſitus eſt Eccleſia, qui pro Eccleſiaſtica «

„ dimicans fide, diabolicas hæreticorum fraudes diſperſit. Vbi etiam ad „ ſanctitatis eius teſtimonium: ad argumentum fidei poſterorum; multis ſignis & miraculis claruit.

„ Illud memoriâ dignum contigit, poſt tranſlationem Papiam factam, quò Deo, beatoque Patri Auguſtino gratam fuiſſe eam tranſlationem innotuit: ſi quidem multi tactu ſacrorum pignorum tantùm, „ ex variis morbis ſtatim conualuère.

§. VII.

Auguſtini mira, & miraculoſa apparitio.

„ SEd inſignis fuit illa apparitio, facta quibuſdam Vltramontanis, numero quadraginta: qui petentes Romam, propè viculum Cauæ, „ Papiâ diſtantis circiter tria millia paſſuum, quò membra feſſa à longo „ itinere curarent, pernoctantes; circa ſecundam horam noctis, ab Eccleſiâ quæ vicina erat, dicata ſanctis Martyribus Coſmæ & Damiano, viderunt egredi hominem habitu Pontificali ornatum: qui ipſis „ appropinquans percunctatus eſt, quò pergerent?

„ Cùm reſpondiſſent, ſe Romam ad Baſilicas ſanctorum Petri & „ Paulli proficiſci: quatenus à Domino impetrarent liberari ab infirmitatibus, quibus vnuſquiſque eorum affligebatur: (Erant enim omnes infirmi, ideo Romam peregrinabantur, tum vt viſerent ſancta loca, tum vt ſanctorum meritis ibi quieſcentium Deus eos ſanaret;) dixit illis Pontifex: Dirigite greſſus veſtros ad Vrbem vobis vicinam, „ Papiam nempe; & ingredimini templum beati Petri in cælo aureo: „ ingreſſi ſanabimini a languoribus veſtris.

„ Quis eſſet interrogātibus peregrinis, reſpondit ſe eſſe Auguſtinum, „ Hipponenſem Epiſcopum. His auditis ſtupore & gaudio repleti, feſtinantes Papiam & templum ingreſſi, clamantes dixerunt: Sancte Auguſtine ſicut pollicitus es, reſtitue nobis ſanitatem. His vix pronuntiatis, ſenſerunt ſe priſtinæ incolumitati redditos: & Deo beatoque Auguſtino gratias agentes, ad propria læti & incolumes remearunt: narrantes mirabilia quæ fecerat Dominus, interceſſione tanti Doctoris.

§. VIII.

Luithprandi munificentia: & chronographia Tranſlationis.

DOna autem quæ piiſſimus Rex Luithprandus, Eccleſiæ beati « Petri donauit, tam in prædiis & poſſeſſionibus, quàm in vaſis « aureis & argenteis, ad Dei cultum pertinentibus; excedunt omnium « piorum & Catholicorum opinionem. «

Exiſtimabat autem Rex ille, ſe tantùm non poſſe donare miniſtris, « qui cuſtodiebant Corpus beati Patris, quod opinioni & voluntati « ſuæ penitus ſatisfaceret. Et tanto gaudio ad Corpus tanti viri receptum, repletus eſt; quod die ac nocte, in hymnis & canticis, cum Clericis & Sacerdotibus in Eccleſia pernoctaret, & tamquam vnus de « miniſtris, in canticis Dei & Pſalmodia ſe exerceret. «

Hæc Tranſlatio Corporis ſancti Auguſtini, facta eſt pridie Kalendas Martij: ſedente in ſancta Petri Sede; bonæ memoriæ Gregorio, « eius nominis ſecundo. «

Excellentiam magnitudinis veſtræ, per multa annorum curricula, Rex regum Chriſtus Dominus, ſua dignetur cuſtodire potentiâ. « Datum in Vrbe Mediolani, Anno ſalutiferæ Incarnationis Domini, « Septingenteſimo nonageſimo ſexto. *Ita Petrus Oldrad.* «

Quod annum attinet, quo memoratas Reliquias transferri contigit; ex tempore, quo tum in Africa, tum in Sardinia iacuerunt, ſecundum rationem quam init Baronius, depræhenditur fuiſſe Septingenteſimus vigeſimusquintus, Gregorij II. duodecimus: ſecundum alios Septingenteſimus vigeſimusprimus. *Eryc. Putean. in Synopſi Chronolog. l. 3. Hiſtor. Inſub.*

§. IX.

Luithprandus in eâdem Eccleſiâ terræ mandatus. Eòdem illata Boëthij lipſana.

PORrò Luithprandus, qui tanto affectu & honore Auguſtini ſacra lipſana proſecutus fuerat, ſepultus eſt in eodem Templo, vt nonnulli ſcribunt, vbi eadem collocari iuſſerat, Epitaphio, quod eius meminit his verbis:

Flauius hoc tumulo Luithprandus conditur, olim
Longobardorum Rex inclytus, acer in armis,
Et bello victor. Sutrinum, Bononia firmant
Hoc, & Ariminum, nec non inuicta Spoleti
Mœnia, námque ſibi hæc ſubiecit fortior armis.
Roma eius vires iam pridem milite multo
Obſeſſa expauit: deinceps tremuere feroces
Vſque Saraceni, quos diſpulit impiger, ipſo
Cum premerent Gallos Carolo poſcente iuuari.
Hungarus à ſolo hoc aditus: Francus & omnes
Vicini gratâ degebant pace per omnes.
Rege ſub hoc fulſit, quod mirum eſt, ſancta frequensq;
Relligio, vt recolunt Alpes, Eccleſia quarum
Ius habuit vincente ipſo, & pægrandia templa,
Quæ viuens ſtruxit, quibus & famoſus in orbe
Semper, & æternus luſtrabit ſæcula cuncta.
Præcipuè Petro cælesti hâc æde locatâ
Clauigero, ſtatuit Cælo quam prouidus aureo:
Auguſtinus vbi huc aliunde adductus eodem
Rege iacet, cuius doctrinâ Eccleſia fulget.

Tradunt in idem templum intuliſſe Boëthij oſſa, à Theodorico Arianis addicto non tantum relegati Ticinum, ſed & interfecti: quæ ibidem quieſcunt, hoc Epitaphio:

Mæoniâ & Latiâ linguâ clariſſimus, & qui
Conſul eram; hîc perij miſſus in exilium.
Et quia mors rapuit, probitas me vexit ad auras,
Et nunc fama viget maxima, viuit opus. E.Putean.hiſt.Inſub.l.1.& 3.

Sed

Sed præteriri non debent, quæ de Tranſlatione S. Auguſtini, & ſacrarum eius reliquiarum Ticini depoſitione, refert *Bern. Saccus lib. 10. Hiſt. Ticinenſ.* his verbis: Ædificauerat Luithprandus Rex inſigne templum, quod D. Petro dicauerat, Monaſterio adiecto: quem locum ab aëris ſalubritate, appellauit Sanctum Petrum in Cælo Aureo. Quod Monaſterium eâ ætate ſitum extra Papiæ mœnia erat, hodie autem intra ciuitatem receptum.

In templo itaque Diui Petri, à Luithprando ædificato, conditum Auguſtini Corpus fuit. Et ne facile reſciri poſſet, quo loco Corpus eſſet; ferunt Luithprandum tribus locis effoſſis, ſtructiſque ſepulchris, alibi deinde nocte paucis operi adhibitis iuſſiſſe Corpus condi: omnibus ſimul ſepulchris eâdem nocte occluſis: vt certâ Corporis ſede ignoratâ, difficilior in æuum fieret occaſio eius perquirendi, rapiendique.

Conſtructum deinde alio ſæculo ſacellum fuit, in quo Arca illa marmorea ac celebris compoſita eſt, Auguſtini ſepulchrum repræſentans. *ita Saccus apud Ioſ. Pamph.*

§. X.

Reliquiarum cuſtodes tandem Eremitæ Auguſtiniani, fauentibus Ioanne XXII. & Ioanne Bohemiæ Rege.

TEmporum deinde lapſu, in eorum locum quos Reliquiarum custodiæ Luithprandus deputauerat, Monaſterio iuxta Eccleſiam Sancti Petri, vti iam diximus, extructo; Monachi Benedictini ſucceſſerunt: hiſque aliò tranſlatis, Canonici Regulares Congregationis Friſonariæ: eiſdem deinde adiuncti, erecto altero cœnobio, conceſſione Ioannis XXII. circa Annum M. CCC. XXVII. (Generali Priore Guilielmo Cremonenſi) Eremitæ Auguſtiniani: qui etiamnum ibi perſeuerant, Canonicis Regularibus iam poſſeſſione priores: quandoquidem Friſonarij Anno CIↃ.IↃ.VIII. Lateranenſibus locum ſuum ceſſerint, habitantibus tum in eadem Ciuitate Papienſi ad S. Epiphanium. Videri poteſt. *Cruſen. 2. p. c. 12. & 3. p. c. 13.* Anno 1327.

Sunt qui ſcribant, adeo ſingulari ſtudio hanc ſacri Corporis cuſtodiam Generalem Guilielmum effectaſſe; vt ei muricem Cardinalitium poſthabuerit, quem Papa Ioannes offerebat: induxiſſe verò vniuerſum Ordinem, vt collatâ ſtipe, intra breue temporis ſpatium, Monaſterium emta areâ à fundamentis erigeret: probante & fauente Ioanne Bohemiæ Rege, cui tum Ticinum parebat.

Is Ioannes eſt Caroli IV. pater, qui Gallorum partes contra Anglos ſecutus, prælio ad Creſſiacum ſagittâ vulneratus occubuit, vnaque cum eo flos nobilitatis Gallicæ. De quo Krantzius refert, etſi eſſet cæcus, pugnaſſe in hoſtes: cumque audiret fortunam ſuæ partis inclinare, ductorem ſuum interpellaſſe, vt ſe eò dirigeret, vbi confertiſſimi hoſtes erant, ibique fortiter præliantem cecidiſſe.

Operæ autem pretium eſt, Breuis, vt appellant, Apoſtolici fruſtum aliquod exhibere: *Dignum arbitramur & congruum, vt vbi tanti Doctoru & Præſulis Corpus tumulatum quieſcere dicitur; ibi vltra id quod ſibi honoris & laudis ab vniuerſali exhibetur Eccleſia, ſingulari quadam reuerentiâ ab Ordine Eremitarum & fratribus eiuſdem Ordinis, qui ſub eiuſdem Patris regula degitis & ſancta obedientia militatis, quique diuinis inſiſtitis laudibus, vacatis orationi, intenditis exhortationi, inſudatis ſtudio, & animarum ſaluti propenſius inuigilatis; ſpecialiter honoretur: quatenus inibi tamquam membra ſuo capiti, filij Patri, Magiſtro diſcipuli, Duci milites cohærentes; Deo & ipſi Sancto, auctoritate fulti Apoſtolicâ præcordialius iubiletis, vbi veſtri Patris & Ducis Auguſtini noueritis reliquias fore ſepultas*, &c.

EPILOGVS.

Atque hæc ſunt quæ quàm breuiſſimè potui, de tanto Præſule & Doctore, quantus equidem Auguſtinus fuit, habui dicenda: cuius aliòquin Vitam multi miſerè & imperitè miſcuerunt, vt quid in ea ſit primum, quid ſecundum, nequeas vel ſagaciter intuendo diſcernere. Supplere quæ omiſſa ſunt (quis enim ſigillatim omnia narraſſe poteſt?) curis ſecundis adlaborabimus.

FINIS.

VITÆ,

VITÆ,

ET RERVM GESTARVM

D. AVRELII AVGVSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

Anno Chriſti

CHRONOLOGIA.

354. NAſcitvr Tagaſtæ, Idibus Nouembris, Parentibus Patritio & Monica.

Tagaſtæ & Madauris dat operam litteris Puer adhuc, inter hunc & ſequentem annum.

371. Studiorum cauſsâ mittitur Carthaginem.

373. Carthagine in Manichæos incidit, & ſeducitur.

374. Categorias Ariſtotelis ibidem, per ſe legit & intelligit. Omnes item Artium Liberalium, Arithmeticæ, Geometriæ, Mathematicæ, &c. libros, quos habere potuit.

380. vel 381. Scribit de Pulchro & Apto: quod inſcribit Hierio Romanæ Vrbis Oratori. hoc Opus intercidit.

383. Audit & interrogat Fauſtum Manichæum.

Romam, inde Mediolanum venit, euocatus ad Scholam Eloquentiæ.

384. Nutare incipit circa vitæ modum. Nutantem Mater Monica, Mediolani offendit.

Varij æſtus eius.

De Magiſtro, in quo loquitur cum filio Adeodato.
De Vera Religione ad Romanianum.

391. Fit Presbyter: adſcitiſque ſociis, inter quos Poſſidius, Monachiſmum continuat, ſed & ſcriptionem.
Liber de Vtilitate Credendi ad Honoratum.
De duabus Animabus contra Manichæos.

392. Diſputatione, Fortunatum Manichæum proſternit.

393. In Plenario Africæ Concilio Hippone, diſputat de Fide & Symbolo.
Libri de Sermone Domini in Monte.
Pſalmus ABCdarius contra Donatiſtas.
Contra Adimantum Manichæum.
Expoſitio Epiſtolæ ad Romanos. Ad Galatas.

Primiani & Maximiani ſchiſma.
Synodus Maximianiſtarum Cauernis Suſis, & Cebarſuſſi, contra Primianum.

Hieronymo Auguſtinus innoteſcit.
Liber de mendacio.
394. Hieronymi & Auguſtini vltrò citroque Epiſtolæ plures.
Bagaienſis Donatiſtarum Synodus, celeberrima in qua Maximianus damnatus.

395. Fit Epiſcopus Hipponenſis, in Aduentu circiter.

396. Clericos aſſumit: cum quibus in domo Epiſcopali, in communi viuit.

397. Multa Epiſcopus conſcribit, quà Didactica, quà Polemica.

Libri ad Simplicianum Epiſcopum Mediolanenſem.
Contra Epiſtolam fundamenti.
Contra Fauſtum Manichæum.
De Agone Chriſtiano, &c.

398. Petiliano Donatiſtarum Epiſcopo Cirtenſi ſiue Conſtantinienſi, reſpondet.
Confutat Epiſtolam Parmeniani.
Scribit de Baptiſmo, libros ſeptem.

399. Orditur libros de Doctrina Chriſtiana: de Trinitate:
De Geneſi ad litteram.
Libri XIII. Confeſſionum.
De Conſenſu Euangeliſtarum.
Quæſtiones, Annotationes in Matthæum, Lucam, Iob, &c.
Liber de Natura Boni contra Manichæos.
Contra Secundinum Manichæum, &c.
Paganorum Calamæ inſolentiam coërcet.
Ibi tum Epiſcopus Poſſidius.
Epiſtolæ ad Nectarium.

400. Liber de Vnitate Eccleſiæ, ad Diœceſis ſuæ Presbyteros, &c.

401. Intereſt Synodo Carthaginenſi, in cauſſa Donatiſtarum, ſedente Romæ Anaſtaſio.

402. Item Concilio Mileuitano in eadem cauſſa, ſub Innocentio I.

403. A Circumcellionibus per inſidias quæſitus ad mortem.
Intereſt Concilio Carthaginenſi.
Pelagius & Celeſtius innoteſcunt.

Epiſco-

404. Epiſcoporum Africæ Legationem ad Honorium contra Donatiſtas, mitigat Auguſtinus.
Donatiſtæ ſerociunt.
Diſputat cum Felice Manichæo, qui Manichæiſmum eiurat.

405. Pœnis hæreticos corrigi, dum videt Auguſtinus; priorem ſuam ſententiam mutat.

406. Libri contra Creſconium Grammaticum Donatiſtam.
Radagaiſi Gothorum Regis exercitus, pluſquam centum millium, in Italia cœſus, nemine vel læſo Romanorum.

407. Petilianus & Auguſtinus, ſcribunt ambo de Vnico Baptiſmo.

408. Pelagius Romæ hæreſes ſuas diſſeminat.

409. Metu Alarici Gothorum Regis, Româ profugiunt Pinianus, Melania, &c. Iuliana, Demetrias, &c.

410. Romanæ Vrbis excidium per Gothos, rege eorum Alarico.
Paullinus vinculis oneratus à Gothis.

411. Collatio Carthaginenſis Catholicorum & Donatiſtarum celeberrima.
In ea, Donatiſtæ ſuccumbunt, ſententiá Marcellini V. C. Cognitoris.
Librorum de Ciuitate Dei occaſio, & exordium, eſt Vrbis excidium.
Pelagius & Celeſtius in Africa agunt, Româ profugi. Inde, hic Carthagine damnatus, in Siciliam: ille in Palæſtinam, euadit.

Contra

Contra eos Auguſtinus ſcribere orſus: cùm ſolis antea ſermonibus oppugnaſſet.

Libri de Peccatorum meritis & Remiſſione.

412. Litteræ Auguſtini ad Voluſianum, V.C.

Ad Honoratum.

Liber de Spiritu & Littera.

Epiſtola Octogeſima nona.

Liber de Fide & Operibus.

Liber ad Donatiſtas poſt Collationem.

Cirtenſes à Donatiſmo ad Catholicam conuerſi.

413. Demetrias Virgo illuſtris, operâ Auguſtini mundanis pompis valedicit.

Marcellinus Cognitor V. C. occiſus. Memoratur in Faſtis Eccleſiaſticis VIII. Idus Aprilis.

Marcellino in Africâ ſuccedit Dulcitius.

Donatiſtarum Synodus.

414. Oroſius Presbyter innoteſcit,

Auguſtini liber ad eum, contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas.

Oroſij Hiſtoriarum Libri VII. contra Paganos, inchoati.

Oroſius in Palæſtinam ad Hieronymum ab Auguſtino miſſus, pro addiſcenda Origine Animæ.

415. Liber Auguſtini de Natura & Gratia, contra Pelagium naturæ vires deprædicantem.

Synodus Dioſpolitana ſiue Palæſtina, contra Pelagium, agentibus Herote & Lazaro Gallicanis Epiſcopis.

In ea fraudulenter abſolutus Pelagius.

416. Oroſius ex Palæſtina adfert in Africam Reliquias S. Stephani.

Eius

Eius poſtea in Africa multa Miracula.

Synodus Carthaginenſis & Mileuitana contra Pelagium, iniungit Auguſtino vt eum oppugnet.

Damnatur & excommunicatur ab Innocentio Papa, Pelagius.

417. Auguſtini Liber de Geſtis Palęſtinis.

Epiſtola ad Paullinum.

Celeſtius Romæ præſens & Pelagius abſens, apud Zozymum Papam purgare ſe ſatagunt.

418. Damnantur ſtudio Patrum Africanorum à Zozymo; cuius ſententiam ſecutus Imperator Honorius, eoſdem Vrbe pellit.

Auguſtini Epiſtola ad Sixtum R. E. Presbyterum.

Libri de Gratia Chriſti, & Peccato Originali.

Epiſtola ad Dardanum conſcripta.

Auguſtinus à Zozymo Papa in Mauritaniam legatus, Emeritum ibi Donatiſtam conuenit.

Exſtant Acta huius Collationis.

Auguſtini Epiſtola 50. ad Bonifacium Comitem.

Scribit de Nuptiis & Concupiſcentia, Librum primum.

419. Hunc Iulianus quatuor Libris refellere conatur.

Auguſtini Liber ſecundus de Nuptiis & Concupiſcentia, prodit.

Epiſtola ad Heſychium.

Liber de Cura pro mortuis.

De Octo Dulcitij Quæſtionibus.

Enchiridium de Fide, ſpe & charitate.

Libri locutionum Scripturæ ſacræ.

Libri Quæſtionum de ſeptem Libris eiuſdem Scripturæ.

orditur Operum à ſe hactenus compoſitorum examen: & conſcribit Libros duos Retractationum.

Eodem tempore perficit Libros de Doctrina Chriſtiana: De Geneſi ad litteram: de Trinitate.

Numerati tum eius Libri, ducenti triginta duo, in Operibus nonaginta tribus, præter Epiſtolas & Sermones ad populum, & alia volumina quæ poſtea prodierunt: ſimulque faciunt Opuſcula, mille Triginta & amplius, teſte Poſſidio.

Speculum è Veteri & Nouo Teſtamento concinnatum: exſtat Tom. III.

427. Iulianus Pelagianus, octo Libros ſcribit, contra Librum ſecundum Auguſtini de Nuptiis & Concupiſcentia.

Leporius in Africa, Auguſtini Operâ conuerſus.

Epiſtola Auguſtini ad Vitalem.

Pelagius & Celeſtius tota Italia pulſi, ſecedunt in Britanniam, ſolum ſuum natale.

Excidij Africæ initia ingreſſu Vandalorum.

Sigiſuultus Comes, contra Bonifacium miſſus in Africam, Maximinum Epiſcopum Arianorum, & Paſcentium domûs Regiæ Præfectum, itemque Felicianum, eodem adducit.

Diſputat Auguſtinus cum Paſcentio, Maximino, & Feliciano, Arianis.

Libri exſtant contra hos conſcripti.

Item Epiſtolæ ad Paſcentium.

Epiſtola Auguſtini 180. ad Honoratum de fugâ Epiſcoporum, tempore bellorum.

Bonifacius prælio victus, Hipponem ciuitatem maritimam ſe recipit.

Africanæ Eccleſiæ, tribus demtis, omnes exciſæ.

428. Semipelagiani è Gallia exorti, Maſſiliæ ſignanter; Auguſtini

guſtini eiusque doctrinæ obtrectatores.

Inter hos Ioannes Caſſianus, Vincentius Genuenſis, Sulpitius Seuerus, &c.

Auguſtini patrocinium vindiciaſque Proſper & Hilarius ſuſcipiunt, veteres Auguſtini diſcipuli.

Contra Semipelagianos ſcribit Auguſtinus de Prędeſtinatione Sanctorum, & Dono perſeuerantiæ, planè diuinos Libros.

Quinque Libros Iuliani Operis ſecundi, Alipius ex Italia mittit ad Auguſtinum.

Lucubrans diu noctúque Auguſtinus, totidem alios Iuliano reponit: ſed duo ſolummodò exſtant, nuper reperti. Hi vulgò vocantur, *Opus imperfectum*.

Scribit Librum De Hæreſibus, ad Quod-vult-Deum.

430. Vandali Hipponem obſident: quo ſe Poſſidius pluresque alij Epiſcopi receperant.

Sermo Auguſtini tunc habitus, & Oratio ad Deum illis temporibus opportuna.

Tertio obſidionis menſe in morbum incidit.

Migrat è vitâ V. KAL. SEPT. Ætatis LXXVI.

Ab Imperatore Theodoſio, mortis eius ignaro, vocatur ad Concilium Epheſinum contra Neſtorium.

431. Damnatur in Synodo Epheſinâ Neſtorius, iam pridem ab Auguſtino prædemnatus.

504. Reliquiæ S. Auguſtini ex Africa transferuntur in Sardiniam, per S. Fulgentium Epiſcopum Ruſpenſem.

725. Inde transferuntur Ticinum, per Luithprandum Longobardorum regem.

INDEX PRIMVS,

QVI PROPRIE

AVGVSTINVM TANGIT.

AVGVSTINI pueritia & adoleſcentia vſque ad annum ætatis XXX.

AVguſtinus naſcitur Tagaſtæ. 1. *Pater ei Patritius, mater Monica: moribus ac fide diſpares.* 2. *Frater, Nauigius.* 6. *ſoror, vidua Deo ſeruiens, diu præpoſita ancillarum Dei.* 6. 122. *alij conſanguinei.* 6. *Magiſter in Rhetoricis Democrates.* 9. *mæcenas ſiue fautor ſtudiorum, Romanianus.* 9. 12. 17. 19. 41.

Auguſtinus nomen Chriſti ſeruatoris cum lacte matris imbibit: vnde ei per reliquam ætatem ex toto non placebant, quæcumque ſine hoc nomine. 13. *puer à Matre in religione Chriſtianâ inſtructus, & ſignare ſe ſigno Crucis.* 10.

Scholas puer frequentat. 9. *ludo deditus.* 10. *prima eius de Deo notiones.* ibid. *abhorret à Primis Grammaticæ rudimentis; Litteris præſertim Græcis, vt peregrinis.* ibid. *at delectatur fabulis Poëtarum audiendis, & ſpectandis.* ibid. *æger Baptiſmum flagitat.* ibid. *ſupra alios condiſcipulos proficit, ac Bonæ ſpei puer à magiſtris appellatur.* 10. 11. *in ludis puerilibus victoriam amat.* 11. *etiam in paruis rebus Veritate delectatur.* ibid. *Litterarum ſtudia perficit Tagaſtæ & Madauris.* ibid. *dumq; ſumtus præparantur vt Carthaginem abeat, vacat otio & vitiis.* ibid. *Matris monita pro anilibus habet.* 12. *nunquam tamen verbo in illam durus aut contumelioſus.* 52.

Mortuo patre, ſtudiorum cauſsâ mittitur Carthaginem: domum & ſumtus ſuppeditante Romaniano. 12. *illic amoribus & ſpectaculis Tragicis irretitur.* 12. 13. *Verſatur inter cauſsidicos, tametſi ab eorum fraudibus abhorret.* 13. *Hortenſio Ciceronis excitatur ad amorem Philoſophiæ, & diuitiarum contemtum: in quo hoc vnum diſplicet, quòd in eo Chriſti nomen non reperiret.* ibid. *Hinc ad Sacras Litteras animum applicat: quas mox faſtidit ob ſtyli ſimplicitatem.* 14.

Annum iam agens ætatis XIX. *Carthagine incidit in Manichæos; promittentes ſe illum claris rationibus, ſepoſitâ auctoritate, ad Dei cognitionem introducturos.* 14. 15. *Per nouem annos eis adhæret ſeductus & ſeducens: non Electus inter illos aut Presbyter, ſed Auditor tantum.* ibid. *variè interim fluctuans, & Veri inueniendi amore huc illuc propendens.* ibid. *elatus ſubinde Victoriâ de Chriſtianis, fidem ſuam qua poterant ratione diſfendentibus.* 15. 16. 18. *torque-*

*tur præcipuè animo circa mali originem.*15. *Semper credidit animæ immortalitatem, & poſt hanc vitam Dei iudicium ac tractus meritorum.* 8. 29. *item, Deum gerere curam rerum humanarum.* 27. *Epicuri alioquin ſententiæ de Finibus bonorum & malorum deditus.* 8.

Annos natus XX. *Categorias Ariſtotelis per ſe legit, & intelligit: omnes item Artium liberalium libros, Arithmetica, Geometria, Mathematica, Muſica, &c.*16.17.

Redit Tagaſtam, ibiq; Grammaticam docet: domo eum ac ſoluto fauore excipiente Romaniano, matre errores eius deteſtante ac plangente. 17. 18. *amici morte conſternatus, cuius in morbo cubantis Baptiſmum irriſerat, ſolum mutare ſtatuit.* 18. *magnus æſtimator amicitiæ & amicorum, quos gratis diligit.* 9.

*Abit Carthaginem, renitente primùm Romaniano, mox iuuante.*19. *Carthagine Rhetoricam docet.* ibid. *Diſcipuli eius Alipius, Licentius, Eulogius Rhetor, aliíque.* 6.8. 9. 27. *aſciſcit ſibi quandam illegitimo coniugio, cui thori fidem ſeruat.* 19. *Carminis Tragici certamen initurus, Aruſpicem ſibi Victoriam inuocatione dæmonum ſpondentem abominatur: Mathematicis interim Planetariis addictus.* ibid. *Faſtidit diſcipulorum mores, & amicos colit. Spes vanas animo voluit.* 19. 20. *Scribit de Apto & Pulchro, ad Hierium Romanæ vrbis Oratorem.* 20.

Intereſt diſputationi Helpidij contra Manichæos, à quibus animo alienari incipit. 20.21. *Variis quæſtiunculis Manichæos tentat: quibus neque ipſi ſatis reſpondent; neque qui tum aduenerat Fauſtus, per nouem annos Auguſtino promiſſus.*21.22. *eis tamen adhærere ſtatuit, donec melius aliquid inueniret.*23.

Romam proficiſcitur inſtigantibus amicis, ſed inſcio Romaniano & deluſâ matre. ibid. *Rhetoricam Romæ profitetur, & verſatur cum Manichæis, ſed aliquanto remiſſiùs, magis in Academicos propendens.* 23. 24. *Mediolanenſes intereà à Symmacho Vrbis præfecto petunt ſibi prouideri de Magiſtro Rhetorices. Is eò deſtinat Auguſtinum, dictione propoſitâ probatum.* 24. *Alipius Romæ inuentus ab Auguſtino, vnà cum illo Mediolanum proficiſcitur.* 7.

Auguſtinus Mediolani ab Ambroſio benignè ſuſcipitur. 24. *Imperatori (qui videtur fuiſſe Maximus) & Bautoni Cos. panegyricum recitaturus; viſo in plateis mendico, cupiditatum ſuarum vanitatem animaduertit.* 25. *Ambroſij concionantis facundiâ ducitur, rerum negligens: quæ interea vnà cum verbis percepta, tandem perſuadent Fidem Catholicam defendi poſſe.*25. *ita nec Manichæus iam, nec Catholicus, cum Academicis fluctuat: in Catholicam tamen propendens, tantiſper in eâ Catechumenus eſſe ſtatuit, dum certi aliquid eluceſceret.* ibid. *ita nutantem Monica Mediolani inuenit, terrâ mariquè filium inſecuta, deq; eius conuerſione fiduciæ in Deum plena.* 3.26. *Venit eòdem ex Africâ Nebridius.* 8.

Auguſtinus Ambroſij frequens auditor, magis magiſq; diſponitur ad intelligendam

Dei naturam, & ſidem adhibendam Scripturis ſacris. 26. 27. Videtq́; pudore permixto gaudio, ſe tot annos non contra Catholicam ſidem (quam longè aliam imaginatus fuerat) ſed contra cogitationum ſuarum ſigmenta, latraſſe. 26. Eulogio Rhetori Carthaginenſi locum difficilem abſens per ſomnium exponit. 27.

Deliberat cum Alipio & Nebridio de vita genere eligendo 27. ſerò quidem, vt ipſe cenſet; dum per annos vndecim differt & differtur. 28. inclinatur ad vxorem ducendam: diſſuadente Alipio, vt Sapientiæ remoram; annitente matre. ita deſpondetur ei nondum nubilis. 28. quo percepto deſerit eum concubina, voto facto alium ſe virum neſcituram. 29. percellitur ipſe metu mortis ac Iudicij. ibid.

Agit cum Romaniano (qui tum fortè negotiorum ſuorum causâ Mediolanum venerat) de Vitâ communi & Sapientiæ vnà inquirendæ ſtudio. 28. hoc conſilium vxores euertunt, quas habebant quidam ſuorum, ipſe habere volebat. ibid. perſeuerat nihilominus in eius vitæ deſiderio. ibid. Æſtuat animo circa Dei naturam, & Mali origine͂. 29. 30. Mathematicos deſerit, adhortante Firmino: credit Scripturis Sacris, & vnica͂ ſalutis ſpem in Chriſto collocat. 30.

Lectione Platonicorum proficit ad rerum humanarum contemtum. 31. apud eoſdem reperit non pauca doctrinæ Chriſtianæ conſonantia. 31. 33. velut in extaſi audire ſibi videtur: Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me. 31. Mali originem inuenit. 31. 32. ſed errat in perſonâ Chriſti, non percipiens quid Sacramenti haberet, Verbum caro factum eſt. 32. 33.

A Platonicis tranſit ad Scripturæ Sacræ lectionem. 33. 36. Paulum Apoſtolum legit præ ceteris: atque in eo veræ Philoſophiæ faciem, & Gratiæ vbique commendationem agnoſcit. 33. 34.

AVGVSTINI Conuerſio, Baptiſmus, aliaque vſque ad Presbyterium.

SOmnium Monicæ diuinitùs immiſſum de futura filij conuerſione. 18. reſponſum Epiſcopi eidem datum. ibid.

Auguſtinus de Deo iam ſatis edoctus, totus ad eum anhelat: niſi quod vnâ adhuc compede tenetur vxoriâ 34. & aliquâ fortaſſis honoris illecebrâ 35. Eum excitat Simplicianus ad ſpes vanas abiiciendas, & ſectandam Chriſti humilitem, Victorini Rhetoris exemplo. 34. 35. huc accedunt, Antonij, & aliorum exempla, à Potitiano narrata: quibus exſtimulatus ad vitam Monaſticam, & ſupra modum commotus, ſecedit in hortum. ſequente Alipio. 36. 37. carnis ac ſpiritûs in eo lucta, & Pudicitiæ ac Voluptatis certamen. 37. Sub ficu proſtratus, voce cælitùs demiſſâ admonetur: ac planè ad Deum conuertitur: gaudente Monicâ ac Deo gratias agente. 38. 39.

Abiicit cogitationem de ducendâ vxore, & Profeſſioni publicæ renuntiare ſtatuit, vni mox Deo & Sapientiæ vacaturus. 39. Per ferias Vindemiales ſecedit vnà cum Matre & amicis in villam Caſſiſiacum;

hanc

hanc eis commodante Verecundo, Grammatico Mediolanenſi. 40. *Ibi iam Catechumenus inchoat Libros contra Academicos.* ibid. *& profeſſioni publicæ renuntiat.* 42. *Ruri exiſtens delectatur aſſiduâ meditatione ac recitatione Pſalmorum, præcipuè Pſalmi quarti.* 41. *ibidem diem ſuum Natalem celebrat, diſputatq́, ac ſcribit de Vita Beata ad Manlium Theodorum: item, De Ordine, ad Zenobium.* 42. *à dentium dolore miraculosè ſanatur.* 43. *Ambroſium per litteras de ſtatu ſuo edocet, conſulitq́, quid ſibi dè Libris Sacris præcipuè legendum cenſeat.* ibid. *totus inhiat veræ Sapientiæ, à vanis cupiditatibus liber ac ſolutus: cibo, potu, balneis moderatiſsimè vtitur.* 44. *conſcribit Libros Soliloquiorum, diſputatq́, per Epiſtolas ſuper variis quæſtionibus cum Nebridio abſente.* ibid.

Rure Mediolanum reuerſus, ſcribit de Immortalitate animæ: ac libros Diſciplinarum, ſiue de Grammaticâ, Muſicâ, Rhetoricâ, Dialecticâ, Geometricâ, Arithmeticâ, & Philoſophiâ partim inchoat, partim perficit. 44. 45. *conſulit Ambroſium de ieiunio Sabbati.* 25. *& ab eodem, vnà cum Alipio, Adeodato, aliiſq́, Baptizatur.* ibid. *Hymnus* Te Deum laudamus *ab Auguſtino & Ambroſio decantatus.* ibid.

Vnà cum Baptiſmo Monachiſmum ſuſcipit, ac vitam cum ſuis communem agit: quibus ſe Euodius adiungit. 46. *Agitato cum ſuis conſilio, quo loco commodiſſimè Deo ſeruire poſſent, in Africam cogitat.* 47. *Mediolano Romam abit, ibiq́, ſcribit de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, & de Moribus Manichæorum, ad horum errores ac fictam ſanctitatem Orbi detegendos.* 48. *item Dialogum de Animæ quantitate, & Librum primum De Libero arbitrio contra Manichæos, malum in Deum auctorem referentes.* 49. 51.

Venit ad Oſtia Tiberina, inde cum ſuis in Africam ſoluturus. 51. *cum matre colloquitur de vitâ æterna ſanctorum, atque in eius contemplationem totus abripitur.* 52. *matrem ibidem amittit ac ſepelit, ingreſſus ætatis annum* XXXIV. *eius mortem quomodo luxerit.* 52. 53.

Soluit in Africam, & Carthagine ſuſcipitur ab Innocentio. 53. *inde abit Tagaſtam, ibique ferè triennium exigit, Monaſticam vitam ducens cum iis qui illum ex Italia comitati fuerant.* 54. *agellulos ſuos diuendit ac pauperibus diſtribuit.* 47. 56. 345. *præſentes & abſentes Sermonibus ac libris docet, ſcribitq́, de Geneſi contra Manichæos, & Librum de Magiſtro, item de Verâ Religione ad Romanianum.* 54. 55. *hinc & cenſendus initium ſumpſiſſe Liber Octoginta trium quæſtionum.* 54. *proficiſcitur Hipponem, vt amicum quemdam Deo & Vitæ Monaſticæ lucretur.* 55. *gaudet id vitæ genus per miniſterium ſuum aliis perſuaſum eſſe.* 47.

AVGVSTINVS PRESBYTER.

HIpponem aduenions abripitur à populo Hipponenſi ad Presbyterij gradum. 56. 345. *petit tempus ſibi dari, ad munus*

munus illud ritè obeundum. 56. *Ordinatur à Valerio inuitus, atque vbertim flens.* ibid. *Ceres Paſchalu praconium componit, ac decantat.* ibid.

Monachiſmum Presbyter continuat, atque alterum Hippone Monaſterium fundat in horto à Valerio ad id conceſſo. 56. 57. *Poßidium adſciſcit.* 57. *Euodius, & Alipius eidem coniuiunt.* 57. *Aurelius Carthagin. Epiſcopus, Auguſtino per litteras gratulatur: eum Auguſtinus adhortatur ad prauorum morum in Eccleſia Africana extirpationem.* ibid.

Scripturarum ſtudio totus incumbit. 58. *Verbum Dei prædicare incipit.* 62. *primus in Africâ coràm Epiſcopo nondum Epiſcopus concionatur.* ibid. *rariſsimè, tacere atque alios (quod maximè cupiebat) audire, illi permiſſum.* ibid. *ad populum orantis tractatus Hæretici pariter & Catholici adhibitis Notariis excipiunt.* 67.

Scribit varia vt amicos quoſdam à Manichaiſmo ad Chriſtum adduceret: De Vtilitate credendi ad Honoratum, & De Gratia noui Teſtamenti. 65. *De duabus Animabus.* 65.66.

Diſputat publicè cum Fortunato Manichaorum Presbytero, eumq́ proſternit. 66. 67. *Eccleſia Africana eius Doctrinâ proficit.* 67. *Hippone in plenario Africa Concilio iubentibus Epiſcopis de Fide & Symbolo diſputans, omnes in ſui admirationem & amorem abripit.* 67.76. *Orditur Libros de Geneſi ad Litteram, ſed operis difficultate deterritus ab eo perficiendo interquieſcit.* 68. *perfectum vitæ Chriſtianæ modum complectitur Libro de Sermone Domini in Monte.* ibid. *Donatiſtas oppugnare incipit.* 68.69. *ſcribit contra Adimantum, Manichai diſcipulum.* ibidem.

Libros ſacros domi Fratribus ſuis exponit. 71. *inchoat expoſitionem in Epiſt. D. Pauli ad Romanos: labiturq́ in errorem qui poſtea fuit Semi-pelagianorum, quem deinde Epiſcopus factus corrigit ac retractat.* 71.72, 126.609. *Mathematicos refellit.* 73.

Auguſtinus Hieronymo innoteſcit, cumq́, eo per Litteras diſputat ſuper Legalibus & Mendacio, manuſq́ dare compellit. 73. *ſcribit de mendacio.* ibid.

AVGVSTINVS EPISCOPVS.

VAlerius Hippon. Epiſcopus, veritus nè Auguſtinus ab aliis Eccleſiis ſibi præriperetur, petit à Megalio Numidiæ primate, aliiſq́ Epiſcopis, vt ſe viuente eiuſdem Eccleſiæ Coëpiſcopus ordinetur. 76. *annuunt omnes excepto Megalio, qui confictum crimen de amatorio poculo Auguſtino obiicit.* ibid. *hac de causâ coacto Epiſcoporum Concilio, factis pœnitens Megalius, veniam admiſſi petit.* ibid.

Auguſtinus ordinari ſuo viuente Epiſcopo recuſat: ſed rationibus & exemplis allatis tandem ſuccumbens, ordinatur à Megalio, anno ætatis XLI. *completo.* 77. *verùm hunc Ordinandi modum poſtea cognito Niceni Canone, damnat: & nè vltrà in aliis contingat, in Concilio Carthaginenſi cauet.* 77. 561.

Factus Epiſcopus Vitam communem continuat,

tinuat, & in domo Epiſcopali inſtituit Monaſterium Clericorum, multorum Epiſcoporum ſeminarium. 113. 114. Epiſcopi aliquot enumerati, qui ex eius diſciplina & contubernio aſſumpti, vitam Monaſticam continuarunt ac propagarunt. 116. Auguſtinus quot annis cum Valerio ſederit? 562. Vox Deo Gratias Auguſtino & Auguſtinianis familiaris. 119. eam Auguſtinus commendat, & defendit contra Donatiſtas obtrectatores. ibid. Orationem eius ad Deum crebro vſurpatam, Da quod iubes, & iube quod vis; ferre non poſſunt Pelagij aures. 79. in ſcripturis Sacris fundatam probat Auguſtinus. 343. 344. Annulus Auguſtini ſignatorius quod ſignum habuerit. 587.

Auguſtini in Epiſcopali munere variæ occupationes. 417. 465. 499. Cauſſas audit & dirimit ſummâ diligentia & integritate, ſæpè totam diem ieiunus. 463. Vix quinq; dierum otium impetrat, vt ex duorum Conciliorum mandato contra Pelagium ſcribat. 460. 461. In docendo & admonendo populum ſuum aſſiduus. 88. nonnumquam bis in die concionatur. ibid. etiam peregrè ad concionandum expetitus: præcipuè Carthagine. 109. Calamam proficiſcitur ad coercendam illic Paganorum inſolentiam. 277. Crebrò Eccleſias Catholicas viſitat, atque inſtruit. 296.

Auguſtinus intereſt pluribus Conciliis. Carthaginenſi in cauſſa Donatiſtarum, ſub Anaſtaſio. 285. Mileuitano, in eadem cauſſa ſub Innocentio I. 289. alteri Carthaginenſi, in eadem cauſſa. 299. Vnus ex ſeptem Epiſcopis delectis ad diſputandum in Collatione Carthaginenſi, contra totidem Donatiſtas. 366. intereſt Concilio Cirtenſi contra Donatiſtas. 425. Mileuitano, in cauſſâ Pelagij. 458. inde redit Carthaginem, & à Mileuitana ſimul & Carthaginenſi Synodo prouinciam accipit ſcribendi contra Pelagium. 460. intereſt alteri Conc. Carthaginenſi in eadem cauſſâ. 488. 489. Legatus à Zozymo Papa in Mauritaniam. 496. 499. à Theodoſio Imp. vocatur ad Concilium Epheſinum contra Neſtorium. 660.

Auguſtinus Hippone viſitatur à Piniano, Albinâ, & Melaniâ: quæq; ibi tum contigerunt. 344. iidem ex Paleſtina ſignificant Auguſtino Pelagium à ſe inductum errores ſuos recantaſſe; quibus Auguſtinus reſpondet libro de Gratia Chriſti, & Pelagij fraudes detegit. 494.

Auguſtinus Probæ & Iulianæ nobiliſſ. feminis miniſterium verbi Carthagine impertit. 427. ab iiſdem accipit munus de conſecratione Demetriadis Virginis, quæ Auguſtini hortatu Sanctimoniam profeſſa erat. ibid. Scribit librum ad Probam de Orando Deum. 123. 427. Iulianæ & Demetriadi antidotum propinat contra peſtilentem Pelagij Epiſtolam. ibidem aliarum feminarum pius Doctor. 124. 125.

Auguſtinus Oroſium ad ſe ex Hiſpania venientem, contra Priſcillianiſtas inſtruit. 431. 432. eidem auctor eſt ſcribendi libros Hiſtoriarũ contra Paganos. 434. eundem mittit cum Litteris ſuis ad Hieronymum in Palæſtinam ad exquirendam eius ſententiam de Animæ Origine. 433. 452.

Auguſtinum

Auguſtinum Hieronymus quanti fecerit. Vide Hieron. in Indice Gen.

Auguſtinus S. Stephani Reliquiis ab Oroſio delatis in Africam, Oratorium excitat, & miracula deſcribit. 468. & ſequ. *S. Stephanum ante alios colit atque inuocat.* 329.

Auguſtinus quid ſenſerit de miraculis? 475. *Martyrum cultu & inuocatione?* 328.329. *Sepulturâ ad memoriam Martyrum?* 509. *De Euchariſtia Sacramento, Sacrificio, & Altari?* 510.511. *De pœnis Hæreticorum?* 316.317.318. *de Epiſcoporum pro reis apud Iudices deprecatione?* 399. *de fuga Epiſcoporum ingruentibus bellis?* 599. *de conſuetudinibus & ritibus Eccleſiarum?* 601. *de quotidianâ ſumptione Euchariſtiæ?* ibid. *de vltimâ mundi die?* 274.507. *de Dei in priori Teſtamento apparitionibus?* 589. *de anathematis ſententia ob vnius culpam in omnes domeſticos vibrata?* 411.412. *Eulogias ſiue Panem benedictum mittit ac recipit.* 479.

Auguſtinus Bonifacium Comitem euocat à propoſito ſæculi deſerendi, quòd eius militiam iudicaret Eccleſiæ magis vtilem. 466.578. *cuius conſilij poſtea eum pœnituit.* 467. *aliàs coniugium & militiam rarò ſuadet, neque facilè in patriâ conuiuia adit, Ambroſij exemplo.* 466. *Auguſtini ad Bonifacium ob Vandalos in Africam euocatos, & quæ inde ſecuta ſunt, libera admonitio,* 577. & ſequent.

Auguſtinus Antonio Fuſſalenſi olim à ſe commendato, cùm expectationi non reſponderet, Epiſcopalib. muniis interdicit, 545.546. *eoq; ad Apoſtolicam ſedem appellante, ſcribit ad Cæleſtinum Papam, & zelum quem habebat pro Dei Eccleſia oſtendit.* 546.547. *Paullum Cataquenſem mordaci Charitate increpat.* 548.

Auguſtinus ſpeculator conſtitutus à Domino Domui Iſrael, modis omnibus ſaluti ſuorum intendit. 463.464. *Vitia increpat.* 88. & ſequent. *Virtutes inculcat.* 93. 100.103. *imperitos docet.* 104. *Hæreticos detegit, refellit, conuertit.* V. infra.

Auguſtinus à ſe edita recognoſcit, admirando in ſe rigore ac penè nimio. 557. 563. 578. *in hunc finem coadiutorem Epiſcopalis muneris adſciſcit Eradium.* 558. *cùm priùs Mileuitanis Epiſcopum dediſſet, compoſito tumultu qui ibi enatus fuerat.* 559.560. *non omnia recognouit.* 566. 585. 610. 612. 622. *perficit libros de Doctrina Chriſtiana, de Geneſi ad Litteram, de Trinitate.* 564. *Librorum numerus.* 565. 567. *Tempus quo quiſque conſcriptus*, V. in Chronol. *Scribendi occaſio, ſuo loco aperitur aut indicatur.*

Auguſtinus annum iam agens ætatis LXXIII. nihilum de ſolito animi vigore, & zelo Domûs Dei remittit: Leporio & Vitali conuertendis ſtudet. 570.572 *cum Paſcentio, Maximino, Feliciano Arianis diſputat: conſcriptis inſuper libris Arianiſmum oppugnat.* 583.585.586. *mox Semipelagianos in Gallia exortos refellit Libris de Dono perſeuerantiæ & Prædeſtinatione Sanctorum, planè diuinis.* 608. *Sub ipſum vitæ finem ſimul & reliquis Opuſculis retractandis, & quinque Iuliani libris refutandis incumbit: illis noctem, his dies*

impendens. 612. 613.

Anno ætatis LXXVI. Hippone à Vandalis obſidetur. 625. *eius tum Sermo, Oratio ad Deum, animi votum.* 624. 625. *tertio obſidionis menſe in morbum incidit.* 626. *Miracula tum & aliàs patrata.* ibid. *ad mortem ſe parat Pſalmorum pœnitentialium meditatione.* 626. *migrat è vita* 627. *In ſepulturâ Miſſæ Sacrificium pro eo oblatum.* 627. *Clerus Africæ, & Bibliotheca ab eo relicta.* 628. *à Theodoſio Imper. per Ebagnium Magiſtrianum vocatur ad concilium Epheſinum contra Neſtorium; ſed obierat Auguſtinus.* 630. *nullo tamen hæreſis Neſtorianæ lucro, quam pridem pluribus locis prædamnauerat priùs quàm oriretur.* 631. 632.

Auguſtini Reliquiæ ex Africa in Sardiniam tranſlatæ per S. Fulgentium Epiſcop. Ruſpenſem: vbi quieuerunt annis CXXI. 633. 634. *poſtmodum è Sardiniâ Ticinum allatæ, ibiq́ condita à Luithprando Longobardorum rege.* 635. 637. *miracula eius ibidem.* 636. 638. *Luithprandus in eadem Eccleſia terra mandatus: eodemq́ illata Boëthij lipſana.* 640. *Caroli Magni iuſſu, Tranſlationis hiſtoriam ſcribit Petrus Oldradus Epiſcopus Mediolan.* 634. *Reliquiarum D. Auguſtini cuſtodes à Luithprando conſtituti.* 639. 641. *quibus ſucceſſere Monachi Benedictini, atque his Canonici Reg. Congregationis Friſonariæ: quibus additi Eremitæ Auguſtiniani, ſub Ioanne XXII.* 641. 642.

AVGVSTINI GESTA AC SCRIPTA

CONTRA VARIOS ECCLESIÆ HOSTES.

Contra Manichæos.

AVGVSTINVS *ſtatim à Baptiſmo Manichæos oppugnat, ſcribitq́ Romæ contra eos de Moribus Eccleſiæ & De Moribus Manichæorum.* 48. *item Librum primum De Libero arbitrio: cui deinde in Africa duos alios adiecit.* 49. *item De Geneſi duos.* 54.

Iam Presbyter, Honoratum amicum ſuum à Manichæiſmo reuocat ſcripto libro De vtilitate credendi, & alio De Gratiâ noui Teſtamenti. 65. *vtq́ plures ex amicis eodem errore detentos lucretur, ſcribit librum de Duabus animabus.* 66.

Diſputat publicè Hippone cum Fortunato, Notariis dicta excipientibus, eumq́ peſſumdat. 66. 67. 130. *Scribit contra Adimantum Manichæi diſcipulum.* 69.

Factus Epiſcopus ſcribit cõtra Epiſtolam fundamenti, ac Manichæiſmum funditus euertit. 127. *item De Agone Chriſtiano.* 128. *Fauſtum, eorum coryphæum refellit libris triginta tribus.* 131. 132. *Manichæos*

chaos aliquot Hippone detegit, atque Vrbe pelli iubet. 132. *Scribitq; contra eos De Natura boni.* 13.

Scribit contra Secundinum, qui Romæ exiſtens Auguſtinum per litteras monuerat, vt à Manichæis inſectandis deſiſteret. 133. *plura contra eos ſcripta.* ibid.

Diſputat publicè cum Felice Manichæorum Electo; qui mox conuictus, præeunte Auguſtino Manichæum eiuſque doctrinam eiurat. 315.

Manichæi Carthagine detecti, in iudicio coram Vrſo Tribuno ab Epiſcopis (maximè Auguſtino) preſſi, blaſphemias & ſordes ſuas publicè confitentur. 132. 527.

Contra Donatiſtas.

AVGVSTINVS *etiamnum Presbyter Donatiſtas oppugnare incipit, ſcribitq; contra Epiſtolam Donati Carth.* 69. *componit Pſalmum ABCdarium, ad captum vulgi accommodatum: quo totius Schiſmatis originem ac progreſſum complectitur.* 68.

Auguſtinus iam Epiſcopus Donatiſtas tam Sermonibus & Epiſtolis quàm oblato colloquio & priuatâ aut publicâ diſputatione, ad Eccleſiæ vnitatem reducere ſtudet. 260. 261. 266. 303. *reſipiſcere volentibus vt dignitates ſuæ ſaluæ ſint, procurat.* 285. 288. *paratus pro pace Eccleſiæ etiam Epiſcopatu ſuo cedere.* 361.

Petilianum Cirtenſem Donatiſtarum Epiſcopum, eiusq; Epiſtolam tribus libris oppugnat, ſepoſitis tantiſper Libris de Trinit. & Geneſi ad Litt. 263. 264. *Scribit de Vnitate Eccleſiæ ad diœceſis ſuæ Presbyteros, ſicut Petilianus ſcripſerat ad ſuos.* 283. *item de Vnico Baptiſmo, contra Petiliani Librum cognominem.* 339.

Parmeniani, Carthaginenſis Donatiſtarum Epiſcopi, Epiſtolam tribus libris refutat. 225. 226. *Quibus deinde ſubiungit Libros ſeptem de Baptiſmo.* 267.

Creſconium Grammaticum eiuſque argutias libris quatuor refellit, ac proprio mucrone iugulat. 321. 323.

Scribit in Donatiſtas, Contra quod attulit Centurius. 269. *contra Epiſt. Presbyteri Cirtenſ. ad Generoſum.* 284. *de Schiſmate Maximianiſtarum.* 340.

Intereſt Concilio Carthaginenſi ad reducendos Donatiſtas, ac benigna omnia Patribus perſuadet. 285. 286. 287. *item alteri Carthaginenſi, de Donatiſtis ad pacificam collationem inuitandis.* 299. *ipſi Proculiano Collationem offert legibus æquiſſimis: ſed detractat ille.* 303. *Preces Legatorum ad Imperatorem, contra Donatiſtarum violentiam, mitigat.* 311. *tandem rationibus & exemplis conuictus, praxim pœnalem contra Hæreticos approbat, ac defendit.* 316. 317. 318.

Auguſtinus vnicum remedium extirpando Donatiſmo cenſet, Collationem publicam auctoritate Imperatoriâ indicendam. 356. *eius conſilium approbant Patres in Synodo Carthagin. atque Legationem ad Imper. decernunt.* 355. *Indicitur Collatio Carthagine.* 357. *in qua Auguſtinus vnus ex ſeptem Epiſcop. Catholicis delectis ad diſputandum cum totidem Donatiſtis*

tatiſtis. 365.366. *Vincuntur, ac damnantur Donatiſtæ.* 388. *Collationis fructus in Auguſtini maximè gloriam redundat.* 390.

Auguſtinus Collationis huius Breuiculum conſcribit, ſummo labore. 388. *Donatiſtarum contra eam calumnias deſtruit libro Poſt Collationem ad Donatiſt.* 422. 424. *idem facit Epiſtolâ ſcriptâ nomine Concilij Cirtenſis in hunc finem indicti.* 425. *item Libro ad Emeritum Donatiſtarum Epiſc.* 440.

Dum Cirtam ad Concil. abit, in via confert cum Fortunio Donatiſtarum Epiſcop. 426. *Cirtenſes à Schiſmate conuertit.* ibidem.

A Zozymo Papâ in Mauritaniam miſſus, Emeritum Donatiſtarum Epiſcop. publicè conuenit, ac conuincit. 496. 497. 498. (*huius Collationis geſta extant Tom. VII.*) *Scribit De Correctione Donatiſtarum ad Bonifacium Com.* 499,

Dulcitium Tribunum, edictorum Imp. contra Donatiſt. executorem inſtruit: & Gaudentium Thamugadenſem duobus libris refutat. 530. 531.

Donatiſtæ Auguſtini Dialecticam exhorrent & carpunt. 74.322. *eloquentiam ſugillant.* 321.498. *appellant Tertullum: & Academici ingenium habere Carneadis.* 322. *Vitam Monaſticam ei obiiciunt.* ibidem. *Lupum ac ſeductorem animarum appellant.* ibidem. *omnium peccatorum remiſſionem iis promittunt, qui illum occiderint.* 261. *Auguſt. à Circumcellionibus ad mortem quæſitus.* 296.

Auguſtini victoriæ de Donatiſtis applaudit Hieronymus. 138. *vide*: DONATISTÆ.

CONTRA PELAGIANOS.

AVGVSTINVS *Pelagium (qui cum Celeſtio Româ ab Alarico captâ fugiens in Africam, Hipponem abſente Auguſtino appulerat) ſemel aut iterum vidit.* 400. *eorum dogmata in vulgus ſparſa primùm Sermonibus & collocutionibus oppugnat.* 309. *idem facit Carthagine iubente Aurelio, in Eccleſia Cathedrali, manu geſtans Epiſtolam ſancti Cypriani.* 402

Conſultus à Marcellino ſuper Quæſtionib. è Celeſtij dogmate deſumptis, ſcribit De Peccatorum mer. & Remiſſ. 402. 409. *Pelagij tamen & Celeſtij nomina adhuc premit: ſic eos faciliùs corrigendos ſperans.* 403.404.

Damnato Carthagine Celeſtio, atque in Siciliam profugo; admonetur ab Hilario de eius dogmatibus illîc ſparſis, quæ prolixâ Epiſtolâ refutat. 404.

Pelagius miſſis è Paleſtina litteris adulatione plenis, Auguſtinum ſibi conciliare ſtudet: cui reſpondet Auguſtinus, præſentiam & colloquium eius deſiderans. 405. *Scribit de Gratiâ noui Teſtamenti ad Honoratum.* 417. *item De Spiritu & Litterâ ad Marcellinum.* 418.420.

Litteras Pelagij ad Demetriadem, refutat Epiſtolâ ad Iulianam Demetriadis matrem. 428.

Timaſium & Iacobum à Pelagio ſeductos (à quibus eiuſdem Librum acceperat

Naturæ vires deprædicantem) ab errore reducit : ſcribitq; ad eos De Natura & Gratia. 437. *Vtrumque librum mittit ad Innocentium Papam : Pelagij nomini adhuc parcens.* 438.

Eundem Librum de Nat. & Grat. mittit ad Ioannem Hieroſolymitan. Pelagio adhuc fauentem. 439. *cui & Pelagij fraudes detegit.* 451.

S. Hieronymus Auguſtino contra Pelagianos ſcribenti cedit, atque in hoc ſtadio lampadem tradit. 439.

Pelagius in Synodo Palæſtinâ fraudulenter abſolutus, mittit Auguſtino purgationis ſuæ chartulam. 450. *Cui reſpondet Auguſtinus, litteraſq; ſuas mittit Innocentio Papæ, Pelagio deſtinandas.* 457. *exponit Epiſtolam ſuam olim Pelagio ſcriptam, quâ ſe ille in Synodo iactauerat.* 405. 448.

Aug. intereſt Concilio Meleuit. contra Pelag. & Celeſt. 453. *inde abit Carthaginem, ſcribitq; Epiſtolam nomine quinque Epiſcop. ad Innocent. Papam.* 458. *Vtraque Synodus Auguſtino prouinciam committit Pelagium oppugnandi.* 460. *Geſta Synodalia, & Auguſtini litteras approbat Innocentius, ac Pelagium damnat.* 459. 460. *Epiſtola Auguſtini ad Hilarium de Pelagij erroribus, ac damnatione.* 459. *alia ad Paullinum.* 480. 481.

Scribit Librum nuperrimè repertum, de Geſtis Palæſtinis : nè quis abſoluto illic Pelagio, & eius dogmata approbata exiſtimaret. 481. *ea Geſta exhibentur, abſque Auguſtini Commentario.* 445. *& ſeq.*

Intereſt Concilio Carthagin. quo detectæ Pelagij fraudes, ac Zozymo indicatæ, qui mox Pelagium damnat. 488. 490. *id maximè peractum Auguſtini ingenio & ſolertiâ.* 489. 495. *Scribit ad Sixtum E. R. presbyt. qui primus Romæ Pelagio anathema dixerat.* 491.

Pelagij damnati querimoniam Pinianus, Albina, & Melania Auguſtino perſcribunt, ac velut ſincerè Catholici commendant: quibus ille Pelagij hypocriſin detegit libris de Gratia Chriſti & Peccato Originali. 494. *de Pelagij damnatione Auguſtino & Alipio Hieronymus congratulatur.* 495.

Palagiani Auguſtinum per litteras apud Valerium Com. accuſant, quaſi aſſerendo peccatum Originale nuptias damnaret. 500. *ea occaſione ſcribit ad Valerium Librum Primum de Nupt. & Concupiſc.* 501. *quem Iulianus, Pelagianorum hyperaſpiſtes, quatuor Libris refellere conatur.* 502. 503. *Ex his deinde Iuliani libris Excerpta quædam a Pelagianis eidem Valerio miſſa, refutat Auguſtinus De Nupt. & Concupiſc. libro ſecundo.* 506.

Binas Iuliani Epiſtolas Bonifacius Papa Auguſtino per Alipium mittit refutandas. 504. 505. *eas refellit Auguſtinus Libris quatuor, ad Bonifacium directis.* 540.

Aug. Enchiridio ad Laurentium De Fide Spe & Charitate, Pelagianiſmi neruos incidit. 517. 518. 519.

Scribit ſex Libros, contra quatuor Iuliani, ad Claudium Epiſc. à quo Iuliani illos acceperat. 549. 550.

Ex

Ex Epiſtolâ Auguſtini ad Sixtum malè intellectâ quidam ex monaſterio Adrumetino in errorem labuntur. 550. *ea occaſione ſcribit De Grat. & Lib. arbitrio, ad Valentinum Monaſteriarcham.* 552. *ſcribit ad eoſdem De Corrept. & Grat. occaſione alterius erroris ibi enati, atq; vtrumque ſanat.* 555.

Auguſtinus Leporium à Pelagianiſmo, & Neſtorianiſmo nondum hoc nomine noto, conuertit. 570. *Vitalem à Pelagianiſmo reuocare ſtudet, & ſcripta ad eum Epiſtolâ Semi-pelagianiſmum iugulat.* 572. 573.

Semi-pelagiani in Galliâ exorti, doctrinæ Auguſtini obtrectant, & nouam Pelagianiſmi faciem exſculpunt. 603. 604. *contra eos à Proſpero & Hilario inuocatus Auguſtinus, ſcribit De Prædeſtinatione SS. & De Dono perſeuerantiæ.* 608. *& ſeq.*

Iulianus intereà Libro Auguſtini ſecundo de Nupt. & Concupiſc. reſpondere conatus erat Libris Octo: è quibus quinque ab Alipio Româ tranſmiſſos, Auguſtinus totidem libris refutat. 611. 612. *ex his duo tantummodo exſtant, qui nuper reperti vulgò vocantur* Opus imperfectum. 614. *cúmq; reliquos ex Octo Iuliani libros Auguſtinus expectat, abſoluto interim Libro primo de Hæreſibus, glorioſiſſimis pro Eccleſiâ & Chriſti Gratiâ laboribus intermoritur.* 625. 627.

Auguſtini ductu, Catholica acies viginti ampliùs annis contra inimicos Gratiæ Dei pugnat, & VINCIT. 629.

Contra Arianos.

AVGVSTINVS *obtritis Manichæis & Donatiſtis, cum Pelagianiſmi reliquiis adhuc decertans, ſimul Arianiſmum in Africam illapſum oppugnat, ſcribitq; Contra Sermonem Arianorum.* 438.

Diſputat publicè cum Paſcentio, Comite domûs regiæ: déq; victoriâ apud ſuos triumphantem pluribus Epiſtolis mendaciorum ac falſitatis conuincit. 583. 584.

Diſputat cum Maximino Arianorum Epiſcopo: qui cùm ſimiliter victus, viciſſe videri vellet; Actis publicis ac duobus contra eum Libris ab Auguſtino refutatur. 585.

Aug. Diſputationem inſtituit cum Feliciano: eiúſq; ſucceſſum ſcripto complectitur. 586.

Auguſtini doctrinâ Arianiſmus ſtirpitùs exciſus. 588. 589.

Contra Priſcillianiſtas, alioſque Hæreticos.

AVGVSTINVS *interpellatur ab Oroſio contra Priſcilliani & Origenis dogmata, Hiſpanias labefactantia.* 431. 432. *eâ occaſione ſcribit Contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas.* 432. 433.

Conſentio aliiſq; (qui Priſcillianiſtas ſe ſimulare volebant, ad eorum myſteria detegenda) modum deſignat contra illos diſputandi, ſcripto Libro De Mendacio. 536.

Vincentij

Vincentij Victoris impiam doctrinã de Animâ, libris duobus refutat. 410. 524. 526. eiuſdem errores aliis duobus aperit Renato Monacho, & Petro Presbytero. ibid.

Contra Iouiniani aſſeclas ſcribit De Bono coniugali. 272. Marcioniſtas refellit Libro contra Aduerſarium Legis & Proph. 334.

Neſtorianam hæreſim priùs quàm pullulare cœpiſſet, ad viuum reſecuit. 516. 631.

Contra Paganos.

AVGVSTINVS Calamam proficiſcitur, ad coërcendam Paganorum illic inſolentiam. 277. 278. Nectario pro iis deprecanti quo temperamento reſponderit. 279. 280. Paganorum in Coloniâ Suffectanâ inſaniam increpat. 280. Madaurenſes à Paganiſmo conuertere ſtudet. 282. pugnam ciuilem Cæſareæ in Maurit. efficaci oratione diſſuadet. 331. Varias ſuperſtitiones Paganiſmum ſapientes ab Eccleſia tollere conatur. 331. 332.

Ad refutandas Paganorum in Chriſtianam religionem blaſphemias, ſcribit Libros De Ciuitate Dei, ad Marcellinum. 391. 406. quando eis finis impoſitus? 395. auctor eſt Oroſio ſcribendæ hiſtoriæ contra Paganos, eandem ob cauſam. 433. 434.

Scribit de Diuinatione dæmonum. 327. Maximum hermetizantem vrbanè refellit. 329. Varias quæſtiones à Paganis propoſitas reſoluit: iiſq; ſe benignum & affabilem præſtat. 330.

NATVRÆ IN AVGVSTINO DONA, ET GRATIÆ CHARISMATA.

Ingenij præſtantia, & Doctrina.

AVGVSTINVS puer etiamnum inter condiſcipulos excellit. 10. 11. anno ætatis vigeſimo Categorias Ariſtotelis nullius magiſtri ductu intelligit, omnes item Artes Liberales. 16. 17. Philoſophiæ & Veritatis inquirendæ ſtudio omnia iam inde poſtponit. 13. 28.

Sæcularium ſcientiarum in Auguſtino encyclopædia. 59. 60. 61.

Theologiæ Chriſtianæ arcana ſtatim à Baptiſmo, omni humano magiſterio deſtitutus, penetrat; ſcribítq; De Libero arbitrio, aliáq; compluria. 50. 54. 55.

Memoria eius, & facundia Latina. 63. 321. 325. quam ſæpè tamen ad populi captum ſubmittit. 75. Græcæ linguæ ſcientia. 64. 520.

Donatiſtæ cum Auguſtino diſputare detrectant. 74. Dialecticam eius carpendo agnoſcunt. 326. Eum ſibi præ omnibus Pelagius conciliare ſtudet. 405. Iulianus Catholicorũ partium ducẽ confitetur. 503.

Auguſtini in ſcribendo fœcunditas. 40. 42. 565. 567. *ingenij ſanitas & vigor in vltimam ſenectam perdurans.* 612. *Vide ſuprà*: Auguſtinus Epiſc.

AVGVSTINVS communis omnium Magiſter, & in dubiis perfugium.

Sapientibus atque inſipientibus ſe debitorem agnoſcit. 613. *Fratribus ſuis ad varias Quæſtiones reſpondet.* 54. 135. 136. *Scripturam Sacram exponit.* 71. 72. 135. *Scribit de Conſenſu Euangeliſt.* 136. *De Geneſi ad Litt.* 564. *Libros Locutionum S. Scripturæ.* 519. *Libros Quæſtionum de ſeptem libris eiuſdem Scripturæ.* 520. *Symbolum & Oratio Dominica ab eo ſæpius expoſita.* 104.

Hæreticis & Paganis docendis & conuertendis ſtudet. Vide ſuprà. *Vltrò citróq; agit cum Longiniano Philoſopho.* 331. *Voluſianum V. Cl. ad Chriſtianam fidem adducit.* 406. *Honoratum, Leporium, Vincentium, Iacobum & Timaſium, Felicem, Cirtenſes, Cæſarienſes, aliosq; à peruerſis erroribus reducit.* Vide ſuprà. *Mathematicum quendam, & Firmum negotiatorem, in concione conuertit.* 88. 89. *Donatiſtarum numerus quantùm eo viuente imminutus.* 366.

A doctiſſ. viris ſuper variis Quæſtionibus conſultus, aut contra Hæreſes inuocatus; non Epiſtolas, ſed Libros, promtiſſimè reponit. Per tot. Librum. *Scripta eius quantùm ab omnibus æſtimata atque expetita.* V. Elogia.

Scholam Theologicam habet in Epiſcopeio. 521. 522. *Epiſcopi aliquot ab eius diſciplinâ profecti.* 116. *item Hilarius, Proſper, Profuturus, Bonifacius, Vrbanus, Eradius, Paulus, Antonius, Quodvult-Deus, Deo-gratias.* 526. 527. *Oroſius Presbyt.* 431.

Aug. quos benè volebat inſtructos, cupit ſecum conuiuere. 523. *eorum curam præcipuè gerit, qui eſſent idonei & alios docere.* 463.

AVGVSTINI in Epiſcopatu Vita ac Diſciplina domeſtica.

Epiſcopus hoſpitalitatem exercet. 113. *cum Clero ſuo vitam communem agit, nihil ſibi proprium reſeruans.* 114. *patienter tolerat ſuorum defectus, ſciens ſe hominem inter homines viuere.* ibid. *Solatur ſe ex plurium bonis ac ſanctis moribus.* 115. *Exceſſus corripit ac caſtigat.* 545.

Menſâ cum Clericis communi vtitur, eâq; parcâ ac frugali. 120. *poculorum cuiq; præfixus numerus.* 545. *Lectio aut diſputatio ad menſam.* 122. *ab eâdem detractio excluſa.* ibid.

Habitus eius & ſupellex moderata. 120. 121. *Veſtis extima videtur fuiſſe lanea.* ibib. *Veſtes pretioſas ſibi oblatas reſpuit, aut in pauperum vſum diuendit.* ibid. *Calceamentis vſus eſt.* 121. *byrrhum aliquando geſtauit.* 118. 120.

Feminas raro admittit, aut viſitat. 123. *numquam eis ſolus ſine arbitris loquitur.* ibid.

Clerica-

Clericalium poſſeſſionum curam aliis relegat. 350. *eiuſdem ſecuritas in fide alterius.* ibid.

In egenos & captiuos beneficus: in quorum vſum vaſa Dominica frangit & diſtribuit. 351. *eoſdem populo ſtudioſè commendat.* 106.351. *dictus à domeſticis, Totum dare, nihil ſuſcipere.* 347.

In Epiſcopatu, Qualis in Deum fuerit.

E*Ius ſummus in Deum amor.* 78.134. *Deo omnia ſua ſeruire cupit.* 79. *ægerrimè à rerum diuinarum contemplatione ad curas ſeculares abſtrahitur.* 461. 462. *Laudes ſuas in Deum refert.* 84. *eius auxilium vbique inuocat & agnoſcit.* 85.86. *Vox* Deo Gratias, *Auguſtino familiaris.* 119. *item alia.* 79.

Gratiam diuinam prædicandi aut defendendi vndecumque occaſionem arripit. 110.111. 535.621. *ad diuinorum arcanorum intelligentiam Oratione ad Deum vtitur, eamq́ aliis commendat.* 124.554.

Zelo domûs Dei cùm pleraq́ ſcripſerit, tum præcipuè libros de Ciuitate Dei contra blaſphemias Paganorum. 391.

Metu periculorum peccandi in turbis, meditatur fugam in ſolitudinem, ſed retinetur firmâ in Dei auxilio fiduciâ. 87.

Deum in hominibus offendere timet. 416. *de Deo libenter confert aut colloquitur, ſummâ ſuauitate.* 465.

Qualis erga ſe.

M*Otus carnis in ſe agnoſcit, cumq́ his ſibi pugnandum per omnem vitam.* 80. 101.

Summâ ſollicitudine cauet, ne quid ei voluptatis noxiæ ſubrepat ex alimenti neceſſarij ſumtione. 80.81. *aut ex dulcedine cantûs etiam rerum ſacrarum.* 81.82. *aut ex aliorum ſenſuum obiectu.* ibid.

Tentatur curioſitate: ſed ei fortiter reſiſtit. 82. *abducitur interdum contemplatione rerum minutarum, ſed illud animum ad Deum reuocat.* 83.

Laudibus naturâ delectatur. 84. *contra hanc tentationem ſe quotidie armat.* 85.

Quæſtiones inutiles deuitat, neque vult plus ſapere quàm oportet. 275. *magis ſollicitus quomodo Dei præcepta impleat.* 410. 455. *æquo animo ignorat, ſi quid eum Deus ignorare voluerit.* 455.

Qualis erga Proximum.

C*Haritas Auguſtini erga proximum ac ſibi commiſſos promta ac ſollicita.* 417.464. *abſque eâ fuiſſet, in deſerto ſibi ſoli vixiſſet.* 87.464. *Ordine charitatis infirmiores dignioribus præponit.* 417. *inhiat animarum lucris.* 55.279. *eius obuia benignitas.* 349.

à Veritate aberrantes conatur reducere ſummâ lenitate ac patientiâ. 261. *Pelagij ac Celeſtij errores oppugnãs, eorum nomina cùr diu preſſerit?* 403. *preces Legatorum contra Donatiſtas mitigat.* 311. 314.

314. *Iudicibus lenitatem & clementiam commendat.* 399.

Angitur animi in correptione fraternâ, ne quid peccet contra Dominicum præceptum. 84. *ab Epiſcopo quem ſcribendo offenderat, ſummâ humilitate ſibi ignoſci poſtulat.* 416.

Inimicos diligit ac pro eis orat. Pro Donatiſtis (à quibus non ſemel ad mortem quæſitus) apud Marcellinum aliosq́; Iudices intercedit. 397.

Scandaloſos corripit, atque ab Eccleſiaſticis muniis demouet, inprimis Abundantium Presbyterum. 294. *Antonium Epiſcopum Fuſſalenſem.* 545. 546. *Paullum Cataquenſem.* 548.

In docendo & admonendo populū ſuum quàm aſſiduus, 88. *V. ſuprà* Aug. Epiſcop. *qua Oratione ſingulos Sermones finire ſolitus.* 105.

AVGVSTINVS Vitæ Monaſticæ auctor ac promotor.

Vitam Monaſticam iam ante Baptiſmum meditatur. 28. *ac cum Baptiſmo ſuſcipit.* 46. *ad idem vitæ genus alios hortatur.* 47. 56.

Monachiſmum primus in Africā intulit. 116. *Monaſterium ab eo inſtitutum Tagaſtæ ante Presbyteratum.* 54. *item aliud Hippone poſt Presbyt.* 56. 57. *Monachiſmi huius propagatio per Africam viuente Auguſtino.* 117. 271. *Scribit de Opere Monachorum, & quâ occaſione?* ibid.

Factus Epiſcopus Monaſterium Clericorum inſtituit, in quo vitam cum iis communem agit. 113. *Epiſcopi ex Monaſteriis ab Aug. inſtitutis aſſumti, idem vitæ genus in Eccleſiis ſuis propagant.* 115. 116. *Clerus per Africam Auguſtini operâ quantum auctus.* 628. 629.

Sanctimonialium Monaſterium inſtituit, earumq́; curam geßit. 122. *Soror eius ibidem Præpoſita.* ibid.

AVGVSTINI modeſtia & humilitas.

Laudes ſibi à ſummis viris tributas modeſtiſſimè reiicit, ac primùm à Voluſiano. 406. *ab Audace.* 407. *Macedonio.* 408. *Ianuario.* 409.

Pelagij laudibus quid reſponderit. 405. *item Vincentij Victoris.* 410. 411. *Feliciani, Ariani.* 586.

Darium Comitem in laudes eius exuberantem mittit ad Libros Confeſſionum ſuarum, ſi Auguſtinum noſcere velit. 408.

Catholicorum contra Pelagianos dux ac Princeps à Iuliano agnitus, vnum ſe è multis appellat. 503. *aliàs etiam è turbâ reliquorum hominum non ſe eximit.* 274. *Multa à ſe ignorari affirmat, atque in his Animæ originem.* 410. *Vincentium iuuenem & laicum, ob id ſibi inſultantem quâ lenitate ac manſuetudine tractarit.* ibid. *ſuper eâ Hieronymum conſulit iam ſenex, nullam ætatem ſeram ad diſcendum exiſtimans.* 452.

Doceri ſenex à iuuene cupit. 411. *pugnis etiam cædi paratus, veritatis aſſequendæ causâ.* ibid. *mauult diſcere, quàm docere.* 412. 413. 434.

Exiſtimat

Exiſtimat multa ſicut in moribus, ita in ſcriptis ſuis culpari poſſe. 414. *Vtraque ipſe detegit, ac caſtigat: mores, libris Confeſſionum.* 135. *ſcripta, libris Retractationum: ſummo vbique in ſe rigore ac penè nimio.* 557. 558. *Libros de Origine animæ cur ante Hieronymi mortem non ediderit?* 456. *Libros de Trinitate cur diſtulerit?* 564. *alios ante ſe Scriptores citat & ſequitur.* 415. *eius in aliorum ſcriptis refutandis moderatio.* 74. *Lectorem ſuum cupit eſſe liberum, & veritati magis, quàm auctoritati ſcribentis addictum.* 413. 414. 415.

In dubiis conſultus, neque aliorum ſententiam facilè damnat, neque ſuam præfractè tuetur. 600.

Omnia bona ſua Deo auctori & donatori libenter aſſcribit. V. ſupra: Qualis in Deum.

Non ſe Doctorē, ſed ſub magiſtro Chriſto aliorum condiſcipulum appellat. 586.

Calumnias Hæreticorum quàm patienter ac libenter pro Dei causâ tulerit. 325. *conſcientiæ teſtimonio contra eas intrepidus, Dei tamen miſericordiam magis expectat quàm iudicium.* ibid.

Aliorum Orationibus ſe aſſiduè ac ſtudioſè commendat. 405. 408. 448.

Ad Presbyterium abripitur inuitus ac flens, eoq́; ſe gradu indignum reputat. 56. *Epiſcopatum à ſe amoliri conatur.* 77. *in Epiſcopali dignitate nihil agnoſcit præter ſeruientem charitatem* 288. 588. *paratiſſimus eam pro Chriſti pace deponere.* 361. *Vocatus ad Concilium Numidiæ, cur ire recuſarit?* 587.

Diuitiarum contemtus, & amor Chriſtianæ paupertatis.

AVGVSTINVS *iam inde ab anno ætat. XIX. Lecto Hortenſio Ciceronis, diuitiarum contemptum induit.* 13. *magis autem poſtea Chriſti exemplo.* 47.

In Epiſcopatu pauper non inopiâ, ſed propoſito voluntatis. 121. *Prouentus Eccleſiæ Hipponenſis.* ibid. *Opum affluentiam etiam oblatam reiicit.* 346. *non hæredi peta.* 347. *in pauperes & captiuos beneficus.* 351.

Non habuit vnde teſtamentum faceret. 628.

S. Scripturæ ſtudium & erga eas reuerentia.

SAcris litteris omne tempus à ſuis aut aliorum neceſſitatibus vacuum impendit. 87. *quanta ſinceritate ac reuerentiâ ad eas acceſſerit.* ibid. *quàm non temerè quidquam de illis pronuntiare auſus.* 87. 415. *eius profunditatem, & ingenij ſui exilitatem deprædicat.* 407. 409. *Sententiam ſuam ad S. Scripturas vbique alligat.* 456. *intellectum ſuum in obſequium fidei libenter captiuat.* 586. 587.

Miracula tam in vita, quàm poſt eam patrata.

CVratio fiſtulæ Innocentij. 53. *Ægrotum manûs impoſitione illicò ſanat.* 626.

Plures energumenos à dæmonio liberat. 627.

Ad Reliquias eius plurimi ſanitatem recuperant. 636.

Miraculum in earum tranſlatione per Luitprandum regem. 636.

Auguſtini mira & miraculoſa apparitio. 638.

Doctrinæ & Sanctitatis Elogia Auguſtino à variis tributa.

A *Magiſtris.* 10. *à matre.* 138. *ab Vniuerſo Orbe.* 138. *à Hieronymo.* 439.455.495. *Paulino.* 70.77. *Alipio.* 522. *Licentio.* ibid. *Poſſidio.* 62. 463.521. *Quod-vult-Deo.* 613. *Oroſio.* 432. *Proſpero.* 489.540.541. *à Voluſiano V. Cl.* 406. *Audace.* 407. *Macedonio.* 408.465. *Dario Comite.* 63. *Conſentio.* 537. *Caßiodoro.* 520.568. *Liberato.* 631. *Claudiano Mamerco.* 568. *Angelo Politiano.* 569. *Ludouico Viue.* 63. *V. ſuprà* Ingenij præſtantia.

Doctrina Auguſtini a variis Pontificibus & Conciliis probata & laudata. A Cæleſtino Papa. 615.619. *Ioanne Papa II.* 617. *Gregorio Papá.* ibid. *Adriano I.* 618. *Clemente VIII.* 620. *Concilio Toletano VIII.* ibid. *Florentino.* ibid.

FINIS INDICIS PRIMI.

INDEX

INDEX SECVNDVS,

SIVE

GENERALIS.

A.

Adeodatus.

Adeodatus filius Auguſtini, eiuſque ingenium & præmatura mors. 6. *Auguſtinus ob eius baptiſmum ſecurior.* ibid. *in eiuſdem gratiam Categorias Ariſtotelis è Græco vertit.* 64.

Adimantus.

Adimantus Manichæi diſcipulus, ſcribit aduerſus Legem & Prophetas. 69. *eum refellit Auguſtinus.* ibid.

Adrumetini.

Adrumetum ciuitas Africæ: vnde Adrumetini monachi. 117. 550. *ex Auguſtini Epiſtolâ malè intellectâ in Pelagianiſmum labuntur.* 551. *a quo illos liberat Auguſtinus Libro De Natura & Gratia.* 551. 552. *Sed à priore errore curati, mox in alium labuntur, cui medetur Auguſtinus Libro De Corrept. & Gratia.* 554. 555.

Afri, & Africa.

Afrorum perditi mores. 594. 595. *Afri, ebrietati addicti.* 90. *ad menſuram ſine menſurâ bibunt.* 91. *item ad nomina amicorum, Angelorum & Sanctorum.* ibid. *bibendi certamina ineunt.* ibid. *ad bibendum cogunt.* 92.

Paganiſmi apud eos reliquiæ viuente Auguſtino. Commeſſationes ad ſepulcra. 332. *Aruſpices & ſortilegi.* ibid. *ballationes & ſaltationes.* ibid. *clamores in Lunæ obſcuratione.* 333. *certorum dierum ſuperſtitioſa obſeruatio.* ibid. *Floralia.* 277. *Herculis cultus.* 280. 281. *templum Cæleſtis idoli, Carthagine dirutum.* V. Carthago.

Afer panis bonitate excellens. 613.

Africam quatuor præcipuè hæreſes infeſtarunt viuente Auguſtino, Manichaiſmus, Donatiſmus, Pelagianiſmus, & Arianiſmus: omnes ab ipſo oppugnatæ, ac Victæ. 438. V. Ind. Auguſt.

Africana Eccleſia quanta paſſa, perſecutione Maximiani & Diocl. 140. 141. *item à Circumcellionibus Donatiſtis.* V. Circumcell. Donatiſtæ, Martyr. *à Vandalis, aliiſq; Barbaris.* 623. 624.

In Africanis Eccleſiis Epiſcopi à Schiſmaticis

maticis geminati, vt vnus Donatiſtarum eſſet, alter Catholicorum. 153. 154. *ita Calamæ Poſſidius & Criſpinus.* 268. *Hippone Auguſtinus & Proculianus.* 291. *Carthagine Aurelius & Primianus.* 366. *Cōſtantinæ Fortunatus & Petilianus.* 266. *Cæſareæ Deuterius & Emeritus.* 499.

Africanorum Patrum ſtudium contra Donatiſtas & Pelagianos. V. Donatiſtæ. Pelagius. Concilium.

Africani excidij per Barbaros initia. 575. 576. *Ariani in Africam illapſi cum Bonifacio Comite.* 537. *item alij cum Sigiſuulto.* 583. *Malorum Africæ cauſſa, peccatis aſſcribenda.* 591. 596.

Africæ excidium, victo Bonifacio. 602. 622. 624. V. Gothi. Vandali.

Alaricus.

Alaricus Gothorum rex, Romam capit. 394. *ad loca ſacra confugientibus parcit.* ibid. *Alarici irruptio opus Diuinæ miſericordiæ.* ibid. *eius properus diſceſſus pietati Honorij aſſcribendus.* 355. *Nolam in Campania inuadit : moritur apud Cōſentiam, & ſepelitur in medio profluentis alueo.* 355. 356.

Alarici metu Româ in Africam fugiunt Pinianus, Albina, & Melania, 344. *item Proba, Iuliana, & Demetrias.* 429. *Pelagius quoq; & Celeſtius.* 400.

Alipius.

Alipius, Auguſtini popularis & diſcipulus, amatus ab eo propter virtutis indolem. 6. *paruus corpore, ingenio magnus.* ibid. *abducitur ab Auguſtino à Circenſium Ludorum ſtudio.* 7. *Manichaiſmo infectus.* ibid. *Romæ ius diſcit, & fit Aſſeſſor Comitis Largition.* ibid. *inde cum Auguſtino abit Mediolanum, ibiq; Aſſeſſor, de iure reſpondet.* ib. *eius vtrobique integritas.* ibid. *incidit in errorem Apollinariſtarum, eumq; deſerit.* ibid.

Alipius deliberat cum Auguſtino de Vitæ ſtatu. 27. *coniugium Auguſtino diſſuadet.* 28. *cùm Auguſtino conuertitur, & ſecedit in Villam Caſſiſiacum.* 36. 37. 40. *inde nudis pedibus per glaciem incedit, Mediolanum properans ad Baptiſmum.* 121. *cum Auguſtino baptizatur, & monachiſmum ſuſcipit.* 45. 46. *quem in Africa continuat.* 57.

Alipius profectus Hieroſolymam Hieronymo innoteſcit : Paullinum Nolæ inuiſit & in Auguſtini amicitiam inſinuat. 8. *prior Auguſtino fit Epiſcopus.* 7.

Alipius Epiſc. intereſt Concilio Carthagin. contra Donatiſtas. 299. *contra eoſdem electus ad diſputandum cùm aliis ſex in Collatione Carthagin.* 366.

Alipius plurimum cum Auguſtino laborauit pro damnatione Pelagij. 495. *Legatus ad Honorium Imp. contra Pelagianos, abit Rauennam.* 505. *inde Romam, ad Bonifacium Papam, à quo benignè habitus.* 506. *ab eodem accipit binas Iuliani Epiſtolas, Auguſtino perferendas.* ibi. *redit in Africam.* 548. *iterum profectus in Italiam, defert ſecum librum ſecundum Auguſtini De Nupt. & Concupiſc.* 569. *cui cùm Iulianus octo libros oppoſuiſſet;*

quinque ex illis Alipius Romā mittit Auguſtino refutandos. 611. *Iuliani calumnia in Alipium.* 6. 369.

Ambroſius.

Ambroſius diligit Monicam ob eius pietatem, & apud Auguſtinum dilaudat. 3. *prohibet conuiuia ad Martyrum ſepulchra.* ibid. *intra Eccleſiam à plebe ſuā cuſtoditur contra Arianos.* ibid.

Ambroſium diligit Auguſtinus ob benignitatem. 24. *& in dicendo ſuauitatem.* 25. *eum audit omni die Dominico, & ad Catholicam fidem diſponitur.* 26. *eum conſulit de Libris ſacris.* 43. *ab eodem baptizatur.* 45.

Ambroſij reſponſum de ieiunio Sabbati Auguſtino datum. 45. *Ambroſij ſententiam de vaſis Dominicis conflandis, Auguſtinus ſequitur.* 351. *eiuſdem aliud dictum imitatur.* 466.

Ambroſius poſt obitum apparet Mazcezili & de Gildone victoriam tribuit. 250. *Ambroſij vitam rogatu Auguſtini conſcribit Paulinus Mediolanens.* 482.

Anabaptiſmus.

Anabaptiſmum ſuum tuentur Donatiſtæ auctoritate Concilij Carthaginenſ. ſub Cypriano. 201. *Sed nihil ſic contra eos facere quàm Litteras & factum Cypriani, oſtendit Auguſtinus.* 267. 268.

Anabaptiſmum inter Donatiſtas primus inchoat Donatus Caſenſis. 158.

Ariani quoque rebaptiZare ſoliti. 201.

Anabaptiſmus omni tempore in horrore fuit. 336. 337. *Auguſtino ſæpiùs refutatus.* 262. 266. 338. 339. *à Valentiniano vetitus.* 232. *eum à ſe amouere conatur Petilianus.* 339.

Anaſtaſius Papa.

Anaſtaſius hortatur Africanos Patres vt Donatiſtis ad Eccleſiam reducendis incumbant. 286. *in hunc finem Africani ab eo petunt, vt ad Eccleſiam redire volentes ſine vllā honoris imminutione recipi poſſint.* ibid. *eorum petitioni annuit Anaſtaſius.* 287.

Anima.

Animæ immortalitatem ſemper credidit Auguſtinus. 8. *de eadem ſcribit ante Baptiſmum.* 44.

Animæ originem ignorare ſe fatetur Auguſtinus. 410. *eam ſtudioſè inquirit.* 433. 434. *Hieronymum ſuper eādem conſulit.* 434. 453. *Vincentij Victoris de eā nugamenta, ab Auguſtino refutata.* 411. 525. 526.

De Animā, Origenis errores. 433. *Manichæorum figmenta.* 65. 66.

Antonius Erem.

Antonij vitā à Politiano lectā excitatur Auguſtinus ad relinquendam ſpem huius ſæculi. 36. *eadem lecta apud Treuiros duo è comitatu Imperatoris ſæculo renuntiant.* ibid.

Anton. Fuſſalenſis.

Antonius ab Auguſtini diſciplina ad

Epiſcopatum promotus : ob ſcandaloſam vitam eodem ſatagente deponitur. 545. 546. *appellat ad ſedem Apoſtolicam.* ibid. *Auguſtinus ad Cæleſtinum Papam ſcribens, eius reſtitutionem impedit.* 547.

Anulinus.

Anulinus Proconſul Africæ perſecutione Dioclet. & Maxim. 140. *martyres aliquot ſub eo paßi.* 157. *idem Proconſul Africæ ſub Conſtantino.* 161. *Schiſmaticis quàm Catholicis æquior.* 164.

Arius, & Ariani.

Ariana Hæreſis, eiuſq; origo. 199. 120. *contra eam Conſtantinus Synodum Nicænam conuocat.* 200. *damnatur.* 201.

Ariani rebaptizatores. 201. *coniuncti Donatiſtis, quando?* 202. *Sardicenſis Concilij titulum ſuo cõciliabulo vindicant.* ibid. *eorum fraus in Ariminenſi Synodo.* 586.

Arianiſmus in Africam illapſus cum Gothis Bonifacio militantibus. 537. *eodem adducti per Sigiſuultum Comitem Paſcentius, Maximinus, & Felicianus : quos Auguſtinus diſputationibus ac ſcriptis exagitauit.* 583.585.586. *Collatio Orthodoxorum cum Arianis in Africâ, mortuo Auguſtino.* 590.

Aurelius.

Aurelius Epiſcopus Carthagin. Auguſtino Presbytero per litteras gratulatur. 57. *ad eum ſcribit Auguſtinus de Opere Monachorum, & quâ occaſione?* 271. *item librum de Geſtis Palæſtinis.* 481.

Aurelius indicit Concilium Carthagin. in cauſa Donatiſtarum. 255. *item Mileuitanũ in eâdem cauſâ.* 289. *item aliud Carthaginenſe in eadem cauſâ.* 299. *Vnus ex ſeptem Epiſcopis in Collatione ad diſputandum electis contra totidem Donatiſtas.* 366.

Aurelius præſidet Concilio Carthaginenſi contra Pelagianos. 489. *præbet inſigne exemplum contemtûs diuitiarum.* 348. *Aurelij in Epiſcopatu ſucceſſor Capreolus.* 631.

Aurelius *Auguſtini prænomen, primùm ab Oroſio, quod ſciam, proditum.* 454.

B.

Baptiſmus.

B*Aptiſmum cur olim multi in prouectam ætatem differrent?* 48. *cum eo ſæpè monachiſmum ſuſcipiebant.* ibidem. *Auguſtinus improbat, quod ſibi puero cum flagitanti datus non fuerit.* 10.

De Baptiſmo extra Eccleſia communionem collato, Cypriani ſententia. V. Cyprianus.

in Baptizatorum tunicis Crucis ſignum diuinitus expreſſum. 507.

Baptizatus abſque recitatione Symboli, paralyſi corripitur: à quâ ſanatur Symbolo per Scripturam reddito. 105. V. Anabaptiſmus. Donatiſtarum errores.

Benena-

Benenatus.

Benenatus Epiſcop. Legatus ab Africanis Patribus ad Honorium contra Donatiſtas. 355. *Auguſtini olim diſcipulus & contubernalis.* 116.

Bonifacius Comes.

Bonifacius Comes Caſtini Magiſtri Milit. moribus offenſus, cum Gothis in Africam ſecedit. 537. *Auguſtino ibidem familiariſſimè vſus.* 539. *Caſtinum poſtea in Africam profugientem, Auguſtini interuentu, excipit.* ibid.

Bonifacius amiſſâ prima vxore, Auguſtino & Alipio aperit animi ſui propoſitum de ſuſcipiendo Monachiſmo. 577.578. *id diſſuadet Auguſtinus, eius arma plus Eccleſiæ profutura exiſtimans.* 466.

Bonifacius in Hiſpaniam miſſus ab Imp. affinem ibi Vandalorum regib. vxorem ducit. 575.578. *hinc in ſuſpicionem incidit affectatæ tyrannidis.* 575. *bello petitus, Vandalos ex Hiſpania in Africã euocat.* 576. *Auguſtini ad eum paraneſis.* 577.

Bonifacius Imperio Rom. reconciliatus, Vandalos per Africam effuſos bello aggreſſus, ab iis funditur, atque Hippone obſidetur. 602. *eius obitus.* ibid.

Bonifacius Epiſc.

Bonifacius Epiſcopus Cataquenſis, ex Auguſtini diſciplinâ ac contubernio. 427. 548.

Bonifacius Papa.

Bonifacius Romæ Alipium benignè ſuſcipit, eiq; tradit binas Iuliani Litteras, Auguſtino ad refutandum perferendas. 506. *ei reſpondet Auguſtinus quatuor Libris, quos Bonifacio dedicat.* 540.

Bonifacius doctiſſimus Pontifex. ibid. *in Pelagianos imperatoriis edictis vtitur.* 528.

C.

Cæcilianus.

CÆ*cilianus Epiſcopus Carthagin. poſt Menſurium: Ordinatur à Felice Aptungitano.* 147. *theſaurum Eccleſiæ à Senioribus (quibus illum Menſurius commiſerat) repetit.* 147. 148. *hinc facta in eum conſpiratio: cui ſe plures admiſcent priuatis ex cauſſis.* ibid.

Cæcilianus ad Carthaginenſe contra ſe concilium venire detrectans, tanquam à Traditoribus ordinatus eſſet, à veris Traditoribus damnatur, & Epiſcopatu deiicitur. 148. *Crimina in eum conficta, quibus Schiſmatis cauſam imputabant Donatiſtarum poſteri.* 150.157.369.

Cæcilianus à Schiſmaticis apud Conſtantinum Imp. accuſatus, ad Melchiadis Papæ tribunal mittitur. 166. *ibiq; in Concilio Romano abſoluitur.* 167. *Abſoluitur iterum in Concilio Arelatenſi.* 176.177. *abſoluitur tertio ab ipſo Conſtantino.* 180.

Cæcilianus triplici iudicio abſolutus detinetur in Italiâ, pacis cauſſa: & Brixiam abit.

abit. 190. 386. *redit in Africam*. 198. *intereſt Concilio Niceno contra Arianos*. 201. V. Donatiſtæ.

Caciliani cauſſa poſt mortem eius in Collatione Carthagin. tanquam Schiſmatis Donatiſtici origo, agitata, atque à Catholicis purgata. 369. 382. 383. 384. *& ſequent*.

Cæleſtinus Papa.

Celeſtinus Celeſtium audientiam rogantem, vt de priorum Pontificum ac Conciliorum contra ſe iudicio quereretur, totâ Italiâ proſcribit. 544. *contra Celeſtij ac Pelagij venena, in Scotiam Epiſcopum mittit*. ibid.

ad Celeſtinum ſcribit Auguſtinus contra Antonium Fuſſalenſem, qui ad Apoſtolicam Sedem appellauerat. 546.

Celeſtini Epiſtola ad Galliarum Epiſcopus de fide S. Auguſtini. 619. *eiuſdem de Auguſtini ſcriptis teſtimonium*. 615. 617. *indicit Concilium Epheſinum contra Neſtorium*. 630.

Cælicolæ.

Cælicolæ Heretici: an iidem cum Rogatiſtis? 342.

Calama.

Calama Numidiæ ciuitas: in qua eodem tempore Catholicorum Epiſcopus Poßidius, Donatiſtarum Criſpinus. 266.

Calamenſis Eccleſia Auguſtini viſitationi ſubiecta. ibid. *paganorum Calama inſolentiam compeſcit Auguſtinus*. 278.

Capraria.

Capraria inſula Monachorum habitationibus referta. 118. *eos laudat S. Auguſtinus, ſcribitq́; ad Eudoxium abbatem*. ibidem. *ex his aliquos in Africam ducit Mazezil, eorumque orationibus Gildonem ſuperat*. 250.

Capreolus.

Capreolus Epiſcop. Carthagin. *Aurelij ſucceſſor, Imperatori per litteras ſignificat mortem Auguſtini*. 631. *Veſſulam Diaconum ſuum mittit Epheſum ad Concilium contra Neſtorium*. ibid.

Carthago.

Carthagine Baſilicarum aliquot nomina, in quibus Sermones habuit Auguſtinus. 109. *Baſilica* Reſtituta *vnde nomen acceperit?* 529. *Templum* Cæleſtis *idoli, atque reperta ibidem inſcriptio*. 276. *Thermæ Gargilianæ, in quibus habita Collatio celebris cum Donatiſtis*. 359.

Catholici.

Catholici appellantur à Donatiſtis Macariani, *vnde?* 209. *item Traditores & Progenies Traditorum*. 206. 369. *Iulianus Pelagianus, ob peccati Origin. confeßionem, eoſdem appellat Manichæos, & Traducianos*. 541. 549. 611.

Catholica quanam & vnde dicatur Eccleſia? 230. 231. 284. *Catholicos ſe eſſe volunt*

volunt Donatiſtæ. ibidem.

Catholicorum Epiſcoporum ſtudium, vt Donatiſtas ad pacis & vnitatis communionem adducerent. 285. 287. *& ſequ.* 299. *& ſequ.Catholicorum in Collatione Carthaginenſi admiranda moderatio.* 360.361. *& ſequ.*V.Donatiſtæ.Perſecutio.

Celeſtius.

Celeſtius Pelagij diſcipulus, natione Britannus. 305. *corpore vaſtus, ingenio acutus.* 307. *Pelagio magis apertus & liber.* 401. *Româ in Africam fugiens, hæreſin ſuam ſpargere incipit Carthagine.* 400.401. *aſpirat ibidē ad Presbyterium: ſed detectus à Paullino defertur ad Epiſcoporum iudicium, ab iiſque damnatus fugit in Siciliam.* 401. 402. *quam erroribus ſuis inficit.* 404. *aliquid ibi conſcribit.* 405.

Celeſtius Carthagine coactus confiteri ex Baptiſmo paruulorum quòd & ipſis redemtio ſit neceſſaria, multùm ſibi præſcripſit. 404. *Epiſcopalis contra Celeſtium iudicij geſta Auguſtinus Carthaginem veniens recenſet: eiusq; errores habito Sermone, tum Libris oppugnat.* 401. 402. 403.

Celeſtij nefaria dogmata. 401. 403. *Celeſtius in Aſia ad Presbyterium euadit.* 239. *ſtudio Africanorum damnatur vnà cum Pelagio,ab Innocentio.* 458. *Romam abit, vt apud Zozymum Innocentij ſucceſſorem ſe purget.*481. *auditur à Zozymo: qui ab eo deceptus Africanos leuitatis arguit, & Celeſtij accuſatores Romam citat.* 487. *eius fraude ab Africanis detectâ, primùm ab ipſis, mox à Zozymo damnatur.* 488. 489.490. *citatus ad probanda,quæ contra Paullinum libello ſuo inſeruerat, examini ſe ſubducit.* 490.

Celeſtius Honorij edicto Vrbe pellitur. 493. *atque iterum regreſſus ſub Bonifacio Papa, iterum exigitur.* 529. *à Cæleſtino Papa audientiam poſtulans, totâ Italiâ proſcribitur, & cum Pelagio in Britanniam fugit.* 544.

Chriſtiani.

*Chriſtiani prohibiti docere Litteraturam ſub Iuliano Apoſt.*35. *idem Chriſtianorum in Africâ Schiſma nutrit, & quo fine?* 217.

in Chriſtianos perſecutionem inſtituunt Diocletianus & Maximian. 139. 140. *cur eam Deus permiſerit?* ibidem. *in eâ Chriſtiani iuſſi tradere Codices ſacros.*139. 141. *qui id faciebant, dicti inde Traditores,Thurificati, Sacrificati.* 141.142.

in Chriſtianorum Eccleſias impetus factus à Paganis Calamæ. 277.

Chriſtianis quænam obiecerint Pagani? V. Pagani.

Chriſtianorum de tempore nouiſſimo vana coniectura. 173.

Chriſtus.

Chriſtus gratis mortuus eſt, ſi Lex naturæ ad ſalutem ſufficiat. 508.

Chriſti in fine mundi aduentus, ſciri prohibitus. 274. *quænam ante illum implen-*

implenda? 507. 508.

Circa Chriſti perſonam error Apollinariſtarum. 7. *Photinianorum.* 32. *Arianorum.* 589. *Neſtorij.* 632.

in Chriſti perſonâ euidenter Dei gratia commendatur. 516. 632.

Circumcelliones.

Circumcelliones Donatiſtarum facinoroſiſſimi, dicti & Circelliones, ac Circuitores: vnde? 211. *Donatiſtis dicti Agoniſtici, Sancti, & Duces ſanctorum.* ibid. *in mortibus alienis crudeliſſimi, viliſſimi in ſuis.* ibid. *Duces eorum Maxido & Faſer: deinde Marculus & Donatus.* ibid. *Paulo & Macario inſidias ac vim parant.* 208.

Circumcellionum arma. 211. *eorum audacia & latrocinia.* 212. *eorum metu abſterrentur plurimi ne ad Catholicos redeant.* 215. 298. *falſi Martyrij deſiderio mortem ab obuiis extorquent aut ſibi inferunt.* 186. 187. *Triplex mortis genus eligunt: à laqueo abſtinent, cur?* ibid.

Circumcellionum in Catholicos crudelitas. 215. 216. 248. 259. *panem Catholicis coqui prohibent.* 317. *acetum & calcem in oculos Catholicorum infundunt.* 353. *Viuunt vt latrones, mori ſe iactant vt Martyres.* 261. *eorum inſidias quomodo euaſerit Auguſtinus.* 297. *femina bacchantes iis permixta.* 213.

Cirta.

Cirta Iulia, Numidiæ ciuitas. 263. *eadem quæ Conſtantina.* ibid. *Cirtenſes per Auguſtinum à ſchiſmate conuerſi.* 426.

Cirtenſis Traditorum Synodus, eiusq; Acta. 143. 144. *eius myſteria à Nundinario prodita.* 192.

Cirtenſe Catholicorum Concilium contra Donatiſtas poſt Collationem. 425.

Cyprianus.

Cyprianus ante Nicæni definitionem cenſuit, extra Eccleſiæ communionem baptizatos vbi ad eam redirent, iterum baptizandos. 201. 267. *non ideo tamen à contrarium ſentientibus ſe ſeparauit, aut ſchiſma faciendum duxit.* 268. *hunc errorem poſtea à Cypriano fuiſſe correctum exiſtimat Auguſtinus.* ibid.

S. Cypriani Epiſtolam manu tenens Auguſtinus, eiuſdem verbis Pelagianiſmum oppugnat. 402.

Collatio.

Collationem ſiue conferentiam publicam Donatiſtis perſuadere conantur Epiſcopi Catholici. 286. 299. & ſequ. *eam Auguſtinus offert Criſpino.* 262. *item Proculiano, & quibus legibus?* 292. 363.

Collatio Poſſidij cum Criſpino. 300. 302.

Collatio Auguſtini Presbyteri cum Fortunato Manichæo. 66.

Collatio Auguſtini cum Felice Manichæo. 315.

Collatio Auguſtini cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo. 497.

Collatio Auguſt. cum Paſcentio, Maximino

mino & Feliciano Arianis. 583. 585. 586.

Collatio Carthaginenſis celeberrima inter Donatiſtas & Catholicos. V. Donatiſtæ.

Collatio Orthodoxorum cum Arianis in Africâ, mortuo Auguſtino: eiuſq; ſucceſſus. 590.

Comes.

Comitis nomen, & officium ſub Impp. Romanis. 249.

Comitatus dicta Curia Imperatoris. 24. 28. 165. 173.

Concilium.

Concilia poſteriora prioribus præferuntur, & Oecumenica Prouincialibus. 201.

à Concilio ad ſe appellantes exhorret Conſtantinus Imp. 178. *multâ pecuniariâ caſtigat Valentinianus.* 179.

Concilium Sardicenſe verum: & ementitum Arianorum. 202.

Concilium Nicænum contra Arianos. 200. 201. *Nicæni canon, Nè in vna Eccleſia duo præſint Epiſcopi, ignotus Valerio in Auguſtini ordinatione.* 77. 561.

Concilium Cirtenſe Traditorum. 143. 144. *in eo Epiſcopi Traditionis rei inuicem ſibi diſsimulanter ignoſcunt.* 192. 383. *Concilium Cirtenſe Cathol. contra Donatiſtas.* 425.

Concilium Carthaginenſe Schiſmaticorum contra Cæcilianum. 148. *eius Acta.* 151. *eius vitia.* ibidem, *aliud eorundem Concilium.* 158.

Concilium Carthaginenſe Prouinciale ſub Cypriano. 201.

Concilium Carthaginenſe Catholicorum in cauſſa Donatiſtarum ſub Anaſtaſio PP. 285. 286. & ſequentib. *aliud in eadem cauſſa ſub Innocentio Papa.* 310. 312. *aliud in eâdem cauſſa ſub eodem.* 299.

Concilium Carthagin. Catholicorum in cauſâ Pelagij ſub Innocentio. 456. *aliud in eadem cauſſa ſub Zozymo PP.* 488.

Concilium Mileuitanum. Vide: Mileuis.

Concilium Arelatenſe Cathol. in cauſâ Cæciliani & Donati. 174. *eiuſdem Canones circa conuictos Traditionis, falſos accuſatores, & à Schiſmaticis Ordinatos aut baptizatos.* 177.

Concilium Hipponenſe, in quo Auguſtinus Presbyter illuſtre ſui ſpecimen dedit. 67. 76.

Concilium Numidiæ, ad quod vocatus Auguſtinus ire renuit, & cur? 587.

Concilium Dioſpolitanum. V. Palæſtina.

Coniugium.

Coniugium an Sapienti conueniat, Alipij & Auguſtini certamen. 28. *Vxoris ducendæ cupiditas vltima ab Auguſtino exûitur.* 35. 39. *Ita dare operam liberis, vt nulla inde voluptas ametur; etiam Sapienti difficillimum exiſtimat Auguſtinus.* 39.

Coniugatos Auguſtinus Epiſc. quid monuerit

nuerit?196. 97. quid cenſuerit de coniugatarum ornatu? 125. coniugium raro ſuadet, 467.

De Bono coniugali Liber Auguſtini contra Iouinianiſtas. 272. *item de Nupt. & Concupiſc. quâ occaſione ſcriptus?* 500. 501. *item De Adulterinis coniugiis ad Pollentium.* 532.

Conſtans Imp.

Conſtans Imp. Legatos cum muneribus in Africam mittit, ad Epiſcopos tam Donatiſtas quàm Catholicos. 207. 208. *renouat Leges Conſtantini contra Donatiſtas.* 216.

Conſtantinus Imp.

Conſtantinus fit Imperator, & Baſilicas Chriſtianis reſtitui iubet. 145. 146. *Maxentium ſuperat.* 159. *Baſilicas Chriſtianis exſtruit, & immunitatem Clericis donat.* 160. 162. 182. *pecunias in Eccleſia & pauperum vſum mittit Cæciliano Epiſc. Carthagin. & eidem contra Schiſmaticos perfugium prabet.* 161. 162. 163.

Conſtantinus Cæciliani Epiſc. cauſam non auſus ipſe iudicare, ad Melchiadem Papam & Epiſcoporum Concilium remittit. 165. 166. *Felicis tamen Epiſcopi cauſſam recipit, vt Schiſmaticos placaret.* 171. *conuocat Arelatenſe Concilium, eumq́; in finem Epiſcopis* Tractorias *mittit.* 174. 176. *Donatiſtas à Concilio ad ſe appellantes exhorret.* 178. *bono tamen pacis appellationem admittit, & Cæciliano ac Donato ad ſe vocatis eorum cauſam ipſe cognoſcit.* 179.

Conſtantinus edit Leges contra Donatiſtas. 184. *eorumdem motibus componendis in Africam cogitat.* 188. *Cæciliano & Donato in Italiâ detentis, Legatos in Africam mittit.* 190. 191. *poſt nouem annos Donatiſtarum motibus ſedandis impenſos, eos tandem moribus ſuis ac Deo vindici permittit, atque exilium relaxat.* 195. 196. 387. *improbatur Conſtantini erga Donatiſtas indulgentia.* 197.

Conſtantinus conuocat Nicænam Synodum contra Arianos. 200. *moritur.* 206. *filiorum eius erga Eccleſiam pietas & munificentia.* 207.

Continentia.

Continentia donum, eſſe à Deo. 79. *triplicem concupiſcentiam refrenat.* 80. *cum motibus carnis per omnem vitam quomodo Sanctis pugnandum?* ibid. *auxilium diuinum in eis crebrò inuocandum, Auguſtini exemplo.* 81.

Contra Incontinentiã remedia ab Auguſtino præſcripta. 100. 101. 107. *ſcribit De Sancta Virginitate.* 273. *item De Bono viduitatis, ad Iulianam.* 124.

Creſconius.

Creſconius Grammaticus Donatiſta, inuidiâ creſcentis indies Vnitatis Eccleſiæ ſcribit contra Epiſtolam Auguſtini. 319. 320. *laudat Donatiſtas, quòd reſpondere*

Auguſtino detrectent, eiuſq; eloquentiam carpit: vtrumque telum ſcitè retorquet Auguſtinus. 321. 322.

Creſconij argutia Grammaticales ab Auguſtino retuſa. 322. 323. *eiuſdem calumnias Auguſtinus partim refellit, partim contemnit.* 324. 325. 326.

Criſpinus.

Criſpinus Calamenſis *Donatiſt. Epiſcopus, Octoginta colonos ſuos coactos & inuitos rebaptizat.* 266. *ad certamen coràm aut per litteras ab Auguſtino prouocatus, pedem ſtruit.* 262. 266.

Criſpinus ad collationem inuitatus à Poſſidio, ei inſidias parat. 300. 301. *diſputatione publicâ à Poſſidio victus, hæreſis condemnatur, & à Proconſule multatur: multa tamen, deprecante Poſſidio, non exigitur.* 302.

Criſpinus à Proconſulis ſententiâ appellat ad Imperatorem, à quo tam ipſe quàm Proconſul multa ſubiiciuntur: quæ deprecantibus Catholicis *iterum remittitur.* 302. 310. 314.

D.

Darius.

D*Arius* Comes, *quantum delectatus Auguſtini ſcriptis.* 63. *eum in laudes ſuas effuſum remittit Auguſtinus ad Confeſſionum ſuarum libros.* 408. *Darius mittit Auguſtino ægrotanti medicamentum.* 501.

Demetrias.

Demetrias ex nobiliſs. Aniciorum familiâ, vnà cum matre & auiâ Carthaginem venit. 429. *ibidem hortatu Auguſtini Virginitatem vouet, & velatur.* ibid. *ad eam è Palæſtinâ Pelagius peſtiferam Epiſtolam mittit: quam refutat Auguſtinus Epiſtolâ ad Iulianam Demetriadis matrem.* 125. 429.

Deo-gratias.

Vox Auguſtino & Auguſtinianis familiaris. 119. *nomen Diaconi ſeu Presbyteri Carthaginenſis ex Auguſtini contubernio.* 119. 330. 552.

Deus.

Dei infinitatem & per omnia præſentiam qualiter imaginatus ſit Auguſtinus ante conuerſionem. 29. 30. *eiuſdem pueri prima de Deo notiones.* 10. *apud Platonicos quanam de Deo repererit doctrinæ Chriſtianæ conſonantia.* 31. 33.

Deum non eſſe auctorem mali. 30. 32. 133.

Deum Manichæi incorporeum concipere non poſſunt: atque hic fons erroris. 24. V. Manichæi.

Deum non videri oculo corporeo, probat Auguſtinus libris ſiue Epiſt. De Videndo Deo. 416.

Dei dona omnia gratuita eſſe. 480. 515. 516. V. Gratia.

maticis geminati, vt vnus Donatiſtarum eſſet, alter Catholicorum. 153. 154. *ita Calamæ Poſſidius & Criſpinus.* 268. *Hippone Auguſtinus & Proculianus.* 291. *Carthagine Aurelius & Primianus.* 366. *Cõſtantinæ Fortunatus & Petilianus.* 266. *Cæſareæ Deuterius & Emeritus.* 499.

Africanorum Patrum ſtudium contra Donatiſtas & Pelagianos. V. Donatiſtæ. Pelagius. Concilium.

Africani excidij per Barbaros initia. 575. 576. *Ariani in Africam illapſi cum Bonifacio Comite.* 537. *item alij cum Sigiſuulto.* 583. *Malorum Africæ cauſſa, peccatis aſcribenda.* 591. 596.

Africæ excidium, victo Bonifacio. 602. 622. 624. V. Gothi. Vandali.

Alaricus.

Alaricus Gothorum rex, Romam capit. 394. *ad loca ſacra confugientibus parcit.* ibid. *Alarici irruptio opus Diuinæ miſericordiæ.* ibid. *eius properus diſceſſus pietati Honorij aſcribendus.* 355. *Nolam in Campania inuadit: moritur apud Cõſentiam, & ſepelitur in medio profluentis alueo.* 355. 356.

Alarici metu Româ in Africam fugiunt Pinianus, Albina, & Melania, 344. *item Proba, Iuliana, & Demetrias.* 429. *Pelagius quoq; & Celeſtius.* 400.

Alipius.

Alipius, Auguſtini popularis & diſcipulus, amatus ab eo propter virtutis indolem. 6. *paruus corpore, ingenio magnus.* ibid. *abducitur ab Auguſtino à Circenſium Ludorum ſtudio.* 7. *Manichaiſmo infectus.* ibid. *Romæ ius diſcit, & fit Aſſeſſor Comitis Largition.* ibid. *inde cum Auguſtino abit Mediolanum, ibiq; Aſſeſſor, de iure reſpondet.* ib. *eius vtrobique integritas.* ibid. *incidit in errorem Apollinariſtarum, eumq; deſerit.* ibid.

Alipius deliberat cum Auguſtino de Vitæ ſtatu. 27. *coniugium Auguſtino diſſuadet.* 28. *cùm Auguſtino conuertitur, & ſecedit in Villam Caſſiſiacum.* 36. 37. 40. *inde nudis pedibus per glaciem incedit, Mediolanum properans ad Baptiſmum.* 121. *cum Auguſtino baptizatur, & monachiſmum ſuſcipit.* 45. 46. *quem in Africa continuat.* 57.

Alipius profectus Hieroſolymam Hieronymo innoteſcit: Paullinum Nolæ inuiſit & in Auguſtini amicitiam inſinuat. 8. *prior Auguſtino fit Epiſcopus.* 7.

Alipius Epiſc. intereſt Concilio Carthagin. contra Donatiſtas. 299. *contra eoſdem electus ad diſputandum cum alijs ſex in Collatione Carthagin.* 366.

Alipius plurimum cum Auguſtino laborauit pro damnatione Pelagij. 495. *Legatus ad Honorium Imp. contra Pelagianos, abit Rauennam.* 505. *inde Romam, ad Bonifacium Papam, à quo benignè habitus.* 506. *ab eodem accipit binas Iuliani Epiſtolas, Auguſtino perferendas.* ibi. *redit in Africam.* 548. *iterum profectus in Italiam, defert ſecum librum ſecundum Auguſtini De Nupt. & Concupiſc.* 569. *cui cùm Iulianus octo libros oppoſuiſſet;*

quinque

quinque ex illis Alipius Romà mittit Auguſtino refutandos. 611. *Iuliani calumnia in Alipium.* 6. 569.

Ambroſius.

Ambroſius diligit Monicam ob eius pietatem, & apud Auguſtinum dilaudat. 3. *prohibet conuiuia ad Martyrum ſepulchra.* ibid. *intra Eccleſiam à plebe ſuâ cuſtoditur contra Arianos.* ibid.

Ambroſium diligit Auguſtinus ob benignitatem. 24. *& in dicendo ſuauitatem.* 25. *eum audit omni die Dominico, & ad Catholicam fidem diſponitur.* 26. *eum conſulit de Libris ſacris.* 43. *ab eodem baptizatur.* 45.

Ambroſij reſponſum de ieiunio Sabbati Auguſtino datum. 45. *Ambroſij ſententiam de vaſis Dominicis conflandis, Auguſtinus ſequitur.* 351. *eiuſdem aliud dictum imitatur.* 466.

Ambroſius poſt obitum apparet Mazcezili & de Gildone victoriam tribuit. 250. *Ambroſij vitam rogatu Auguſtini conſcribit Paulinus Mediolanens.* 482.

Anabaptiſmus.

Anabaptiſmum ſuum tuentur Donatiſtæ auctoritate Concilij Carthaginenſ. ſub Cypriano. 201. *Sed nihil ſic contra eos facere quàm Litteras & factum Cypriani, oſtendit Auguſtinus.* 267. 268.

Anabaptiſmum inter Donatiſtas primus incboat Donatus Caſenſis. 158.

Ariani quoque rebaptizare ſoliti. 201.

Anabaptiſmus omni tempore in horrore fuit. 336. 337. *Auguſtino ſæpiùs refutatus.* 262. 266. 338. 339. *à Valentiniano vetitus.* 232. *eum à ſe amouere conatur Petilianus.* 339.

Anaſtaſius Papa.

Anaſtaſius hortatur Africanos Patres vt Donatiſtis ad Eccleſiam reducendis incumbant. 286. *in hunc finem Africani ab eo petunt, vt ad Eccleſiam redire volentes ſine vllâ honoris imminutione recipi poſſint.* ibid. *eorum petitioni annuit Anaſtaſius.* 287.

Anima.

Animæ immortalitatem ſemper credidit Auguſtinus. 8. *de eadem ſcribit ante Baptiſmum.* 44.

Animæ originem ignorare ſe fatetur Auguſtinus. 410. *eam ſtudioſè inquirit.* 433. 434. *Hieronymum ſuper eâdem conſulit.* 434. 453. *Vincentij Victoris de eâ nugamenta, ab Auguſtino refutata.* 411. 525. 526.

De Animâ, Origenis errores. 433. *Manichæorum figmenta.* 65. 66.

Antonius Erem.

Antonij vitâ à Politiano lectâ excitatur Auguſtinus ad relinquendam ſpem huius ſæculi. 36. *eadem lecta apud Treuiros duo è comitatu Imperatoris ſæculo renuntiant.* ibid.

Anton. Fuſſalenſis.

Antonius ab Auguſtini diſciplina ad Epiſco-

Epiſcopatum promotus: ob ſcandaloſam vitam eodem ſatagente deponitur. 545. 546. *appellat ad ſedem Apoſtolicam.* ibid. *Auguſtinus ad Cæleſtinum Papam ſcribens, eius reſtitutionem impedit.* 547.

Anulinus.

Anulinus Proconſul Africæ perſecutione Diocles. & Maxim. 140. *martyres aliquot ſub eo paßi.* 157. *idem Proconſul Africæ ſub Conſtantino.* 161. *Schiſmaticis quàm Catholicis aquior.* 164.

Arius,& Ariani.

Ariana Hæreſis, eiuſq; origo. 199. 120. *contra eam Conſtantinus Synodum Nicænam conuocat.* 200. *damnatur.* 201.

Ariani rebaptizatores. 201. *coniuncti Donatiſtis, quando?* 202. *Sardicenſis Concilij titulum ſuo cõciliabulo vindicant.* ibid. *eorum fraus in Ariminenſi Synodo.* 586.

Arianiſmus in Africam illapſus cum Gothis Bonifacio militantibus. 537. *eòdem adducti per Sigiſuultum Comitem Paſcentius, Maximinus, & Felicianus: quos Auguſtinus diſputationibus ac ſcriptis exagitauit.* 583.585.586. *Collatio Orthodoxorum cum Arianis in Africâ, mortuo Auguſtino.* 590.

Aurelius.

Aurelius Epiſcopus Carthagin. Auguſtino Presbytero per litteras gratulatur. 57. *ad eum ſcribit Auguſtinus de Opere Monachorum,& quâ occaſione?* 271. *item librum de Geſtis Palæſtinis.* 481.

Aurelius indicit Concilium Carthagin. in cauſa Donatiſtarum. 255. *item Mileuitanũ in eâdem cauſâ.* 289. *item aliud Carthaginenſe in eadem cauſâ.* 299. *Vnus ex ſeptem Epiſcopis in Collatione ad diſputandum electis contra totidem Donatiſtas.* 366.

Aurelius præſidet Concilio Carthaginenſi contra Pelagianos. 489. *præbet inſigne exemplum contemtûs diuitiarum.* 348. *Aurelij in Epiſcopatu ſucceſſor Capreolus.* 631.

Aurelius *Auguſtini prænomen, primùm ab Oroſio, quod ſciam, proditum.* 454.

B.

Baptiſmus.

B*Aptiſmum cur olim multi in prouectam ætatem differrent?* 48. *cum eo ſæpè monachiſmum ſuſcipiebant.* ibidem. *Auguſtinus improbat, quod ſibi puero eum flagitanti datus non fuerit.* 10.

De Baptiſmo extra Eccleſia communionem collato, Cypriani ſententia. V. Cyprianus.

in Baptizatorum tunicis Crucis ſignum diuinitus expreſſum. 507.

Baptizatus abſque recitatione Symboli, paralyſi corripitur: à quâ ſanatur Symbolo per Scripturam reddito. 105. V. Anabaptiſmus.Donatiſtarum errores.

Benena-

Benenatus.

Benenatus Epiſcop. Legatus ab Africanis Patribus ad Honorium contra Donatiſtas. 355. *Auguſtini olim diſcipulus & contubernalis.* 116.

Bonifacius Comes.

Bonifacius Comes Caſtini Magiſtri Milit. moribus offenſus, cum Gothis in Africam ſecedit. 537. *Auguſtino ibidem familiariſſimè vſus.* 539. *Caſtinum poſtea in Africam profugientem, Auguſtini interuentu, excipit.* ibid.

Bonifacius amiſſâ prima vxore, Auguſtino & Alipio aperit animi ſui propoſitum de ſuſcipiendo Monachiſmo. 577.578. *id diſſuadet Auguſtinus, eius arma plus Eccleſiæ profutura exiſtimans.* 466.

Bonifacius in Hiſpaniam miſſus ab Imp. affinem ibi Vandalorum regib. vxorem ducit. 575.578. *hinc in ſuſpicionem incidit affectatæ tyrannidis.* 575. *bello petitus, Vandalos ex Hiſpania in Africã euocat.* 576. *Auguſtini ad eum paræneſis.* 577.

Bonifacius Imperio Rom. reconciliatus, Vandalos per Africam effuſos bello aggreſſus, ab iis funditur, atque Hippone obſidetur. 602. *eius obitus.* ibid.

Bonifacius Epiſc.

Bonifacius Epiſcopus Cataquenſis, ex Auguſtini diſciplinâ ac contubernio. 427. 548.

Bonifacius Papa.

Bonifacius Romæ Alipium benignè ſuſcipit, eiq; tradit binas Iuliani Litteras, Auguſtino ad refutandum perferendas. 506. *ei reſpondet Auguſtinus quatuor Libris, quos Bonifacio dedicat.* 540.

Bonifacius doctiſſimus Pontifex. ibid. *in Pelagianos imperatoriis edictis vtitur.* 528.

C.

Cæcilianus.

CÆ*cilianus Epiſcopus Carthagin. poſt Menſurium: Ordinatur à Felice Aptungitano.* 147. *theſaurum Eccleſiæ à Senioribus (quibus illum Menſurius commiſerat) repetit.* 147. 148. *hinc facta in eum conſpiratio: cui ſe plures admiſcent priuatis ex cauſſis.* ibid.

Cæcilianus ad Carthaginenſe contra ſe concilium venire detrectans, tanquam à Traditoribus ordinatus eſſet, à veris Traditoribus damnatur, & Epiſcopatu deiicitur. 148. *Crimina in eum conficta, quibus Schiſmatis cauſam imputabant Donatiſtarum poſteri.* 150.157.369.

Cæcilianus à Schiſmaticis apud Conſtantinum Imp. accuſatus, ad Melchiadis Papæ tribunal mittitur. 166. *ibiq; in Concilio Romano abſoluitur.* 167. *Abſoluitur iterum in Concilio Arelatenſi.* 176.177. *abſoluitur tertio ab ipſo Conſtantino.* 180.

Cæcilianus triplici iudicio abſolutus detinetur in Italiâ, pacis cauſſa: & Brixiam

abit. 190. 386. *redit in Africam.* 198. *intereſt Concilio Niceno contra Arianos.* 201. V. Donatiſtæ.

Caciliani cauſſa poſt mortem eius in Collatione Carthagin. tanquam Schiſmatis Donatiſtici origo, agitata, atque à Catholicis purgata. 369. 382. 383. 384. *& ſequent.*

Cæleſtinus Papa.

Celeſtinus Celeſtium audientiam rogantem, vt de priorum Pontificum ac Conciliorum contra ſe iudicio quereretur, totâ Italiâ proſcribit. 544. *contra Celeſtij ac Pelagij venena, in Scotiam Epiſcopum mittit.* ibid.

ad Celeſtinum ſcribit Auguſtinus contra Antonium Fuſſalenſem, qui ad Apoſtolicam Sedem appellauerat, 546.

Celeſtini Epiſtola ad Galliarum Epiſcopus de fide S. Auguſtini. 619. *eiuſdem de Auguſtini ſcriptis teſtimonium.* 615. 617. *indicit* Concilium *Epheſinum contra Neſtorium.* 630.

Cælicolæ.

Calicola Heretici: an iidem cum Rogatiſtis? 342.

Calama.

Calama Numidia ciuitas: in qua eodem tempore Catholicorum Epiſcopus Poßidius, Donatiſtarum Criſpinus. 266.

Calamenſis Eccleſia Auguſtini viſitationi ſubiecta. ibid. *paganorum Calama inſolentiam compeſcit Auguſtinus.* 278.

Capraria.

Capraria inſula Monachorum habitationibus referta. 118. *eos laudat S. Auguſtinus, ſcribitq́; ad Eudoxium abbatem.* ibidem. *ex his aliquos in Africam ducit Mazcezil, eorumque orationibus Gildonem ſuperat.* 250.

Capreolus.

Capreolus Epiſcop. Carthagin. Aurelij ſucceſſor, Imperatori per litteras ſignificat mortem Auguſtini. 631. *Veſſulam Diaconum ſuum mittit Epheſum ad Concilium contra Neſtorium.* ibid.

Carthago.

Carthagine Baſilicarum aliquot nomina, in quibus Sermones habuit Auguſtinus. 109. *Baſilica* Reſtituta *vnde nomen acceperit?* 529. *Templum* Cæleſtis *idoli, atque reperta ibidem inſcriptio.* 276. *Therma Gargiliana, in quibus habita Collatio celebris cum Donatiſtis.* 359.

Catholici.

Catholici appellantur à Donatiſtis Macariani, *vnde?* 209. *item Traditores & Progenies Traditorum.* 206. 369. *Iulianus Pelagianus, ob peccati Origin. confeßionem, eoſdem appellat Manichaos, & Traducianos.* 541. 549. 611.

Catholica quenam & vnde dicatur Eccleſia? 230. 231. 284. *Catholicos ſe eſſe volunt*

volunt Donatiſtæ. ibidem.

Catholicorum Epiſcoporum ſtudium, vt Donatiſtas ad pacis & vnitatis communionem adducerent. 285. 287. *& ſequ.* 299. *& ſequ. Catholicorum in Collatione Carthaginenſi admiranda moderatio.* 360. 361. *& ſequ.* V. Donatiſtæ. Perſecutio.

Celeſtius.

Celeſtius Pelagij diſcipulus, natione Britannus. 305. *corpore vaſtus, ingenio acutus.* 307. *Pelagio magis apertus & liber.* 401. *Româ in Africam fugiens, hæreſin ſuam ſpargere incipit Carthagine.* 400. 401. *aſpirat ibidẽ ad Presbyterium: ſed detectus à Paullino defertur ad Epiſcoporum iudicium, ab iiſque damnatus fugit in Siciliam.* 401. 402. *quam erroribus ſuis inficit.* 404. *aliquid ibi conſcribit.* 405.

Celeſtius Carthagine coactus confiteri ex Baptiſmo paruulorum quòd & ipſis redemtio ſit neceſſaria, multùm ſibi præſcripſit. 404. *Epiſcopalis contra Celeſtium iudicij geſta Auguſtinus Carthaginem veniens recenſet: eiuſq; errores habito Sermone, tum Libris oppugnat.* 401. 402. 403.

Celeſtij nefaria dogmata. 401. 403. *Celeſtius in Aſia ad Presbyterium euadit.* 239. *ſtudio Africanorum damnatur vnà cum Pelagio, ab Innocentio.* 458. *Romam abit, vt apud Zozymum Innocentij ſucceſſorem ſe purget.* 481. *auditur à Zozymo: qui ab eo deceptus Africanos leuitatis arguit, & Celeſtij accuſatores Romam citat.* 487. *eius fraude ab Africanis detectâ, primùm ab ipſis, mox à Zozymo damnatur.* 488. 489. 490. *citatus ad probanda, quæ contra Paullinum libello ſuo inſeruerat, examini ſe ſubducit.* 490.

Celeſtius Honorij edicto Vrbe pellitur. 493. *atque iterum regreſſus ſub Bonifacio Papa, iterum exigitur.* 529. *à Caleſtino Papa audientiam poſtulans, totâ Italiâ proſcribitur, & cum Pelagio in Britanniam fugit.* 544.

Chriſtiani.

Chriſtiani prohibiti docere Litteraturam ſub Iuliano Apoſt. 35. *idem Chriſtianorum in Africâ Schiſma nutrit, & quo fine?* 217.

in Chriſtianos perſecutionem inſtituunt Diocletianus & Maximian. 139. 140. *cur eam Deus permiſerit?* ibidem. *in eâ Chriſtiani iuſſi tradere Codices ſacros.* 139. 141. *qui id faciebant, dicti inde Traditores, Thurificati, Sacrificati.* 141. 142.

in Chriſtianorum Eccleſias impetus factus à Paganis Calamæ. 277.

Chriſtianis quænam obiecerint Pagani? V. Pagani.

Chriſtianorum de tempore nouiſſimo vana coniectura, 173.

Chriſtus.

Chriſtus gratis mortuus eſt, ſi Lex naturæ ad ſalutem ſufficiat. 508.

Chriſti in fine mundi aduentus, ſciri prohibitus. 274. *quænam ante illum implen-*

implenda? 507. 508.

Circa Chriſti perſonam error Apollinariſtarum. 7. *Photinianorum.* 32. *Arianorum.* 589. *Neſtorij.* 632.

in Chriſti perſonâ euidenter Dei gratia commendatur. 516. 632.

Circumcelliones.

Circumcelliones Donatiſtarum facinoroſiſſimi, dicti & Circelliones, ac Circuitores: vnde? 211. *Donatiſtis dicti Agoniſtici, Sancti, & Duces ſanctorum.* ibid. *in mortibus alienis crudeliſſimi, viliſſimi in ſuis,* ibid. *Duces eorum Maxido & Faſer: deinde Marculus & Donatus.* ibid. *Paulo & Macario inſidias ac vim parant.* 208.

Circumcellionum arma. 211. *eorum audacia & latrocinia.* 212. *eorum metu abſterrentur plurimi ne ad Catholicos redeant.* 215. 298. *falſi Martyrij deſiderio mortem ab obuiis extorquent aut ſibi inferunt.* 186. 187. *Triplex mortis genus eligunt: à laqueo abſtinent, cur?* ibid.

Circumcellionum in Catholicos crudelitas. 215. 216. 248. 259. *panem Catholicis coqui prohibent.* 317. *acetum & calcem in oculos Catholicorum infundunt.* 353. *Viuunt vt latrones, mori ſe iactant vt Martyres.* 261. *eorum inſidias quomodo euaſerit Auguſtinus.* 297. *fœminæ bacchantes iis permixtæ.* 213.

Cirta.

Cirta Iulia, Numidiæ ciuitas. 263. *eadem quæ Conſtantina.* ibid. *Cirtenſes per Auguſtinum à ſchiſmate conuerſi.* 426.

Cirtenſis Traditorum Synodus, eiuſq; Acta. 143. 144. *eius myſteria à Nundinario prodita.* 192.

Cirtenſe Catholicorum Concilium contra Donatiſtas poſt Collationem. 425.

Cyprianus.

Cyprianus ante Nicæni definitionem cenſuit, extra Eccleſiæ communionem baptizatos vbi ad eam redirent, iterum baptizandos. 201. 267. *non ideo tamen à contrarium ſentientibus ſe ſeparauit, aut ſchiſma faciendum duxit.* 268. *hunc errorem poſtea à Cypriano fuiſſe correctum exiſtimat Auguſtinus.* ibid.

S. Cypriani Epiſtolam manu tenens Auguſtinus, eiuſdem verbis Pelagianiſmum oppugnat. 402.

Collatio.

Collationem ſiue conferentiam publicam Donatiſtis perſuadere conantur Epiſcopi Catholici. 286. 299. & ſequ. *eam Auguſtinus offert Criſpino.* 262. *item Proculiano, & quibus legibus?* 292. 363.

Collatio Poſſidij cum Criſpino. 300. 302.

Collatio Auguſtini Presbyteri cum Fortunato Manichæo. 66.

Collatio Auguſtini cum Felice Manichæo. 315.

Collatio Auguſtini cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo. 497.

Collatio Auguſt. cum Paſcentio, Maximino

mino & Feliciano Arianis. 583. 585. 586.

Collatio Carthaginenſis celeberrima inter Donatiſtas & Catholicos. V. Donatiſtæ.

Collatio Orthodoxorum cum Arianis in Africâ, mortuo Auguſtino: eiusq; ſucceſſus. 590.

Comes.

Comitis nomen, & officium ſub Impp. Romanis. 249.

Comitatus dicta Curia Imperatoris. 24.28.165.173.

Concilium.

Concilia poſteriora prioribus præferuntur, & Oecumenica Prouincialibus. 201.

à Concilio ad ſe appellantes exhorret Conſtantinus Imp. 178. *multâ pecuniariâ caſtigat Valentinianus.* 179.

Concilium Sardicenſe verum: & ementitum Arianorum. 202.

Concilium Nicænum contra Arianos. 200.201. *Nicæni canon, Nè in vna Eccleſia duo præſint Epiſcopi, ignotus Valerio in Auguſtini ordinatione.* 77. 561.

Concilium Cirtenſe Traditorum. 143. 144. *in eo Epiſcopi Traditionis rei inuicem ſibi diſſimulanter ignoſcunt.* 192. 383. *Concilium Cirtenſe Catholic. contra Donatiſtas.* 425.

Concilium Carthaginenſe Schiſmaticorum contra Cæcilianum. 148. *eius Acta.* 151. *eius vitia.* ibidem, *aliud eorundem Concilium.* 158.

Concilium Carthaginenſe Prouinciale ſub Cypriano. 201.

Concilium Carthaginenſe Catholicorum in cauſſa Donatiſtarum ſub Anaſtaſio PP. 285. 286. & ſequentib. *aliud in eadem cauſſa ſub Innocentio Papa.* 310. 312. *aliud in eâdem cauſſa ſub eodem.* 299.

Concilium Carthagin. Catholicorum in cauſâ Pelagij ſub Innocentio. 456. *aliud in eadem cauſſa ſub Zozymo PP.* 488.

Concilium Mileuitanum. Vide: Mileuis.

Concilium Arelatenſe Cathol. in cauſâ Cæciliani & Donati. 174. *eiuſdem Canones circa conuictos Traditionis, falſos accuſatores, & à Schiſmaticis Ordinatos aut baptizatos.* 177.

Concilium Hipponenſe, in quo Auguſtinus Presbyter illuſtre ſui ſpecimen dedit. 67. 76.

Concilium Numidiæ, *ad quod vocatus Auguſtinus ire renuit, & cur?* 587.

Concilium Dioſpolitanum. V. Palæſtina.

Coniugium.

Coniugium an Sapienti conueniat, Alipij & Auguſtini certamen. 28. *Vxoris ducendæ cupiditas vltima ab Auguſtino exuitur.* 35. 39. *Ita dare operam liberis, vt nulla inde voluptas ametur; etiam Sapienti difficillimum exiſtimat Auguſtinus.* 39.

Coniugatos Auguſtinus Epiſc. quid monuerit

nuerit ?96. 97. quid cenſuerit de coniugatarum ornatu ? 125. coniugium rarò ſuadet, 467.

De Bono coniugali Liber Auguſtini contra Iouinianiſtas. 272. *item de Nupt. & Concupiſc. quâ occaſione ſcriptus?* 500. 501. *item De Adulterinis coniugiis ad Pollentium.* 532.

Conſtans Imp.

Conſtans Imp. Legatos cum muneribus in Africam mittit, ad Epiſcopos tam Donatiſtas quàm Catholicos. 207. 208. *renouat Leges Conſtantini contra Donatiſtas.* 216.

Conſtantinus Imp.

Conſtantinus fit Imperator, & Baſilicas Chriſtianis reſtitui iubet. 145. 146. *Maxentium ſuperat.* 159. *Baſilicas Chriſtianis exſtruit, & immunitatem Clericis donat.* 160. 162. 182. *pecunias in Eccleſiæ & pauperum vſum mittit Cæciliano Epiſc. Carthagin. & eidem contra Schiſmaticos perfugium præbet.* 161. 162. 163.

Conſtantinus Cæciliani Epiſc. cauſam non auſus ipſe iudicare, ad Melchiadem Papam & Epiſcoporum Concilium remittit. 165. 166. *Felicis tamen Epiſcopi cauſſam recipit, vt Schiſmaticos placaret.* 171. *conuocat Arelatenſe Concilium, eumq; in finem Epiſcopis* Tractorias *mittit.* 174. 176. *Donatiſtas à Concilio ad ſe appellantes exhorret.* 178. *bono tamen pacis appellationem admittit, & Cæciliano ac Donato ad ſe vocatis eorum cauſam ipſe cognoſcit.* 179.

Conſtantinus edit Leges contra Donatiſtas. 184. *eorumdem motibus componendis in Africam cogitat.* 188. *Cæciliano & Donato in Italiâ detentis, Legatos in Africam mittit.* 190. 191. *poſt nouem annos Donatiſtarum motibus ſedandis impenſos, eos tandem moribus ſuis ac Deo vindici permittit, atque exilium relaxat.* 195. 196. 387. *improbatur Conſtantini erga Donatiſtas indulgentia.* 197.

Conſtantinus conuocat Nicænam Synodum contra Arianos. 200. *moritur.* 206. *filiorum eius erga Eccleſiam pietas & munificentia.* 207.

Continentia.

Continentia donum, eſſe à Deo. 79. *triplicem concupiſcentiam refrenat.* 80. *cum motibus carnis per omnem vitam quomodo Sanctis pugnandum?*ibid. *auxilium diuinum in eis crebrò inuocandum, Auguſtini exemplo.* 81.

Contra Incontinentiã remedia ab Auguſtino præſcripta. 100. 101. 107. *ſcribit De Sancta Virginitate.* 273. *item De Bono viduitatis, ad Iulianam.* 124.

Creſconius.

Creſconius Grammaticus Donatiſta, inuidiâ creſcentis indies Vnitatis Eccleſiæ ſcribit contra Epiſtolam Auguſtini. 319. 320. *laudat Donatiſtas, quòd reſpondere Augu-*

Auguſtino detrectent, eiuſq́; eloquentiam carpit: vtrumque telum ſcitè retorquet Auguſtinus. 321. 322.

Creſconij *argutiæ* Grammaticales *ab Auguſtino retuſæ.* 322. 323. *eiuſdem calumnias Auguſtinus partim refellit, partim contemnit.* 324. 325. 326.

Criſpinus.

Criſpinus Calamenſis *Donatiſt. Epiſcopus, Octoginta colonos ſuos coactos & inuitos rebaptizat.* 266. *ad certamen coràm aut per litteras ab Auguſtino prouocatus, pedem ſtruit.* 262. 266.

Criſpinus ad collationem inuitatus à Poſſidio, ei inſidias parat. 300. 301. *diſputatione publicâ à Poſſidio victus, hæreſis condemnatur, & à Proconſule multatur: multa tamen, deprecante Poſſidio, non exigitur.* 302.

Criſpinus à Proconſulis ſententiâ appellat ad Imperatorem, à quo tam ipſe quàm Proconſul multæ ſubiiciuntur: quæ deprecantibus Catholicis *iterum remittitur.* 302. 310. 314.

D.

Darius.

D*Arius* Comes, *quantum delectatus Auguſtini ſcriptis.* 63. *eum in laudes ſuas effuſum remittit Auguſtinus ad* Confeſſionum *ſuarum libros.* 408. *Darius mittit Auguſtino ægrotanti medicamentum.* 501.

Demetrias.

Demetrias ex nobiliſſ. Aniciorum familiâ, vnà cum matre & auiâ Carthaginem *venit.* 429. *ibidem hortatu Auguſtini Virginitatem vouet, & velatur.* ibid. *ad eam è Palæſtinâ Pelagius peſtiferam Epiſtolam mittit: quam refutat Auguſtinus Epiſtolâ ad Iulianam Demetriadis matrem.* 125. 429.

Deo-gratias.

Vox Auguſtino & Auguſtinianis familiaris. 119. *nomen Diaconi ſeu Presbyteri* Carthaginenſis *ex Auguſtini contubernio.* 119. 330. 552.

Deus.

Dei infinitatem & per omnia præſentiam qualiter imaginatus ſit Auguſtinus ante conuerſionem. 29. 30. *eiuſdem pueri prima de Deo notiones.* 10. *apud Platonicos quanam de Deo repererit doctrinæ Chriſtianæ conſonantia.* 31. 33.

Deum non eſſe auctorem mali. 30. 32. 133.

Deum Manichæi incorporeum concipere non poſſunt: atque hic fons erroris. 24. V. Manichæi.

Deum non videri oculo corporeo, probat Auguſtinus libris ſiue Epiſt. De Videndo Deo. 416.

Dei dona omnia gratuita eſſe. 480. 515. 516. V. Gratia.

Deus miſeretur cuius vult, magnâ bonitate; obdurat nullâ iniquitate. 518.

Deus vult omnes homines ſaluos fieri, 518. 519. 556. 574.

Deus ideo iubet aliqua quæ non poſſumus, vt nouerimus quæ ab illo petere debeamus. 552.

Dioſpolis.

Dioſpolis ciuitas Palæſtinæ: in quâ habita Synodus Dioſpolitana contra Pelagium. V. Palæſtina.

DONATISMVS.

Donatiſtæ ex Traditoribus facti Schiſmatici, ex Schiſmaticis Hæretici.

1. Donatiſtici Schiſmatis Origo.

Menſurius Carthaginenſis Epiſcop. Romam profecturus ad Maxentium, theſaurum Eccleſiæ quibuſdam Senioribus committit, & in reditu moritur. 146. *Sufficitur illi* Cæcilianus. 147. *is theſaurum à Menſurio depoſitum repoſcit, quem inter ſe partiti Seniores in Cæcilanum conſpirant.* ibid. *his ſe adiungunt Botrus & Celeſius Epiſcopatum ambientes, ac Lucilla fœmina opulenta:* Cæciliani *Ordinationem velut illegitimam criminantes.* 147. 148.

Ab his inuocatus Secundus Numidiæ primas, plures Epiſcopos (è quibus plerique Traditionis crimen alter alteri in Cirtenſi Synodo ignouerant. 144. 149.) *contra Cæcilianum Carthaginem euocat.* 148. *adfuit inter alios Donatus Caſis-nigris in Numidia Epiſcopus.* 149.

Secundus Cæcilianum Carthagine ad cauſam dicendam citari iubet: quo non parente, abſens & inauditus, tamquam à Traditoribus ordinatus eſſet, à veris Traditoribus damnatur: & vnà cum Felice Aptungitano aliiſq; Ordinatoribus ſuis Epiſcopatu deiicitur, in eius locum ſuffecto Maiorino Lucillæ domeſtico: & ſic Altare contra altare erigitur. 149. 150. 151. 152. V. Lucilla. Nundinarius.

Cognitis per Africam quæ Carthagine geſta erant, fit Schiſma: *aliis Maiorini, aliis Cæciliani cauſſam & communionem ſequentibus.* 153. *hinc in ſingulis penè vrbibus geminati Epiſcopi: nomina partibus indita: ſeparata Oratoria: diſcreta Baſilica.* 154.

Donatus à Caſis-nigris (qui & Caſenſis) exſculptum Schiſma polit ac perficit. ac primò Cæciliani Ordinationem conuellere ſtudet criminibus in eum confictis, falſatis etiam Litteris, & corruptis Martyrum geſtis. 157. *mox Hæreſin Schiſmati iungens, Baptiſmi, Chriſmatis atque Ordinationis Sacramenta iterare incipit.* 158. *quod deinde ſecuti Schiſmaticorum poſteri.* 159.

Cæcilianus ſe contra Schiſmaticos tuetur, miſſis Litteris ad Africæ Eccleſias, tum vicinas Hiſpanias & Pontificem Romanum. 155. *accipit Litteras à Conſtantino Imp. quibus ei contra aduerſarios apud ſuos in Africa iudices perfugium aperit.* 162. *eâ re frendentes Schiſmatici*

Libellos accuſationum aduerſus Cæcilianum offerunt Anulino Proconſuli, & Imperatoris iudicium poſtulant. 164. *Imperator Melchiadi Papa cum tribus è Gallia Epiſcopis cauſſæ totius iudicium permittit: Cæcilianum & Donatum aſſumptis vtrimque decem Epiſcopis Romam abire iubet.* 166. 167. *Accuſat Cæcilianum Donatus, ſed in probatione deficientem, Melchiades Schiſmatis atque hæreſis damnatum Epiſcopatu deiicit: acta Concilij Carthaginenſis contra Cæcilianum reſcindit: in Donati aſſeclas mitiſſimâ ſententiâ vtitur.* 167. 168. 169.

Melchiadis iudicio non acquieſcunt Schiſmatici: iudices corruptos fuiſſe, in vulgus ſpargunt: ad Imperatorem profecti, Felicem Aptungitanum (à quo fuerat Ordinatus Cæcilianus) Traditionis labe aſpergunt: plura futilia allegant: alios pluresq́; iudices poſtulant. 169. 170. 171.

Imperator Felicis Aptung. cauſſam Æliano Proconſ. committit. is Felicem abſoluit, & Ingentium ſcribam falſarium in carcerem coniicit: quem paulò pòſt Imperator ad ſe mitti mandat. 171. 172. *Schiſmatici hoc etiam iudicium atque ipſum Proconſulem traducunt.* 173. 174. *Imperator tum hanc tum alias ob cauſas Arelatenſe concilium congregat: in quo denuo abſoluitur Cæcilianus, Donatus condemnatur.* 174. 175. 176.

Arelatenſis Concilij auctoritate plurimis ad Cæciliani communionem redeuntibus, perſiſtit in peruicaciâ Donatus cum aliis nonnullis, & Imperatorem appellat. 177. 178. *Imperator partibus aduocatis & auditis, Cæcilianum & ipſe abſoluit, ac Donatiſtas condemnat* 179. 180.

Schiſmatici tribunalibus omnib. conſumtis ad calumnias confugiunt: Imperatorem & Oſium præcipuè Cordubenſem variis commentis onerant. 181. *atque interea in Africa Catholicos Baſilicis ſuis exuunt.* 182. *quare coërcendos ducens Imperator, Schiſmaticis Baſilicas eripi, & reſipiſcere nolentes in exilium eiici iubet: Donatum Schiſmatis auctorem capitis damnat.* 184. *atque illi tum demum furere: mortem ſibi, velut indictâ Perſecutione, inferre, aut ab aliis extorquere: martyrij hoc modo gloriam affectare.* 186. 187. V. Circumcelliones.

Donatus oblato Libello cum Imperatore de perſecutione in ſuos inſtituta expoſtulat: additq́; morituros potius quotquot erant, quàm Cæciliano communicaturos: & poteſtatem in Africam reuertendi poſtulat. 189. 190. *Imperator tam illum quàm Cæcilianum in Italia detinens, Eunomium & Olympium Legatos in Africam mittit, ad conciliandos Schiſmaticorum animos: quibus re infectâ reuerſis; Imperator illos furori ſuo ac Deo Vindici relinquendos ſtatuens, exilij pœnam relaxat.* 190. 191. 195. *ita redit in Africam Donatus: eiuſq́; ſequaces, veluti permiſſâ erroris licentiâ, Schiſma ſuum latiſſimè propagant.* 198. 199.

2. Donatiſmi progreſſus.

Donatus Magnus (alius à Caſenſi) Maiorini in Epiſcopatu Carthag. ſucceſſor, Donatiſmum enixè promouet. 204. 206. *Paulum & Macarium Legatos cum muneribus à Conſtante Imp. ad Epiſcopos Africanos, reſpuit, atque à ſuis recipi prohibet.* 207. 208. *iiſdem vim & inſidias parat: contra quas dum ſe defendit Macarij miles, Donatiſtæ aliquot occiduntur.* 207. 208. *hinc clamare illicò Schiſmatici, Catholicos ſanguinarios eſſe, &* Macarianos *appellare: cæſos deinde è ſuis inter Martyres colere.* 209. 210.

His ſceleribus infenſus Conſtans Imp. patris in eos Leges renouat: Baſilicis exuit, exilio multat. 216. *Atque ita Africana Eccleſia quatuordecim annorum pace ac tranquillitate gaudet.* ibid.

Sed reſurgunt mox Donatiſtæ ſub Iuliano Imper. à quo Baſilicas & exilij relaxationem impetrant. 216. 217. *atque in Africam redeuntes omnia cædibus, flammis, libidine ac ſacrilegiis miſcent.* 218. 219.

3. Donatiſmi inclinatio.

Donatiſtæ inter ſe diuidi incipiunt, iuſto Dei iudicio. 226. *Eccleſiam & Baptiſmum partes certatim ſibi vindicant.* 227. 241. *Ea res Donatiſmum labefactat.* 226. *Primus ſeceſſionem facit Rogatus, à quo Rogatiſtæ.* 227. *cum mox ſecutus Vincentius.* 230. *vtrique ianuam patefeciſſe videtur Tichonius.* 221.

Hinc Maximianiſtarum & Primianiſtarum ſchiſma ſuſcitatur, variis magniſq; tumultibus. 234. & ſequ. 244. 245.

Maximianiſtæ ab Optato Gildoniano coguntur redire ad Primianiſtas: ab iis recipiuntur abſque vllâ Baptiſmi aut Ordinationis reiteratione. 254. *quo facto Donatiſtæ cauſſam ſuam peremerunt.* 256. 257. 286. 287. 340. *quod dum eis à Catholicis obiicitur, ad veterem furorem & ſæuitiam redeunt.* 256. 257. 258. 298.

Ad hæc acceſſit hoſtilis aries Auguſtinus, qui illos tam diſputatione & ſermonibus, quàm Libris conſcriptis planè impulit ac proſtrauit. 260. & ſequ. V. Auguſtinus.

4. Donatiſtæ ab Africanis Patribus ad vnitatem Catholicam variis modis inuitati.

Carthaginenſe Catholicorum Concilium ad reducendos Donatiſtas indictum, auctore Auguſtino decernit ſolâ lenitate cum iis agendum: petitq; ab Anaſtaſio PP. vt redire volentibus dignitates ſua ſalua ſint. 285. 286. 287. *petitioni Afrorum annuit Anaſtaſius.* 287. 288.

Alio Carthagine Concilio decernitur, vt Epiſcopi Catholici Donatiſtas Epiſcopos regionis quiſq; ſuæ ad pacificam Collationem inuitent. 299. *confert cum Criſpino Poſſidius.* 202. *idem tentant Auguſtinus, aliiq; Epiſcopi: ſed defugiunt Donatiſtæ;*

tiſtæ; recuſantes, vt iactabant, cum peccatoribus loqui. 303. 304. *quem eorum prætextum refutat, atq; irridet Auguſtinus.* ibid. & 300. 367.

Catholici Legatos ad Honorium Imp. decernunt: quorum preces mitigat Auguſtinus, ad lenitatem inclinans. 310. 311. *Donatiſtæ iterum ſanguinarij.* 312. *in quos Honorius Leges pœnales renouat.* 313. *atq; ita redditâ Africa tranquillitate, multiſq; ad Eccleſiam redeuntibus, ſententiam ſuam de pœnis Hæreticorum mutat Auguſtinus.* 315. 316. 317.

Donatiſtæ morte Stiliconis (cui Imperatoris contra ſe rigorem imputabant) ad libertatem aſpirant; ſed fruſtra: ſcribente ad Olympium Auguſtino, & Honorio reſcribente ex animi ſententiâ ſe feciſſe, ratumq; haberi velle quidquid contra eos ſtatuiſſet. 341. 342.

5. Donatiſtarum & Catholicorum COLLATIO.

Attali tyrannide relaxatis tantiſper in Africâ Honorij Legibus, furunt ac ſæuiunt iterum Donatiſtæ. 354. 355. *Catholici huic malo ſemel exſtirpando, auctore Auguſtino, generalem ac publicam vtriuſq; partis Collationem Imperatoriâ auctoritate per Legatos indici poſtulant.* 355. 356. *Annuit Imperator: ac Collatione indictâ, Marcellinum Tribunum eidem præficit.* 356. *Maximinianiſtæ ad Collationem admitti poſtulantes, reiiciuntur.* ibid.

Marcellinus vtriuſq; partis Epiſcopos ad diem Lege præſcriptum Carthagine adeſſe iubet. 357. *adſunt: ac locus futuræ Collationis legeſq; proponuntur.* 358. 359.

Ante Collationem omnia modeſtiæ & humanitatis ſigna exhibent Catholici: etiam iniquas ſibi conditiones, pacis ſtudio, Donatiſtis offerunt. 360. 362. *totius deinde controuerſiæ capita ſcripto proponunt.* 363. *ad hæc Donatiſtis tergiuerſari ac cauillari volentibus, has eis declinationes incidit Cognitor Marcellinus.* 363. 364.

Acta primo die. *Initur præſentium Epiſc. numerus. Septeni vtrimq; ad conferendum delecti.* 365. 366. *deinde Septeni vtrimq; ad conſulendum: quaterni vtrimq; ad Acta cuſtodienda, & totidem Notarij, ex legibus Collationis iam ante propoſitis.* 359.

Acta ſecundæ diei. *Poſt varias tricas & futiles ſcrupulos, ſex dierum dilationem Donatiſtæ impetrant.* 367. 368.

Acta tertiæ diei. *Poſt moras & effugia à Donatiſtis fruſtrà quæſita, ingreſſus ad cauſſam.* 369. 370. *Refutati errores Donatiſtarum circa Eccleſiam & Sacramentorum communionem.* 371. & ſequ. *Hinc prima Schiſmatis cauſſa diſcuti cœpta: in quâ preſſi Donatiſtæ ſuis ſe telis induunt.* 382. 383. *at cauſſam peremptam erigere tentantes, iterum iterumq; concidunt.* 384. 385. *denuò lapſi, tandem condemnantur, recitaturq; Marcellini ſententia.* 387. 387.

Acta Collationis ſcripto tradita, quotannis apud celebriores Eccleſias de ſuperiori loco recitari ſolita. 388. 389. *eorum Breuiculum Auguſtinus conficit, ſummo labore.* ibid. *Collationis fructus.* 390.

6. Donatiſtæ quid poſt Collationem?

A ſententiâ Cognitoris ad Imperator. Donatiſtæ appellant. 390. *at is de Collationis ſucceſſu à Marcellino edoctus, Leges pœnales contra eos condit ac publicat.* 395. *ad quas Donatiſtæ ſolemnia inſanientes, occiſo Reſtituto ac truncato Innocentio cùm legibus plectẽdi eſſent, deprecatorem reperiũt Auguſtinum.* 396. 397. *non ceſſantes interim tam ſententiam, quàm Iudicis perſonam calumniis impetere, ab Auguſtino refutantur.* 422. 424. 425.

Morte Marcellini per Donatiſtas procuratâ, Honorius iterum eius acta confirmat: vim Legum renouat & intẽdit: Dulcitium Tribunum iis exequendis in Africam mittit. 428. 429. *Ibi denuò furere Donatiſtæ: Baſilicas incendere: voluntariam mortem exilio præferre.* 430. 529.

Emeritum Donatiſtarum Epiſcopum multa contra Collationis acta garrientem, Auguſtinus ad ea populo præſente iterùm excutienda prouocat, ac conuincit. 496. 497. 498.

Dulcitius interea contra Donatiſtas munus ſuum impigrè obit: & Gaudentium fanaticorum tubam Litteris admonet. 528. 529. *reſpondentis Gaudentij Litteras Auguſtinus à Dulcitio conſultus refutat.* 530. 531.

Donatiſtæ.

Donatiſtæ ſic dicti à Donato Magno ſiue Carthaginenſi. item Donatiani. 203. *priùs dicti* Maioriſtæ, *& Pars Maiorini.* 154. 164. *Romæ dicti.* Montenſes, Campates, Rupitani, *vnde?* 156. Circumcelliones *qui & vnde dicti?* 211.

Donatiſtæ in Schiſmata varia diuiſi mutuis odiis inter ſe pugnant ac pereunt. 226. 227. 229. 244. & ſequ. *Rogatiſtæ alios appellant* Firmianos. 229. *maior Donatiſtarum pars* Primianiſtæ *dicti.* 227.

Donatiſtæ Catholicos appellant Traditores & Perſecutores. 206. 355. *item* Macarianos. 209. *peccatores.* 300. 304. *Apoſtolicam ſedem, peſtilentiæ cathedram appellant.* 170. *Melchiadem Papam Traditionis labe aſpergunt.* 170. 171. 385. *item Sylueſtrum Papam.* 178. *Oſium Cordubenſem calumniis impetunt.* 181. 184. *Imperatores & ſæculares poteſtates ſpernunt.* 185. 204. 208. *à Catholicis* fratres *appellari recuſant.* 368.

Donatiſtæ Catholicorum *nomen ſibi vindicant.* 191. 370. *ceteris meliores videri volunt.* 228. 300. 367. *homines ſe cæleſtes atque Angelis ſimiles iactitant: plebem pro ſe orare nolunt.* 264. *Filios martyrum ſe appellant.* 355. *Donatum Carthagin. pro Chriſto habent, vtpotè peccati expertem: iurant per eius nomen: carmina in eius laudem decantant: Natalem eius celebrant.* 204. 205. *De paucitate ſua gloriantur.* 227. 373. *homines fanaticos & latrociniis infames pro Martyribus colunt.* V. Circumcelliones.

Donatiſtæ ſe iungunt Arianis. 202. *Iuliano apoſtatæ impiè adulantur.* 216. *item Optato Gildon. homini ſceleſtiſſimo.* 263.

Dona-

Donatiſtæ damnati, Iudices licet æquiſſimos, etiam à ſe poſtulatos, accuſare & criminari ſoliti. 169. 170. 173. 185. 422. *aut cauillari iudicium fuiſſe præcipitatum: dicere non permiſſos, aut loqui non auſos quæ ſentirent.* 170. 131. 497. *impudentiâ diabolo ſuperiores.* 181.

Scelerum apud Donatiſtas impunitas. 253. 290. 293. 298 *cùm iis ſuorum ſcelera obiiciuntur, negant ad ſe fuiſſe perlata.* 290. 297.

Donatiſtæ Geſta martyrum, atque Optati Libros corrumpunt. 157. 221. *coactos atque inuitos quos poterant rebaptizant.* 266. 277. *Legum coercitionem, perſecutionem appellant.* 186.

Donatiſtæ pacis & concordiæ æquiſſimas conditiones ab Imp. oblatas reſpuunt. 191. *Omnem cum Catholicis collationem recuſant.* 300. 303. 304. 355. *eorum vox: Diſputare nolumus, & rebaptizare volumus.* 374.

Donatiſtarum in Catholicos ſæuitia: item inceſtus, & ſacrilegia. 212. 216. 218. 219. 297. 312. 313. 373. V. Circumcelliones. *eorum fraudulentis ſuggeſtionibus Marcellinus Cognitor interficitur.* 428.

Donatiſtarum errores, ab Auguſtino refutati.

1. *Dicebant: Eccleſiam ſolis conſtare bonis; malos omnes extra eam eſſe, niſi ſi occulti eſſent.* 371. 381. *Refutatur hic error.* 371. 381.

2. *Externa ſocietate & communi Sacramentorum vſu pollui à malis bonos, ideoq; corporalem & omnimodam à malis ſeceſſionem faciendam.* 253. 372. 374.

Refutatur hic error. 222. 253. 261. 372. 374. 383. 384.

3. *Chriſti Eccleſiam in ſola remanſiſſe Africa, & apud ſolam Donati partem: reliquum terrarum orbem, quia Cæciliano communicaſſet, eius criminibus eſſe pollutum, atque ideircò in eo Eccleſiam defeciſſe.* 253. 284. 373.

Refutatur hic error. 222. 226. 253. 254. 284. 373.

4. *Eccleſiam non dici Catholicam à temporum, locorum & gentium vniuerſitate.* 230. 374.

Refutatur. 230. 369. 380. 381. 426.

5. *Vera Sacramenta in ſolâ Donati parte reperiri: in aliis, etiam ritè priùs accepta, perire ac deperdi: à manifeſtè malis verè ac validè conferri non poſſe, ideoq; in eis qui ad Eccleſiam redirent repetenda.* 375.

Refutatur hic error. 258. 259. 262. 267. 339. 376.

6. *Neminem cogendum eſſe ad eam Religionem quam non probet: veriſſimamq; eſſe Chriſti Eccleſiam, quæ perſecutionem (ita Legum coërcitionem vocabant) pateretur.* 186. 378.

Refutatur. 256. 257. 378. 411. 530. 531. 318. 319.

7. *Ad euadendas perſequentium manus, fas eſſe ſibi mortem conſciſcere: quique ſic oppetiiſſent pro Martyribus colere.* 379. *Vide*: Circumcelliones.

Refutatur. 141. 379.

Dona-

Donatus.

Donatus Epiſcopus in Africa Catholicus. 183.

Donatus Caſenſis.

Donatus Caſenſis ſiue Caſis-nigris in Africâ Epiſcopus, homo inquietus: intereſt Concilio Traditorum contra Cæcilianum. 149. 168. *Schiſma paulo pòſt enatum maximè polit & perficit.* 157. *hæreſin Schiſmati iungit.* 158. *Cæcilianum Romæ apud Melchiadem accuſans in probatione deficit, ac iudicio ſe ſubducit.* 168. *damnatur à Melchiade & Epiſcopatu deiicitur.* 169. *iterum damnatur in Concilio Arelatenſi.* 177. *damnatur tertiò ab ipſo Conſtantino.* 180. *Capitalis ſententia in eum lata, Oſij interceſſione mitigatur.* 184. *V. ſuprà* Donatiſmus. *Num.* 1.

Donatus Carthagin.

Donatus Magnus ſiue Carthaginenſis, Maiorini in Epiſcopatu ſucceſſor; à quo Schiſmatici dicti Donatiſtæ & Donatiani. 203. *portentoſæ ſuperbiæ, & callidus impoſtor: populum cum Deo diuidere auſus.* 204. 205. *Donatiſtarum erga illum cultus & obſeruantia V. ſuprà* Donatiſtæ.

Scripta eius Arianiſmo infecta. 202. *eius Epiſtolam refutat Auguſtinus.* 206.

Sedit Carthagine cum Grato Catholicorum ibidem Epiſcopo. 207. *munera vtrique mittit Conſtans Imp. quæ Donatus ſuperbè repellit.* 208. *Legatis Imperatoris inſidias ac vim parat per Circumcelliones.* ibid. *Carthagine pellitur, atque à Donatiſtis Martyrialis gloria vir appellatur.* 216.

Donatus Bagaitanus.

Donatus Bagait. Epiſcopus & Marculus, Circumcellionum duces, Legatis ab Imp. vim & inſidias parant 208. *qua morte perierint?* 209. 210. *Donatiſtarum protomartyres: & quanto ab iis honore culti.* 210. *in Catholicorum aliquando Martyrologia irrepſerunt.* ibid.

Dulcitius Tribun.

Dulcitius Tribunus-Notarius in Africâ ſuccedit Marcellino. 428. *Vnus, an plures Dulcitij?* 429. *mandata Honorij contra Donatiſtas exequitur.* 528. *Gaudentium ad vnitatem Eccleſiæ hortatur.* 529. *reſpondentis Gaudentij litteras Auguſtino mittit, ab eoq; conſilium petit.* 530.

E.

Ebagnius.

Ebagnius Magiſtrianus Legatus à Theodoſio Imp. ad Auguſtinum, vt eum ad Concilium Epheſin. contra Neſtorium inuitet. 631. *Litteræ Theodoſij per Ebagnium allatæ.* ibid.

Ebrietas.

Ebrietati addicti Africani. 91. *eorum mores*

moris & bibendi certamina Auguſtinus increpat. ibid. *Ebrioſi paludibus comparati.* 90. *remedia contra ebrioſitatem præſcripta.* 93.

Eccleſia.

Eccleſia in Chriſto an in Petro fundata? 69. *eius notæ Auguſtinum permouentes.* 127. 128.

Eccleſiam non fundatam ſuper homines, vt in labentibus ipſa corruat, etiam videt Tichonius Donatiſta. 222.

Eccleſiam ſanctam *eſſe debere vrgent Donatiſtæ: Catholici &* Sanctam *&* Catholicam. 371.381. *Catholica vnde dicatur?* 230. 231.284. *Vna ſola inter tot Hæreſes hoc nomen obtinet.* 127. *Domino gubernante ſecura.* 129.

Eccleſia è malis & bonis conſtat. 214. 381.

Eccleſiæ cauſſam à perſonarum cauſſis ſeparandam ſedulò monent Optatus & Auguſtinus. 209.381. *& ſequ.*

pro Eccleſia pace Epiſcopatu cedere, glorioſum ducit Auguſtinus. 289. *neque ipſe recuſat opere complere.* 361. *pro eâdem pace multa tolerantur quæ Vnitatis compenſatione ſanantur.* 361.362. *V.* Donatiſt.

Emeritus.

Emeritus Cæſarienſis in Mauritan. Epiſcopus: auctor ſententiæ diſertiſſimæ contra Maximianiſtas in Concilio Bagaienſi. 244.498. *Vnus è Septemuiris Donatiſtarum in Collatione Carthaginenſi.* 366. 496. *eius ingenium ab Eccleſiæ vnitate diſcerptum dolet Auguſtinus.* 261.

Emeritus cùm apud ſuos iactaret, ſe in Collatione Carthagin. poteſtate prohibitum plura dicere; prouocatus ab Auguſtino ad priuatam Collationem obmutuit. 497. 499. *Sedit cum Deuterio cognato ſuo Catholicorum Cæſareæ Epiſcopo*, ibidem.

Epiſcopus.

Epiſcopi non propter nos ſumus. 288. *pro pace Chriſti debent eſſe, aut non eſſe.* 361.

Epiſcopatus nomen eſt operis, non honoris. 588.

Epiſcopatum ambiendo hæreticus factus Arius. 199. *item Schiſmatici, Botrus & Celeſius.* 147.

Epiſcoporum morte ſæpè turbata Eccleſia. 559. 560. *ideò viui adhuc ſucceſſorem deſignabant, ac populo proponebant.* ibid. *quod poſtea propter abuſus ab Eccleſia ſublatum.*

Epiſcopi duo ſimul ne vni præſint Eccleſiæ, Nicæni Concilij Canon. 77.561. *eum ignorans Valerius Auguſtinum ſe viuo ordinari curat.* ibidem. *quod ne ampliùs contingat, procurat Auguſtinus in Concilio Carthagin.* 77.

Epiſcopi tempore Schiſmatis per totam Africam geminati. V. Africa.

Epiſcopatum Donatiſtis, ſi reſipiſcere velint, ſaluum atque integrum manſurum offerunt Catholici. 361. *quod aliàs prohibitum, pacis compenſatione ſanabatur,*

& iam Melchiades aliiq́ permiſerant. 361.362. *etiam Anaſtaſius Papa.* 286. 287. 288.

Epiſcopatum pro pace Eccleſia deponere glorioſum eſſe oſtendit Auguſtinus. 289. *neque eum ſic perdi, ſed tutius Deo commendari.* 361. *id facere parati ſunt Epiſcopi Catholici in collatione Carthagin.* ibidem.

Epiſcopi olim cauſſas ſuorum audiebant ac dirimebant, 461. 463.

Epiſcopi ſoliti ſupplicare pro damnatis. 399.340. *an iis parêre debeant Iudices conſultus Auguſtinus, quid reſponderit?* ibid. *De fugâ Epiſcoporum tempore belli aut perſecutionis, Auguſtini conſilium.* 599. 600.

Epiſcopi Traditores in Africâ. 141. 144. *eorum conciliabulum contra Cacilianum.* 148.382.

Epiſcopales cauſſas Donatiſta ad Imperatores trahunt. 164. 178. 382. *ad Pontificum iudicium remittit Conſtantinus.* 165.174.

Epiſcopis munera in Eccleſia & pauperum vſum mittunt Imperatores. 161. 162.207. *item Tractorias, euntibus ad Concilium.* 175.176.

Eradius.

Eradius Presbyter ex Auguſtini contubernio. 527. *eum Auguſtinus in Epiſcopalis muneris coadiutorem aſſumit, & ſucceſſorem deſignat.* 559.560.

Euchariſtia.

Euchariſtia an quotidie ſumenda, quaſtio olim agitata: & Auguſtini ſententia. 601. *Sumenda à ieiunis.* 511. *preparatio ante illam neceſſaria.* ibid.

Eulogiæ.

Eulogia quid? 479. *Vnitatis indicium.* ibidem.

Eulogias inter ſe frequentant Auguſtinus, Alypius, aliique. ibid.

Eulogia etiam Catechumenis data. 480.

Eulogias facere cum ſuis dedignatur Donatus Carthagin. 205.

Eulogius.

Eulogius Rhetor Carthagin. Auguſtini diſcipulus: ab Auguſtino per ſomnium edoctus. 27.

Eulogius Epiſc.

Eulogius Epiſc. primas Paleſtina, indicit Synodum Dioſpolitanam contra Pelagium. 441. *& ſequ.*

Euodius.

Euodius Tagaſtenſis, ante Auguſtinum conuerſus & baptizatus. 46. *Mediolani cum Auguſtino vitam communem & Monaſticam agitat.* ibid. *praſtantis ingeniј & doctrina.* 46.49.50. *In funere Monica.*

nicæ incheat Pſalmum: Miſericordiam & iudicium. 52. *cum Auguſtino in Africam proficiſcitur.* 51. *eidem conuiuit in Monaſterio Hipponenſi.* 57. *Epiſcopus deinde Vſalenſis, mittitur à Concilio Carthaginenſi Legatus ad Honorium Imp. contra Donatiſtas.* 52.310. *à Donatiſtis cæſus.* 52.341.

Excitat Vſali oratorium reliquiis S. Stephani ab Oroſio allatis. 468.

Miracula S. Stephani an ab eo conſcripta? ibid.

F.

Eauſtus.

F*Auſtus Manichæorum Epiſc. magnus laqueus diaboli.* 22. *per nouem annos Auguſtino promittitur, eius dubiis ſatiſfacturus,* ibid. *facundiâ præditus, cetera imperitus.* 23. *Auguſtino non ſatiſfacit.* ibid. *domo Mileuitanus.* 131. *vitâ delicatus.* 21.132. *Scribit contra Legem & Prophetas, ac Chriſti incarnationem: eumq́ Auguſtinus refellit.* 131. *Manichæiſmi conuictus, deprecantibus Chriſtianis in inſulam relegatur.* 132. *glorianti ſe perſecutionem propter iuſtitiam pati, quid reſponderit Auguſtinus.* ibid.

Felicianus.

Felicianus Muſtitanus Epiſc. Maximianiſta: damnatus à Primianiſtis in Bagaienſi Synodo. 343. *contra eos ſe ac Baſilicam ſuam defendit.* 247.248. *ad Primianiſtas redit, ac recipitur.* 255.

Felicianus Arianus.

Felicianus cum Auguſtino publicè diſputat. 586. *Collationis acta Auguſtinus in Libellum confert.* ibid. *Vide infra*: Fides.

Felicitas.

Felicitas, Præpoſita Monaſterij Sanctimonialium ab Auguſtino inſtituti. 122. *ſucceſſit eius ſorori germanæ.* ibid.

Felix.

Felix Aptungitanus Epiſcopus Ordinator Cæciliani: à Schiſmaticis accuſatur Traditionis in Concilio Carthaginenſi. 150. *Proconſulari ſententiâ innocens declaratur.* 171. *eius cauſſa repetita in Collatione Carthagin.* 387.

Fides.

Fidem ſic eſſe à nobis, vt non ſit à Deo, cenſuit Tichonius Donatiſta. 224.

Fidei initium eſſe ex nobis etiam cenſebat Vitalis Carthagin. 573. *& ante Epiſcopatum Auguſtinus.* 71.609. *quem errorem Auguſtinus Epiſcopus ſtatim retractat, atque oppugnat.* 72.126.552. 572.609.

Fide abſente nullam eſſe poſſe veram virtutem, conſtanter docuit Auguſtinus. 110.112.508.

Fidem ſine operibus mortuam ſaluare non poſſe. 421. *neque contrà, opera ſine Fide.* 508.

ante Fidem, rationem veri à Catholicis exigebant Manichæi. 15.65. *à quibus non multum abludit Iulianus Pelagianus.* 615.

Fidei præcepta non tam rationis quàm Scripturarum pondere muniri, in aliis Catholicis tolerat Felicianus, in Auguſtino ferre non poteſt. 586. *cui reponit Auguſtinus, Non ſe amare ſapientiam verbi, nè euacuetur crux Chriſti.* 587.

Firmus.

Firmus Africæ tyrannus, Mauritaniam occupat. 229. *Vincitur à Valentiniano.* ibid. *eius operâ Donatiſtæ Rogatiſtas perſequuntur, & ab his appellantur Firmiani.* ibidem.

Florus.

Florus Epiſcopus Pelagianus: cui Iulianus dedicat Octo libros contra Auguſtini ſecundum de Nupt. & Concupiſc. 570. *è cathedrâ deiectus excipitur Conſtantinopoli à Neſtorio.* 632.

Folis ſiue Follis.

Follis quæ & φόλις certa pecuniæ menſura aut modus. 162. *triplicis generis Folles.* 163.

Fortunatus.

Fortunatus ad Epiſcopatum ex Auguſtini Monaſterio aſſumptus. 116. *ſedit cum Petiliano Donatiſtâ.* 264. *vnus è ſeptem in Collatione Carthagin. ad diſputandum electis.* 367.

Fortunatus Manich.

Fortunatus Manichæorum Presbyter Hippone multos ſeducit. 66. *rogatus non ſolum à Catholicis, ſed etiam Donatiſtis Auguſtinus eum publicè conuenit, ac conuincit.* 67.

G.

Gaudentius.

Gaudentius Thamugadenſis Donatiſtarum Epiſc. vnus è ſeptemuiris in Collatione Carthagin. 366. *minatur ſe ac ſuos ignibus abſumturum priùs, quàm edictis Imperat. pareat.* 529. 530. *eius litteras ad Dulcitium Tribun. refutat Auguſtinus, ac reſpondentem iterum refellit.* 530.531.

Gaudentius olim à Catholicis preſſus; Catholicam Eccleſiam aiebat humanum eſſe figmentum. 374.

Gentiles.

Gentilium ſcripta quid boni habeant, & quomodo in vſum noſtrum vindicandum. 61. *V.* Pagani.

Gildo.

Gildo Africæ Comes tyrannidem inuadit.

dit. 249. *perduellionis Gildoniana hiſtoria.* 249. 250. *eius mores & ingenium.* 252. *Procurator Gildonis,& Comes Gildoniani patrimonij, qui?* 251. *Gildonis ſatellites.* ibidem.

Gloriæ & Laudis cupido.

*Gloriæ & laudis tentatio quàm latenter actionibus bonis ſubrepat.*84.85. *laudes hominum quomodo in Deum referendæ.*ibid.408.*Gloria in Auguſtino fuga ac contemtus. V.* Indic. Auguſtin.

Gothi.

Gothi ſub rege Rhadagaiſo victi à Romanis. 394. *nè Romam inuaderent à Deo prohibiti, cur?* ibidem.

Gothi ſub rege Alarico capiunt Romam. 354. 391. *in eius depradatione multa modeſtiæ atque reuerentia erga Baſilicas Sanctorum ſigna edunt.* 392. 394. *V.* Alaricus.

Gothi Arianâ hæreſi infecti quomodo, & quando? 537. *Arianiſmum in Africam inuehunt ſub Bonifacio Comite.*ibid. *item ſub Sigiſuulto Comite.*583.

Græca lingua.

A Græcâ, vt peregrinâ Auguſtinus puer abhorret. 10. *eam poſtea aſſequitur.* 64. 520. *antiqua eius pronuntiatio Auguſtini æuo perdurat.* 64.

Gratus.

Gratus Carthaginenſis Epiſcop. ſedit cum Donato Magno. 207. *intereſt Concilio Sardicenſi.* 202. *Synodum Carthagine agit, qua prima Carthaginenſis.*215.

Gratia.

Gratia non datur meritis noſtris, ſed gratuitò. 480. 515. 542. 551. *non tollit arbitrij libertatem.* 420. 542. 551. 552. *Liberi arbitrij infirmitas abſq; gratiæ adiutorio.* 111. 517.

Gratiæ neceſſitatem ad quoſlibet actus bonos iam inde ante conuerſionem ex Apoſtolo obſeruat Auguſtinus. 33. 34. 110. *eam defendit contra Pelagianos.* 416.516. 552. 553. *virtutum adipiſcendarum vnicum medium eſſe, vbique inculcat.* 110. 112.

Gratiæ commendatione non induci Fatum. 541. *neque impediri Correptionem.* 555.

Gratiam & Prædeſtinationem euidenter commendari in perſona Chriſti. 516. 632. *etiam Fidem præueniri gratia.* V. Fides.

Gratiæ diuinæ perpetuus atque acerrimus aſſertor extitit Auguſtinus. 535.621. 627. 628. 629.

H.

Hæreſis & Hæretici.

HÆreſes multas ambitio genuit. 147. 148. 199. *earum obſtetitrices feminæ.* 147. 149. 233.

Hæretici promtiſſimi ad calumnias, in probando deficientes iudicio ſe ſubtrahunt. 168. 490. *damnati ſæpiùs, alios ſemper iudices appellant.* 169. 178. 481. 504. *libros anonymos in vulgus ſpargunt.* 534. 535. *falſarij ac librorum corruptores.* 157. 221. *in* Catholicos *crudeles.* V. Circumcell. & 451. *de paucitate ſuâ gloriari ſolent.* 227. 373. *Legum coërcitionem, perſecutionem vocant.* 185. 210.

Hæreticos Auguſtinus aliquando cenſuit ſolo Dei verbo vincendos: quam ſententiam poſtea mutauit, & quare. 230. 316. 317. 318. 530.

Hæreticis Schiſmaticis ad Eccleſia vnitatem redeuntibus vt dignitates ſuæ ſaluæ eſſent permiſit Melchiades Papa. 169. *Anaſtaſius.* 287. 288. V. Donatiſtæ. Pelagiani.

Heros & Lazarus.

Heros & Lazarus Gallicani Epiſcopi, Pelagium ac Celeſtium *detegunt, ac deferunt.* 441. *libellum accuſatorium mittunt in Palæſtinam ad Eulogium: qui mox Synodum indicit Dioſpoli.* ibid. *proficiſcuntur eò Heros & Lazarus, ſed ad diem Synodi adeſſe non poſſunt.* ibid. *eorum abſentiâ Pelagius à Synodo abſoluitur.* 442. *Scribunt ad Patres Africanos Carthagine congregatos, litteras perferente Oroſio.* 457.

Herotem & Lazarum Celeſtius Romæ apud Zozymum *accuſat, & calumniis multis aſpergit.* 482. 483. *in eos Zozymus a Pelagianis deceptus iuuebitur.* 487.

Hierius.

Hierius, Romanæ Vrbis Orator, Auguſtino ob doctrinæ famam amatus. 20. *ei dedicat Auguſtinus Librum De Apto & Pulchro.* ibid.

Hieronymus.

Hieronymo quando primum innotuerit Auguſtinus. 73. *cum eo per litteras diſputat Auguſtinus ſuper Legalibus & Mendacio, eumq́, manus dare compellit.* ibid.

Hieronymus de Origine Animæ conſultus à Marcellino, eum mittit ad Auguſtinum. 434. *Auguſtinus ſuper eâdem quæſtione conſultus ab Oroſio, eum remittit ad Hieronymum.* 433. 452.

Hieronymus excitat Auguſtinum ad extinguendum communi opera Pelagianiſmum. 451. *gratulatur eiuſdem progreſſibus contra Donatiſtas.* 138. *item de damnatis Celeſtio & Pelagio.* 404. *Lectis Auguſtini libris, deſiſtit ab oppugnando Pelagio, & Auguſtino in hoc curſu lampadem tradit.* 439.

Hieronymus Pelagio odioſus. 451. *eius mona-*

monaſterium Pelagiani violant ac diripiunt. ibid.

Hilarius.

Hilarius Auguſtini diſciplinâ imbutus. 526. *paupertatem monaſticam coluit.* 121. *Epiſcopus* Arelatenſis. ibid. *Semipelagianos Auguſtino detegit, eiuſq; contra illos opem implorat.* 608.

Hippo & Hipponenſes.

Hippo-Regius Africæ *ciuitas.* 602. *ciues Hipponenſes Regij dicti.* 625. *ibidem Balnea Soſij.* 67.

Hipponem ſe recipit Bonifacius à Vandalis victus. 602. *Vandali Hipponem cingunt.* 625. *ac poſt quatuordecim menſium obſidionem concremant.* 624. 629.

Hipponenſes Auguſtinum *ad Presbyterium abripiunt.* 56. *idem tentant in Piniano, eoſq; Auguſtinus excuſat.* 345. *colunt S. Stephanum.* 468. 471.

Hipponenſis Eccleſia monachos & Epiſcopos ſuppeditat aliis Eccleſiis. 114. 115. 116.

Hipponenſe Concilium, in quo presbyter Auguſtinus, *de Fide & Symbolo diſputat.* 67. 76.

Honoratus.

Honoratus amicus Auguſtini, *à Manichæis deceptus* 65. *Scriptis* Auguſtini *ad Catholicam fidem adducitur.* ibid. *iam Catechumenus quinque quæſtiones Auguſtino proponit.* ibid. *poſtmodum presbyter factus.* ibid.

Honoratus Donatiſt.

Honoratus Epiſcopus partis Donati, ab Auguſtino *admonitus.* 261.

Honorius Imp.

Honorius edictum Iuliani à Donatiſtis impetratum publicè proponi iubet in eorum ignominiam. 285. *Capitale ſupplicium ſancit contra Eccleſiæ perturbatores.* 265. *Donatiſtas & Manichæos coërcendos ac tollendos ſtatuit: atque vnam Catholicam fidem per* Africam *retineri.* 313. 314. *Theodoſij* Aurariam *legem renouat.* ibid. *Attalo tyrannidem in* Africâ *occupante Leges relaxat, ſuaſu Heracliani.* 354.

Honorius mortuo Stilicone mentem ſuam de Legibus antè latis aperit, & Africanis *Patribus reſcribit.* 341. 342. *Collationem Carthagine indicit, eiq;* Marcellinum *præficit.* 355. 356. *in eâ victis Donatiſtis, leges contra eos condit.* 395. 396. *quas deinde renouat, iiſq; exequendis Dulcitium in* Africam *mittit.* 428. 430.

Honorius Pelagium ac Celeſtium eorumq; aſſeclas exilio multat. 493. *eius Edictum contra Pelagianorum fautores & occultatores.* 505. 506.

I. Inno-

I.

Innocentius Papa.

INnocentio mittit Auguſtinus librum de Nat. & Gratiâ, ac Pelagij dogmata detegit. 438. Innocentij de iiſdem cenſura. ibid.

Innocentius corripit Ioannem Hieroſolymit. in Pelagianorum facinoribus conniuentem. 451. Pelagium ac Celeſtium damnat. 459. Pelagij ad Innocent. litteræ traduntur Zozymo ſucceſſori. 484.

Innocentio Auguſtinus mittit Epiſtolam ſuam contra Pelagij purgationis chartulam. 457. Scribit eidem nomine quinque Epiſcoporum Carthagine. 458.

IoannesHieroſolymit.

Ioann. Hieroſolymitanus Epiſcopus intereſt Synodo Palaſtinæ in quâ abſolutus Pelagius.441. Pelagium non dubiè amaſſe colligitur.451. 452. admonetur ab Auguſtino de Pelagij doctrinâ, & quomodo eum diligere debeat. ibid. in eum finem litteris ſuis Auguſtinus adiungit Librum de Nat. & Gratiâ. 439. increpatur ab Innocentio Papa. 451. ei in Epiſcopatu ſuccedit Praylius. 487.

Iuliana.

Iuliana mater Demetriadis Auguſtino Carthagine nota, quâ occaſione? 429. ad eam ſcribit Auguſtinus Librum De Bono viduitatis. 124. item contra peſtiferam Pelagij Epiſtolã Demetriadi miſſam. 429.

Iulianus Imp.

Iulianus Apoſtata ad Imperium euehitur. 216. à quibus impietatem hauſerit. ibid. ad eum Donatiſtarum Legatio. ibid. Donatiſtis libertatem & Baſilicas reſtituit, Schiſmata nutrit, quo fine? 217. Catholicorum contra Donatiſtas querelas reſpuit. 219. moritur. 220.

Iulianus Pelagian.

Iulianus, Memorij Epiſcopi filius: ingenio & eloquentiâ præditus. 502. primum coniugatus: deinde Diaconus, ac mox Epiſcopus, & cuius loci? ibid. ei mittit Auguſtinus librum ſextum De Muſicâ, petente Memorio: ac Iuliani præſentiam optat. 502. 523. varia ab eo conſcripta. 505.

Iulianus primas ſibi partes tribuit inter Pelagianos, vti Auguſtino inter Catholicos: quod Auguſtinus tamen non accipit. 503. Catholicos omnes vilipendit. 504. 505. eoſdem ob peccatum Originale appellat Manichæos & Traducianos. 541. 549. 611. Auguſtinum, eiuſq; matrem licet mortuam contumeliis inceſſit. 381. 549. 611. 612. in Theologiâ plus defert humanis rationibus, quàm auctoritati diuinæ: ob id ab Auguſtino acriter perſtrictus. 615.

Iulianus queritur de geſtis contra Pelagium ac Celeſtium: eáq; nouo & Oecumenico examini ſubdi exoptat. 504.

Scribit

Scribit contra Auguſtini librum primum de Nupt. & Concupiſc. 502. *item duas Epiſtolas hæreſis & calumniarum plenas.* 504. *quas Bonifacius Papa mittit Auguſtino refutandas.* 506. *ſcopus Iuliani in duabus epiſtolis.* 543. *eas refellit Auguſtinus Libris quatuor.* 540.

Iulianus librum ſecundum Auguſtini de Nupt. & Concupiſc. oppugnat Octo libris. 569. 570. *Ex his quinque ab Alipio tranſmiſſos Auguſtinus refutat: quorum duo nuper reperti, vulgò dicuntur Opus imperfectum.* 611. 614.

Iulianus Epiſcopatu deiectus excipitur Conſtantinopoli à Neſtorio: cum quo vnà damnatur in Concilio Epheſino. 632.

L.

Laſtidianus.

L*Aſtidianus Auguſtini conſobrinus.* 6. *cum eo ſecedit Mediolani in Caſſiſiacum.* 40.

Leporius.

Leporius presbyter Auguſtini contubernalis. 559. *cum non antè in domum ſuam ac Clerum recepit Auguſtinus, quàm erogatis omnibus bonis pauperem vidit,* 346.

Leporius Monachus natione Gallus, Auguſtini operâ reſipiſcit à Pelagianiſmo aliiſq; erroribus, & edit Emendationis ſuæ libellum. 570. 571. *an idem cum priore?* 346. 571.

Lex.

Leges Imperatoriæ Hæreticis coërcendis latæ: A Conſtantino. 184.

A Conſtante. 216.

A Valentiniano. 232.

A Theodoſio. 232. 304. 310. 311.

Honorio. 132. 265. 285. 313. 314. 395. 493. 458.

Legum coërcitionem Donatiſtæ perſecutionem appellant. 185. *iis exequendis in Africam miſſus Dulcitius Tribunus.* 428. 528. 529. *Legum pœnalium contra Hæreticos fructus.* 316. 317. 493. *de his Auguſtini ſententia.* 230. 316. 318.

Liber. arbitrium. V. Gratia.

Licentius.

Licentius, Auguſtini conciuis & diſcipulus, filius Romaniani. 9. *magna ex parte conciliatus Philoſophiæ per Hortenſium Ciceronis.* ibid. *Poëſi verſibuſq; deditus, & in iis excellens.* ibid. *Secedit cum Auguſtino in villam Caſſiſiacum, cumq; eo diſputat de Vita Beata.* 40. 42.

Licentium Romæ agentem hortatur Auguſtinus ad aulæ militiæq; contemptum. 9. *idem facit Paullinus propoſito Alipii & Auguſtini exemplo.* 522.

Lucilla.

Lucilla femina Hiſpana, Ceciliano infenſa, cur? 147. *in eum conſpirans Schiſmati occaſionem præbet.* 148. *Epiſcopos contra Cecilianum conuocatos hoſpitio ex-*

cipit, & corrumpit: vt depoſito Caciliano Maiorinus domeſticus eius ſufficiatur. 149. 194. 233.

M.

Macarius.

M*Acarius & Paulus ab Imp. cum muneribus ad Africanas Eccleſias vniendas miſſi, à Donatiſtis repelluntur, ac penè occiduntur.* 208.

Macarij miles ſe defendere coactus, aliquot è Donatiſtis ſauciat ac perimit. idib. *Hinc Donatiſtæ Catholicos appellant* Macarianos. *quod nomen veluti omen accipit, atque interpretatur Auguſtinus.* 209. *Petiliani ac Donatiſtarum contra Macarium calumniæ, ab Auguſtino refelluntur.* 210.

Macedonius.

Macedonius iudex Cæſareus in Africâ conſulit Auguſtinum, Quantum tribuendum ſit precibus Epiſcoporum pro reis deprecantium? 399. *eius lenitas erga Donatiſtas ab Auguſtino laudata.* 400 401. *Macedonius Auguſtini ſcriptis delectatur, eaq; pulcherrimo elogio proſequitur.* 408.

Maiorinus.

Maiorinus à Schiſmaticis ordinatur Epiſcopus Carthaginenſis contra Cæcilianum. 152. V. Lucilla. *ab eo Schiſmatici dicti Maioriſtæ, & Pars Maiorini.* 154. 164.

Malum.

Mali originem inquirendo torquetur Auguſtinus ante conuerſionem. 15. 30. *Malum non eſſe à Deo, neque ſubſtantiam eſſe. Sed à ſummâ ſubſtantia detortam creaturæ voluntatem,* 30. 32. *malum, ex libero voluntatis arbitrio.* 49. 517.

Manichæi.

Manes, qui & Manichæus auctor ſectæ, Perſa natione. 69. *Manichæa hæreſis quando cœperit?* 69. 70. *contra eam qui olim ſcripſerunt tam Græci, quàm Latini.* ibid. *fons erroris eorum, quòd Dei naturam à corporeâ mole intellectu ſeparare non poterant.* 24. 133.

Manichæi ſuperbè delirantes: hypocritæ: linguâ & vitâ diſcrepantes. 14. 21. 48. *apud eos alij Electi, alij Auditores.* 15. 132. 133. *Promittunt ſe ratione, non auctoritate homines ad Deum introducturos, hiſque artib.* Auguſtinum *capiunt.* 15. 133. *irrident Catholicorum credulitatem.* 65. *cùm ipſi interim Manichæi fabulis fidem adhiberent, & ab aliis poſtularent.* 22. 26. *Auguſtini quæſtionibus, dum inter eos verſatur, ſatisfacere non poſſunt.* 22. 23.

Manichæorum deliramenta de pugnâ Dei & Gentis tenebrarum. 29. 128. 129. *item circa SS. Trinitatem.* 15. *tria illorum ſignacula.* 48. *error de duabus animabus.* 65. 66. *Solem nauem eſſe dicebant, ac figurâ triangulum; toto cælo non errantes ſolùm, ſed & natantes.* 14. *Lucem*

tem quibuſcumque viuentibus præferebant. 16. *etiam inter diuina colebant.* 22. *Non ſe peccare, ſed Gentem tenebrarum, volebant: ac Deum potiùs mala pati, quàm hominem mala facere.* 29. 30. *in Galliam peruadunt.* 133. *Honorij Legibus exagitantur.* 132. 315. V. Indicem Auguſtin.

Manlius Theodorus.

Manl. Theodorus idem cum Manilio ſcriptore Aſtronomici. 42. *religione Chriſtianus: & Auguſtino Mediolani familiaris.* ibid. *et Auguſtinus dedicat librum de Vita Beatâ.* ibid.

Marcellinus.

Fl. Marcellinus ab Honorio mittitur in Africam Tribunus-Notarius, Collationis inter Catholicos & Donatiſtas Cognitor futurus. 356. 357. *Tribuni-Notarij qui?* 429.

Marcellinus Donatiſtas ad Collationem indictam omni benignitate inuitat. 357. *Donatiſtarum Epiſcopis conſidere recuſantibus, ſtando cognoſcit.* 367. 368. & ſequ. *ſententiam contra Donatiſtas pronuntiat.* 390. *de Collationis ſucceſſu Imperatorem inſtruit.* 395. *in Donatiſtas homicidas quæſtionem exercet, ſed planè moderatam.* 397.

Marcellinus Auguſtino commendat Voluſianum à paganiſmo abducendum. 406. *eundem rogat, vt quæſtioni reſpondeat: Cur ſub Chriſtianis principibus tot tantáque mala Romanum imperium inuaſerint?* ibid. *ad illum ſcribit Auguſtinus libros de Ciuitate Dei.* 391. 406.

Marcellinus mittit Auguſtino Quæſtiones Carthagine agitatas occaſione Celeſtij & Pelagij. 402. 403. *eundem conſulit ſuper loco quodam ex libro ad ſe miſſo De Peccatorum meritis & Remiſſione.* 418.

Marcellinus inſtinctu Donatiſtarum cæſus: inter martyres relatus. 428. *Marcellini elogium.* 402.

Maria Virgo.

Virginis partum, naturalib. exemplis probare nititur Euodius. 49. 50. *Oratio Auguſtini ad Deiparam:* Ora pro populo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto femineo ſexu. 125.

Martyres & Martyrium.

Martyrum in Africa multitudo, in perſecutione Dioclet. & Maximian. 140. 141. *increpati Chriſtiani qui temerè ſe perſecutoribus offerrent.* 141. *Sexaginta Chriſtiani occiſi à Paganis in Colonia Suffectanâ.* 280. *Non à pugnantibus ſed morientib. Chriſtianis domita huius ſæculi poteſtates.* 282.

Martyres à Chriſtianis non adorari, licitè nihilominus inuocari. 328. 329.

Catholici à Donatiſtis occiſi, aut malè tractati. Primus, & Donatus. 218. *Marcus, Reſtitutus, aliiq́;.* 297. *Seruus Epiſcopus eiuſq́; parens.* 312. *Maximianus*

nus Epiſcopus. ibid. *Seuerus & Macarius.* 341. *Euodius, Theaſius & Victor, Epiſcopi.* ibid. *Poſſidius.* 301. *Auguſtinus à Circumcellionib. ad mortem quaſitus.* 296.

Ad Martyrum ſepulchra Dæmones torquentur, & de corporib. humanis eiiciuntur. 328. *Commeſſationes ad Martyrum ſepulchra inhibet Ambroſius.* 3. *Auguſtinus increpat.* 328.

Martyrum Memoria. 468.

Martyrium affectantes Donatiſtæ mortem ab obuiis quibuſcumque extorquent, aut ſibi ipſis inferunt. 186. 187. 379. 380. *eorum falſum Martyrium deteſtatur Conſtantinus.* 189. *damnatur à Concilio Carthaginenſi.* 215. V. Circumcelliones. Perſecutio.

Maximianus & Maximianiſtæ.

Maximianus Diaconus Carthagin. noui inter Donatiſtas ſchiſmatis auctor. 233. 234. *Primianum Epiſcopum ſuum accuſat in Synodo Carthagin.* 234. *Ordinatur ibidem Epiſcopus contra Primianum.* 238. *eius ſequaces dicti Maximianiſtæ.* 227.

Maximianiſtæ illicò incipiunt rebaptizare. 241. *damnantur vna cum Maximino à Primianiſtis in Synodo Bagaienſi,* 142. *ab Optato Gildoniano coguntur redire ad Primianiſtas: à quibus recipiuntur abſque vllâ Baptiſmi aut Ordinationis repetitione.* 255. *quo facto Donatiſtæ ca.ſſam ſuam peremerunt.* 256. 258. 259. 292. 287. 340.

Maximianiſtæ ad Collationem Carthaginenſem admitti poſtulantes, à Catholicis repelluntur. 356. 357.

Maximianus Vagienſis.

Maximianus à Donatiſmo conuerſus, 289. *Epiſcopatum Vagienſem pro Eccleſiæ pace deponit.* ibid.

Maximianus Bagaienſis.

Maximianus Bagaienſis Catholicorum Epiſc. Baſilicam à Donatiſtis occupatam apud iudicem euincit 312. *ſtantem ad altare Donatiſtæ inuadunt, ac pugione percutiunt.* ibid. *quo caſu à morte ſeruatus.* ibid.

Mediolanum.

Mediolanenſes mittunt Romam ad Præfectum Vrbis, vt ſibi de Magiſtro Rhetorices prouideatur. 25. *mittitur eis Auguſtinus.* ibid.

Curia imperatoria ſub Valentiniano iun. Mediolani conſtituta. 24. 28.

Monaſterium extra vrbis mœnia, ſub Ambroſio nutritore. 36.

Mediolanenſis Eccleſia Clericos in Africam mittit. 482.

Megalius.

Megalius Calamenſ. Epiſcopus, Numidiæ primas: falſi criminis Auguſtinum arguit, ad eius impediendum Epiſcopatum,

patum. 76. 324. *cuius rei mox pœnitentiâ ductus à frequenti Concilio veniam petit.* ibid. *Auguſtinum ordinat.* 77. 371.

Melchiades Papa.

Cæciliani cauſſam ab Imperatore ad ſe delatam pluribus adhibitis Epiſcopis cognoſcit. 167. *Cæcilianum abſoluit, Donatum Caſenſem condemnat, in ceteros Schiſmaticos mitiſſima ſententia vtitur.* 169. *Donatiſtarum calumniis impetitur* 170. 171. 385. *permittit vt ad Eccleſiam redeuntes, nullâ honoris imminutione reciperentur.* 169. 286.

Menſurius.

Menſurius, Carthaginenſis *ante* Cæcilianum *Epiſcopus, Romam ad Maxentium mittitur, quare?* 146. *theſaurum Eccleſiæ quibuſdam ſenioribus committit, atque inde rediens in itinere moritur.* ibid.

Menſurium Donatiſtæ Traditionis reum facere conantur. 157. 385.

Mileuis.

Mileuis Numidiæ ciuitas. 289.

Mileuitanum Concilium in cauſa Donatiſtarum ſub Innocentio. 289. *quædam ei perperam tributa videri.* 290. *Non ſpectare ad hoc Concilium cauſſam Abundantij presbyteri.* 294. *neque diſceptationem inter Xantippum & Victorinum.* 295.

Mileuitanum Concilium contra Pelagium. 458.

Militia.

Militiæ Duces quantum & quomodo Deo placere poſſint. 466. *pulchra in hanc rem Auguſtini ad Bonifacium admonitio.* 577.

Mira & Miracula.

Miracula in Africa ad Memorias S. Stephani Reliquiis erectas. 468. 469. *& ſequent. de Miraculis quid ſenſerit Auguſtinus?* 475. *Miracula ab Auguſtino in vitâ ac poſt eam patrata. V.* Ind. Auguſtin.

Mira Chriſti apparitio in Palæſtinâ. 507. *Crucis ſignum in veſtibus baptizatorum apparens.* ibid.

Mira de Dioſcuri Medici baptiſmo. 105. *de Eulogij Rhetoris ſomnio.* 27. *de Templo Cæleſtis Carthagine.* 276. *de clade Rhadagaiſi Gothorum Regis.* 394. *in Romanæ vrbis direptione, Barbaricæ continentiæ exemplum.* 393.

Hiſtoriæ aliquot memorabiles ex Auguſtini Libris deſumptæ. 476. 478.

MISSA.

Miſſæ Sacrificium pro mortuis oblatum. 510. *etiam viuis propitiatur.* 511. *Altaria in Martyrum memoriis: quæ &* Men*ſæ dictæ.* 512. *in Miſſarum auditione abuſus populi Auguſtinus increpat.* 104. *ſui memoriam poſt mortem fieri ad Altare rogat Monica morti vicina.* 5.

Monachi & Monaſterium.

Monachi dicti, Serui Dei. 47. 578. *eos admonet Auguſtinus, Nè Vitam ſolitariam & contemplatiuam actiuæ præferant, vbi eorum operam Eccleſia deſiderat.* 118. *viriuſque Vitæ temperamentum ab Auguſtino propoſitum.* 588.

Monachis quo diſcrimine opera manuum præſcribantur. 271. *eadem & Clericis præſcribit, cur?* 272.

Monachiſmum primus in Africam intulit Auguſtinus. 116. 326. *Monachos illos caſtitatem & paupertatem Deo vouiſſe.* 117. 467.

Monachiſmum vnà cum Baptiſmo multi olim ſuſcipiebant. 47. 48.

Monachi in inſula Caprariâ ab Auguſtino laudati. 118. 119. *Monachi Adrumetini in Africâ. V.* Adrumet.

Monaſterium Bethlemiticum Paullæ & Euſtochij, cuius curam geſſit S. Hieronymus. 451.

Monaſterium Mediolani extra Vrbis mœnia ſub Ambroſio nutritore. 36.

Monica.

Monica, Auguſtini mater. 2. *eius erga maritum obſeruantia.* ibid. *ſingulari dono prædita pacificandi diſcordes animas.* ibid. *pro filiorum ſalute, Auguſtini potiſſimùm, ſollicita.* 2. 17. 18. *pietate fortis.* 3. *eius in Deo fiducia.* 3. 26. *Serua Seruorum Dei.* 4. *in Eccleſiâ frequens: Legum Eccleſiaſticarum obſeruans.* 3. 45. *Auguſtino Ambroſius de tali matre gratulatur.* 3. *Monicæ precibus tribuit Auguſtinus, quòd vnius veritatis amore trahatur.* 5.

Monicæ viſio de filij conuerſione. 18. *reſponſum ab Epiſcopo quodam eidem datum.* 3. 18. *nautis felicem appulſum ex viſione per Deum immiſſâ pollicetur.* 3. *Auguſtinum Romam abeuntem comitari volens, ab eo decipitur.* 23. *terrâ mariq́; ſecuta, Mediolani tandem aſſequitur.* 26. *Auguſtini amores coniugali vinculo alligare ſtudet.* 28. *eius gaudium in filij conuerſione.* 39. *cum eo ſecedit in villam Caſſiſiacum.* 40.

Monicæ ingenium admirabile. 4. *arcem Philoſophiæ tenet.* ibid. *infra ſe fortuita ac mortis metum videt.* ibid. *Grammaticæ naturam penitus cognoſcit.* ibid.

Monica poſt filij baptiſmum ac religioſam vitam, nihil inuenit cur vlterà viuere deſideret. 47. *ad Oſtia Tiberina cum filio loquitur de gloria cœleſti ſummâ dulcedine.* 52. *in morbum incidit.* 5. *Sepulchri ſecura.* ibid. *vltima eius mandata, & de Auguſtino teſtimonium.* 52. *Mors eius ac ſepultura.* 5. 53.

N.

Natura.

Natura vires extollentis Saluſtij ſententiam exaggerat Pelagius. 437. *Si per naturam iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.* 508.

Nauigius.

Nauigius, frater Auguſtini. 6. *ſecedit cum Auguſtino in villam Caſſiſiacum.* 40.

Nebridius.

Nebridius inter primos Auguſtini amicos, eum Carthagine dehortatur ab Aſtrologiæ ſtudio. 19. *eidem Manichæi dogmatis vanitatem oſtendit.* 30. *ex Africâ Mediolanum venit vt Auguſtino conuiuat.* 8. *ibidem ab amicis rogatus ſubdocet Verecundo Grammatico* 8. *acer veritatis ſcrutator.* ibid. *cum Auguſtino ſuper variis quæſtionibus per litteras diſputat.* 44. *error eius de Chriſti corpore.* 8. *Baptizatus, atque in Africam redux totam domum ſuam ad Chriſtianam fidem adducit.* ibidem.

Neſtorius.

Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolit. hæreſin ſuam è Pelagianiſmi fontibus hauſit. 630. 632. *Florum, Iulianum, alioſque Pelagianos profugos recipit.* 632. *contra eum Synodus Epheſina indicitur.* 630. *ab eadem vnà cum Pelagianis damnatur.* 632. *Neſtorianiſmi & Pelagianiſmi commune Epitaphium,* ibid.

Neſtorianiſmus ab Auguſtino iugulatus, priùs quàm oriretur. 516. 632.

Nox.

Noctu prolata ſententia, an valida? 424.

Nocturnum, *Paganorum ſacrum.* 598.

Nundinarius.

Nundinarius Diaconus Cirtenſis, Syluano Epiſcopo ſuo odioſus ab eo excommunicatur. 192. *Nundinarius Syluanum Traditionis, Simoniæ, ac Schiſmatis reum peragit, atque ita Schiſmaticorum cauſſam prodit.* 193. 194.

O.

Olympius.

Olympius Stiliconis fraudem detegit, & ab Honorio præmiatur. 341. *Auguſtino amicus, qui ad illum ſcribit contra Donatiſtas, & Legum Imperialium renouationem impetrat.* 341. 342.

Optatus.

Optatus Mileuitanus Epiſc. ſcribit contra Parmenianum, qua de cauſſa & quando? 221. *eius Opus à Donatiſtis variè interpolatum.* ibid. *Optatum Donatiſtæ pro ſe adferunt ac legi iubent in Collat. Carthaginenſi, ac ſuis ſe telis induunt.* 385. 386.

Optatus Gildonianus.

Optatus Thamugadenſis Donatiſt. Epiſcopus, vnde Gildonianus & Gildonis ſatelles dictus? 251. *eius mores ac deteſtanda facinora.* 252. *decennalis Africæ gemitus Auguſtino dictus.* 253. *eum Donatiſtæ maiorem Ioanne Bapt. faciunt: & in carcere extincti Natalitia quotannis celebrant.* ibid. *Optatus Maximianiſtas ad Primianum redire compellit.* 254. 255.

Orige-

Origeniſtæ.

Origenis errores, 433.434. *à Philoſophis hauſti* ibidem. *Origenis pernicioſa dogmata in Hiſpanias illata à duobus Auitis.* 432.

Contra Origeniſtas & Priſcillianiſtas ſcribit Auguſtinus. ibid.

Oroſius.

*Oroſius Presbyter Hiſpanus profectus in Africam ad S.Auguſt. cõtra Hæreſes Hiſpaniam infeſtãtes.*431.434.*quanto tẽpore apud Auguſtinum commoratus?* ibid. *Auguſtini de illo elogium.* 432. *conſultat cum Auguſtino de Animæ origine: mittiturq; ab eodem in Palæſtinam ad S. Hieronymum ad eius ſententiam exquirendam.* 353.354. *Litteræ Auguſtini ad Hieronymum.* 452.

*Oroſius rediens ex Palæſtina defert ſecum in Africam reliquias S.Stephani.*456. 468.*Patribus Concilij Carth.porrigit Litteras Herotis & Lazari de ſucceſſu Synodi Dioſpolitanæ, & abſoluto Pelagio.* 457. *Suaſu Auguſtini ſcribit libros Hiſtoriarum: quos Auguſtino cum prænomine* Aurelij *inſcribit.* 454.455.

Oroſij ſententia de numero Perſecutionum, Auguſtino non probatur. 274.

Oſius.

Oſius Epiſcopus Cordubenſis Cæciliano adhæret contra Schiſmaticos. 154.161. *Donatiſtarum calumniis impetitus.* 181. 184. *capitalem ſententiam à Conſtantino contra Schiſmaticos latam interceſſione ſuâ mitigat.* 184.

P.

Pagani.

P*agani vnde dicti?* 435. *eorum coniectura de tempore duratura Chriſti Religionis, proprium exitium prænuntiarunt.* 273.276.328.

Chriſtianis obiiciunt, Martyres ab his Deorum loco haberi: contrarium monſtrante Auguſtino. 328.329. *mala imperium Rom. ſub Alarico affligentia Chriſti Religioni imputant: quem errorem deſtruunt Auguſtinus & Oroſius.*391.392. 394.434.435. *An licitum, Paganis Idola tollere?* 281.

Paganiſmi ſiue Idololatriæ origo, ab ignorantia Creatoris. 334.

Paganiſmi reliquiæ in Africa tempore Auguſtini. 277.280.331.332.598.*V.* Auguſtinus. Gentil.

Palæſtina Synodus.

Palæſtina Synodus, quæ & Dioſpolitana, contra Pelagium. 441. *Epiſcoporum qui illi adfuerunt nomina.* ibid. *in ea citatus Pelagius & ſe ſiſtens, quomodo abſolutionem abſtulerit.* 442. *Liber Auguſtini de Geſtis Palæſtinis.*449.481.*quando & vbi repertus?* ibid. *Acta Synodi exhibita abſque Auguſtini commentario.* 443. *Pelagius in Synodo Auguſtini ad ſe litteris*

litteras promit, iisq́; ſe venditat. 405.408. *Plura, quæ deinde hanc Synodum ſubſecuta ſunt*. 449. *V*. Pelagius.

Parmenianus.

Parmenianus tertius Donatiſtarum Carthagine Epiſcopus; cur Optato dictus peregrinus? 220. *Scriptorum eius ſcopus*. ibid. *plures eius errores*. 222. *impugnatur ab Optato Mileuitano*. 221.

Tichonium Donatiſmi fundamenta conuellentem litteris admonet: quas Auguſtinus refellit. 225.267.

Patricius.

Patricius Pater Auguſtini, de numero Curialium Tagaſtæ. 2. *animoſus, ſed opibus tenuis; ira feruidus, aliàs beneuolus*. ibid. *magis ſæculares litteras in filio, quàm virtutem ſpectat*. 11.12. *primùm infidelis*. 10. *ſub vitæ finem vxoris operâ ad Chriſtum conuerſus moritur, Auguſtino agente annum ætatis decimum ſeptimum*. 13.

Patricius

Nepos S. Auguſtini, ſubdiaconus. 6.

Paullinus.

Paullinus vnà cum Baptiſmo Monachiſmum amplectitur. 48.121. *Epiſcopus deinde Nolanus inuiſitur ab Alipio*. 8. *Africanis Eccleſiis de Auguſtini Epiſcopatu gratulatur*. 77.

Paullinus acceptis Auguſtini libris contra Manichæos, in eius laudes exclamat. 51.70. *Auguſtino, Alipio, Romaniano ac Licentio mittit Eulogias ſiue Panem benedictum*. 479. *ab Auguſtino per Litteras informatur de Pelagij erroribus, & Geſtis Palæſtinis*. 480.481. *Auguſtinum conſulens materiam præbet Libro de Curâ pro mortuis*. 509. *ab Alarico vinculis oneratus, quid orauerit?* 355.

Paullinus Diaconus.

Paullinus à Venerio Mediolan. Epiſcopo in Africam miſſus, Diaconus ibi Carthaginenſis Celeſtium detegit, atque ad Epiſcoporum iudicium defert. 401.482. *rogatu Auguſtini ſcribit vitam S. Ambroſij*. 482. *citatur à Zozymo Papâ ob accuſatum Celeſtium*. 483.

Paullus Cataqu.

Paullus Cataquenſis in Africâ Epiſc. ex Auguſtini diſciplina profectus. 527. *acriter increpatus ab Auguſtino adulari neſcio*. 548.

Peccata.

Peccatis hominum caſtigandis, Deus ſæpè Barbarorum moribus vtitur. 591. 596. *an rectè querantur Boni, ſe vnà cum Malis affligi?* 598.

Neminem in hâc vita peccati omnis expertem eſſe. 403.418.419.444. *quamquam id Donato ſuo tribuant Donatiſtæ*. 404. *V*. Donatiſtarum errores.

Vvvv Pela-

Pelagiani.

Pelagiani etiam dicti Celeſtiani. 305. *fraudulenti, ſimulatores, verſipelles.* 345. 447.450.483.484. *Catholicis ſatum affingunt.* 541.

Pelagij & Celeſtij errores Capitales. 508. 401. 403. 437. 450. *impietatis Pelagij exemplum.* 492.

Pelagianiſmus Chriſtianæ fidei fundamenta euertit. 457. 458. *ex eo genitus Neſtorianiſmus.* 632. *vtriuſque epitaphium.* ibidem.

Pelagianiſmum nondum natum ſtatim à Baptiſmo Auguſtinus oppugnat. 51. *eius libro de Duabus animabus ante exortum Pelagianiſmum ſcripto, Pelagiani ſe tueri conantur; ſed fruſtra.* 66.

Pelagiana hæreſis damnata in Synodo Dioſpolitanâ, quamuis eius ſeminator Pelagius fraudulenter exierit abſolutus. 447. *eadem damnata in Synodo Mileuitana & Carthaginenſi eodem tempore habitu, & mox ab Innocentio Papa.* 457.458.459. *item à Zozymo Papa.* 489. *ac deinde in Synodo Epheſinâ.* 632.

Pelagius.

Pelagius natione Britannus. 305. *profeſſione Monachus, ſed nullo Eccleſiaſtico Ordine inſignitus.* ibid. *è quo Monaſterio prodierit?* 306. *ingenium eius deprimit Hieronymus, Auguſtinus non contemnit.* 307. *Vitâ ac moribus diu ſpectatus: in ſpeciem tantùm bonus.* 307. 345. 403. 404. *eius lapſum deplorat Chryſoſtomus.* 343. Circumſpectus *cur Auguſtino dictus?* 404.

Pelagius aſtutus in diſſeminandâ clanculò hæreſi ſuâ. 343. *Romæ aliquot annis verſatur: inde ſcribit ad Paullinum Nolanum.* ibid. *ad Auguſtini Verba:* Da quod iubes,& iube quod vis, *ab Epiſcopo quodam relata, excandeſcit.* ibid. *Saluſtij hiſtorici naturæ vires extollentis ſententiam exaggerat.* 437.

Pelagius cum Celeſtio ſuo Româ in Africam venit. 402. *Scribit expoſitiones breuiſſimas Epiſtolarum D. Paulli.* 403. *Ex Africa pulſo Celeſtio, ipſe in Palæſtinam abit.* 402. *inde datis litteris adulatione plenis Auguſtinum ſibi conciliare ſtudet.* 405. *ſcribit & Demetriadi Epiſtolam multis hæreſibus refertam.* 427. *iubente, vt iactabat, matre Demetriadis Iuliana.* 428.

Pelagius in Palæſtina exiſtens accuſatur de hæreſi ab Herote & Lazaro: & ad Synodum Dioſpolitanam citatur. 441. *Synodo ſe ſiſtens, atque ad interrogata ſubdolè reſpondens, ab incautis Patribus abſoluitur.* 442.443. & ſequ. *profert in iudicio Auguſtini ad ſe litteras, iiſq; ſe venditat.* 445.405. *deinde abſolutionem ſuam quaquauerſum deprædicat.* 449. *chartulam defenſionis ſuæ ad Auguſtinum tranſmittit.* 450. *Scribit quatuor Libros de Libero arbitrio, hæreſis ac fraudium plenos.* 450. 451. *in Hieronymum atque eius monaſterium igne ac cædibus debacchatur.* 451.

Africani Patres per Herotis & Lazari litteras de ſucceſſu Synodi Dioſpolitanæ inſtructi

ſtructi, Mileui & Carthagine habitis Conciliis Pelagium damnant, deq; eius doctrina ac fraudibus Innocentium Papam inſtruunt. 457.458. *Auguſtino contra Pelagium ſcribēdi curam committunt.* 460. *Innocentius acceptis Africanorum Litteris, eorum zelum laudat, Pelagium ac Caleſtium damnat.* 458.459.

Pelagius vt apud Innocent. ſe purget, mittit ei cum litteris ſuis Fidei libellum: ſed Innocentio interea defuncto, traduntur Zozymo ſucceſſori. 484. *Litterarum fragmenta.* ibid. *Sicut Littera Pelagij, ita Fidei libellus erroribus artificioſè concinnatus infectu.* 186. *Celeſtius Romam abiens de Innocentij ſententiâ apud Zozymum conqueritur.* 481.482.

Zozymus Pelagij ac Celeſtij fraudibus circumuentus, ſcribit pro Celeſtio ad Africanos Epiſcopos, eosq; perſtringit. 483. *idem facit pro Pelagio, eiusq; Litteras & Libellum vnà tranſmittit.* 486. 487. *Africani indicto Carthagine* CCXIV. *Epiſcoporum Concilio Pelagium ac Celeſtium damnant, & vtriusq; fraudes Zozymo per litteras detegunt: qui & ipſe mox vtrumque condemnat.* 488. 489. 490. *ac primus Romæ anathema Pelagio dicit Sixtus Presbyter poſtmodum Papa.* 491.

Pelagius nouis fraudibus Pinianum & Albin*am circumuenit: quas detegit ac deſtruit* Auguſtinus. 494.

Pelagius ac Celeſtius eorumq; aſſecla, Honorij Legibus exagitantur, ac Prouinciis penè omnibus exiguntur. 493. *pugnat pro eis Iulianus, atque vt ad Occumenicum Concilium renocentur contra illos geſta. ſatagit.* 504.543. *idem tentat paullò pòſt Celeſtius apud Caleſtinum Papam: ſed à quo totâ Italiâ abeſſe iuſſus, vnà cum Pelagio in Britanniam diſcedit.* 544.

Petilianus.

Petilianus Donatiſtarum Cirtenſis Epiſcopus, idem cum Conſtantinienſi. 263. *cauſſidicus olim, Paracleti ſibi nomen aſſūpſerat.* ibid. *ſtylo diſertus.* 264. *calumniator ac vitilitigator.* 264. 265. 325. *vnus è ſeptemuiris diſputatoribus in Collat. Carthaginenſi.* 366. *in quâ ad rauim vſque declamat.* 386.

Petiliani ſcripta ab Auguſtino refutata. V. Indicem Auguſtin.

Perſecutio.

Perſecutiones Chriſtianorum ſub decem Imperatoribus. 275. *an tū impletæ nulla alia reſtet præter vndecimam* Antichriſti? ibidem.

Perſecutio Dioclet. & Maximiani; ac plures eorum per Africā Iudices. 139.140.

Perſecutio Donatiſtarum in Catholicos. V. Martyres. Circumcellion. *Perſecutio Donatiſtarum in ſocios Rogatiſtas.* 229. *in Maximianiſtas.* 244.246.

Perſecutionem ſe pati volunt Donatiſtæ, cùm iuſtis pœnis coercentur. 186. 378.379. *vt & Fauſtus Manichæus.* 132.

Perſecutionis tempore an miniſtris Eccleſiæ fugere permiſſum? 599.560. *an tyrannis vltrò ſe offerre?* 141.

Pinianus.

Pinianus vnà cum Melania & Albina in Africam fugiens, ab Alipio excipitur Tagaſte. 344. *eius munificentia in Eccleſiam Tagaſtenſem.* 345.

Hipponem veniens ad inuiſendum Auguſtinum, ibi tantumnon violenter à populo in presbyterum depoſcitur. 345. *binc ſiniſtrè quiddam de Auguſtino ſuſpicantibus Alipio & Albinâ, apud eos Auguſtinus ſollicitè ſe purgat.* ibid.

Pinianus & Albina Hieroſolymis ad Auguſtinum ſcribunt de Pelagij emendatione : quibus Auguſtinus Pelagij fraudes detegit, ac deſtruit. 494.

Platonici.

Platonis Libris proficit Auguſtinus ante conuerſionem ad Diuinorum intelligentiam : multaq́; in iis repetit conſentanea doctrinæ Chriſtianæ. 31. 33. *ea quomodo in vſum noſtrum vindicanda.* 59. 61. *De Platonicorum lectione Auguſtino gratulatur Simplicianus.* 34.

Poſſidius.

Poſſidius Auguſtino presbytero in Monaſterio Hipponenſi ſe aſſociat : ab eoque Litteris ſacris imbuitur. 57. *Epiſcopus deinde Calamenſis ſedit cum Criſpino Donatiſtarum ibidem Epiſcopo.* 266. *in Epiſcopatu vitam Monaſticam Auguſtini exemplo propagat.* 116.

Poſſidius Criſpinum ad publicam Collationem inuitat. 300. *Criſpini in Poſſidium violentia.* 301. *pro Criſpino publicâ diſputatione ſuperato, ac condemnato apud Proconſulem intercedit.* 302. *Poſſidij modeſtia.* ibid.

Poſſidius proficiſcitur ad Honorium Imper. contra Gentiles. 279. 285. *ad eundem Legatus ab Africanis Patribus cōtra Donatiſtas.* 355. *intereſt Concilio Carth.* 290. *Vnus ex ſeptem Epiſcopis in Collatione ad diſputandum delectis.* 366. *componit indiculum Scriptorum Auguſtini.* 567. *Bello Vandalico Hipponem confugit, atque Auguſtino morienti adeſt.* 625. 626. 627.

Prætextatus.

Prætextatus Aſſuritanus Epiſcopus Maximianiſta, damnatur à Primianiſtis. 343. *contra eos ſe defendit.* 247. *ab iiſdem recipitur.* 255. 257. 375.

Primianus & Primianiſtæ.

Primianus, quartus Donatiſtarum Carthagine Epiſcopus. 233. *accuſatur à Maximiano Diacono in Synodo Carthagin.* 234. *damnatur ibidem, niſi reſipiſceret.* 235. *damnatur rurſus Cebarſuſſi, & abſens atque inauditus deponitur, creato in eius locum Maximiano.* 238.

Primianus damnatus cogit Bagaienſem Synodum: in qua damnatur Maximianus nullo ſeruato iuris ordine. 241. 242. *Primianus*

mianus in fidem ſuã reſtituitur. 244. *omnem cum Catholicis Collationem dedignatur.* 355. *Vnus è ſeptemuiris diſputatoribus in Collatione Carthagin.* 366.

Primianiſtæ maior Donatiſtarum pars. 227. *Maximianiſtas hoſtiliter perſequuntur.* 244. 245. 247. *Mezentio crudeliores.* 246. *Maximianiſtas ad ſe redeuntes recipiunt abſq; vllâ Baptiſmi aut Ordinationis repetitione.* 255. *quo facto Donatiſtæ cauſſam ſuam peremerunt.* 255. 256. 259. 375.

Priſcillianiſtæ.

Priſcilliani dogmata Manichæis affinia, Hiſpaniam conturbant. 432. *ſuper iis conſultus ab Oroſio Auguſtinus, ſcribit contra Priſcillianiſtas.* ibid.

Priſcillianiſtarum myſteria turpiſſima. 536. *ad ea in lucem proferenda, viſum quibuſdam Catholicis ſe Priſcillianiſtas ſimulare: quod diſſuadet Auguſtinus.* ibid.

Proba.

Proba Faltonia, auia Demetriadis, nobiliſſ. ac doctiſſima femina. 123. *ad eam ſcripſit Auguſtinus De Orando Deum.* ibi. *Auguſtino Carthagine nota, qua occaſione & quando?* 429.

Proculianus.

Proculianus Donatiſtarum Hippone Epiſcopus, Auguſtini Epiſtolas recipere recuſat. 291. *cum Auguſtinus per alios moneri iubet de ſcelerum apud Proculiani ſubditos licentia & impunitate.* 291. 292. *iactat ſe paratum cum Auguſtino conferre: ſed acceptante Auguſtino, pedem ſtruit.* 291. *iterum iterumq; diſputationem ab Auguſtino oblatam defugit.* 303.

Profuturus.

Profuturus Auguſtini presbyteri in Hipponenſi monaſterio diſcipulus ac contubernalis. 73. 527. *litteras Auguſtini ad Hieronymum perfert.* 73. *poſtmodum Epiſcopus Cirtenſis, an Braccarenſis?* 73. 74.

Proſper.

Proſper Aquitanus Auguſtini olim diſcipulus. 527. *Auguſtinum per litteras docet de Semipelagianiſmo in Gallia exorto, atque ad eum oppugnandum hortatur.* 605. 608. *ſcribit de Libero arbitrio contra Ruffinum.* 608. *Auguſtini doctrinam contra obtrectatores ſtrenuè defendit.* 616. 617. 619. *Pelagianiſmo & Neſtorianiſmo in Synodo Epheſinâ damnatis epitaphium ponit.* 632.

Pſalmi & Pſalmodia.

Pſalmorum recitatione ante Baptiſm. delectatur ac mouetur Auguſtinus, præcipuè Pſalmo quarto. 41. *Componit Pſalterium in gratiam Matris.* ibid. *Pſalmorum pœnitentialium meditatione ad mortem ſe parat.* 626. *Pſalmus*, Miſericordiam & iudicium, *in funere*

re Monica decantatus. 52.

Pſalmorum cantus in Eccleſia Occidentali quando cœperit? 3. *de illo Auguſtini iudicium.* 81.

Pſalmorum Enarrationes non continuo opere Auguſtinus compoſuit. 395.

Q.

Quodvult-Deus.

QVodvult-Deus *Auguſtini diſcipulus & contubernalis, Diaconus Carthaginenſis, rogat Auguſtinum vt de Hareſibus aliquid conſcribere velit.* 613. *eius nomine excitatur Auguſtinus ad faciendum quod poſcebat.* 621.

R.

Renatus.

REnatus *Cæſarienſis monachiſmum ab Auguſtino in Africa inſtitutum amplexus.* 115. *mittit Auguſtino libros Vincentij Victoris.* ibid. *ad eum ſcribit Auguſtinus librum primum de Anima origine contra Vincentium.* 525.

Rogatiſtæ.

Rogatus Donatiſta, Schiſmatis Rogatiſtarum auctor. 227. *eius ingenium.* 228.

Rogatiſta exigui numero. 227. *ceteris Donatiſtis mitiores videri volunt.* 228. *etiã meliores.* ib. *an iidem cum Calicolis?* 342.

Rogatiſtas alij Donatiſta per Firmum tyrannum perſequuntur. 229.

Rogatus Aſſuritan.

Rogatus Aſſuritanus Epiſc. Maximianiſta: ad Catholicos conuerſus linguâ ac manu truncatur à Circumcellionibus. 248.

Romanianus.

Romanianus municeps Tagaſtenſis, pater Licentij, Auguſtini ſtudiorum mæcenas. 9. 12. 17. 19. *nobilis & opulentus.* 41. *ſectâ primùm Manichaus: ſed operâ poſt Auguſtini Catholicus, ac Paullino Nolano amicitiâ iunctus.* 41. 479. *Mediolani deliberat cum Auguſtino de Vita communi & otio Philoſophandi.* 28. *Romaniano Auguſtinus dedicat libros Contra Academicos.* 40. *item librum De Vera religione.* 41. 55.

Ruffinus.

Ruffinus Celeſtiani dogmatis delineator. 402. *vbi & quando obierit?* ibid.

Ruſticus.

Ruſticus, Auguſtini conſobrinus. 6. *ſecedit cum illo in villam Caſſiſiacum.* 40.

S.

Sacrificium.

SAcrificium *Miſſa eiuſq; materia.* 510. *propitiatorium non viuis ſolùm, ſed & defunctis.* 510. 511. *Altare etiam* Menſa *olim dictum.* 512.

Sacrum.

Sacrum.

Sacrum *olim dictum, quidquid erat Principis.* 363. Sacræ *id eſt Litteræ vel edicta Imperatorum.* ibid.

Saluius Membreſitan.

Saluius Membreſitanus Epiſcopus Maximianiſta damnatur à Primiano in Conciliabulo Bagaienſi. 343. *ſuffecto ei Reſtituto.* 245. *miſerabili pompa ludibrio habitus.* 246.

Schiſma.

Schiſma Donatiſtarum ex tribus perſonis totidemq; cauſſis originem habuit. 148. *eius incrementum. & mox inclinatio, ac tandem ruina.* V. Donatiſmus.

Ob ſententiæ diuerſitatem non ſtatim Schiſma fecit Cyprianus. 268. 376.

Schiſmata Donatiſtarum inter ſe. 217. *Rogatiſtarum.* ibid. *Maximianiſtarum.* 233. & ſequ.

Scriptura Sacra.

Scripturas Sacras iuuenis faſtidit Auguſtinus ob ſtyli ſimplicitatem. 14. *ſed poſtea vidit eò digniùs fidem illis adhiberi, quo loquuntur ſimpliciùs.* 27. *plures rationes, quibus vt eis crederet inductus fuit.* 26. 27. *dolet ſerò ſe ad earum ſtudium accepiſſe.* 58. *earũ profunditatem ac Sapientiæ altitudinem admiratur.* ibid. *quantâ reuerentiâ & quaſi horrore ad eas acceſſerit.* 87. *orat nec falli in eis, nec fallere ex eis.* ibid. V. Fides.

In Scripturis SS. quædam propoſita, vt tantùm ſcirentur; quædam, vt obſeruarentur: hinc Speculum ab Auguſtino *compoſitum.* 565. 566. *quid inter Litteras Sacras & profanas interſit.* 110. *regulas ſeptem ad intell. Sacram Script. compoſuit Tichonius Donatiſta, quas ex toto non contemnit* Auguſtinus. 223. 224. *Sacri codices iuſſi comburi perſecutione Diocles.* 139. 141.

Secundinus.

Secundinus Manichæus Auguſtinum appellat, Deum eloquentiæ. Exhortans eumdem ne Manichæos inſectetur, ſcribit vnâ contra fidem Catholicam: quem Auguſtinus refutat. 133.

Secundus.

Secundus Tigiſitanus Epiſc. Numidiæ Primas, à Traditionis crimine haud innoxius: conſtantiam tamen ſuam tempore perſecutionis magnificè prædicat. 141. 142. *cogit Synodum Cirtenſem.* 143. 144. *& Epiſcopos Traditionis reos in conſeſſum recipit.* 145. 383. *Cogit Synodum Carthaginenſem contra Cæcilianum, eumq; damnat.* 148. 150. *hinc natum Donatiſtarum Schiſma.* ibid.

Semi-

Semipelagiani.

Semipelagianiſmi ortus, eiuſq; auctores. 603. *Semipelagiani vnde dicti?* 604. *eorum dogmata fusè ad Auguſtinum perſcribunt ex Gallia Proſper & Hilarius.* 605. 608. *quæ refutat Auguſtinus Libris de Prædeſtin. Sanctorum, & Dono perſeuerantiæ.* 608. 610.

Semipelagianis præluſit Ticbonius *Donatiſta.* 224. Auguſtinus *ante Epiſcopatum adhæſit dogmati, quod poſtea Semipelagiani amplexi ſunt.* 71. *quem errorem Epiſcopus agnoſcit humillimè, ac pluribus locis retractat.* 72. 126. 552. 609. *Semipelagianiſmum nondum natum iugulat.* 518. 519.

Seuerus.

Seuerus ex Auguſtini contubernio Epiſcopus Mileuitanus monaſticam vitam in Eccleſia ſuâ propagat. 116. *Auguſtino inprimis charus virtutis & doctrinæ cauſſâ.* ibid. *eo mortuo* Auguſtinus *proficiſcitur Mileuim, dátque ei ſucceſſorem quem viuus deſignauerat.* 559. 560.

Simplicianus.

Eius laudes. 34. *eum de vitæ ſtatu ante conuerſionem conſulit* Auguſtinus.ibid. *excitat Auguſtinum ad Chriſti humilitatem amplexandã exemplo Victorini Rhetoris.* 34. 35. *Ambroſij in Epiſcopatu ſucceſſor, Auguſtinum conſulit ſuper variis Scripturæ locis.* 125. *quanti eum Auguſtinus fecerit.* 126.

Syluanus.

Syluanus fit Epiſcopus Cirtenſis, in Cirtenſi Traditorum Concilio. 145. *adhæret Schiſmati contra Cæcilianum.* 151. *à Nundinario Diacono reus Traditionis, Schiſmatis & Simoniæ peragitur.* 192. 193. 194. *in hæreſi & Schiſmate perſiſtens agitur in exilium.* 195.

Symmachus.

Symmachus Præfectus *Vrbis, Auguſtinum Româ Mediolanum mittit ad docendam Rhetoricam.* 24. *Deorum cultũ poſtliminio reuocare ſtudet.* 436.

Sixtus.

Sixtus Presbyter *Roman. (poſtmodum* Pontifex*)* Pelagianiſmi *ſub Zozymo damnationem publicat Romæ.* 491. *falſo creditus fauere* Pelagianis: *quam notam diluens Litteris ad Aurelium Carthagin. tum aliis ſcriptis, ingenti gaudio Africanos perfudit.* ibid. *ei reſpondit Auguſtinus, atque Epiſtolæ argumentum.* ibid. *ex hac Epiſtolâ malè intellectâ Adrumetini in errorem labuntur.* 551.

S. Stephanus.

S. Stephani Reliquias ex Palæſtinâ *in Africam defert Oroſius.* 456. *Auguſtinus eas honorat Hippone, & ad alias Eccleſias*

cleſias mittit. 468. *miracula Vſali, Calama, Hippone & alibi patrata.* 469. & ſequ. *ea deſcribunt Auguſtinus & Euodius.* 456.

T.

Theaſius.

Theaſius Epiſc. Legatus ex Concilio Africano ad Honorium contra Donatiſtas. 310. *à Donatiſtis caſus.* 341.

Theodoſius Imp.

Theodoſij ſenioris pietas in Eccleſiâ Catholicâ contra eius hoſtes defendenda. 355. *eiuſdem Lex Auraria decem Librarum in Hæreticos.* 232. 314.

Tichonius.

Tichonius primus è Donatiſtis ſectæ ſuæ ac Schiſmatis fundamenta conuellit. 222. *ianuam aperuit pluribus inter Donatiſtas Schiſmatibus.* 223. *Eccleſiam toto Orbe diffundi debere animaduertit.* 222. *quare admonetur litteris à Parmeniano: quas Auguſtinus refutat.* 225.

Tichonius Semipelagianiſmo præluſit. 224. *Scribit Librum Regularum ad intelligendum Scripturas SS. quas examinat Auguſtinus, atque ex parte laudat.* 223.224.

Timaſius.

Timaſius & Iacobus religioſi adoleſcentes à Pelagio ſeducti, Auguſtini prædicatione reſipiſcunt. 437. *Librum eius Auguſtino offerunt vt illi reſpondeat.* 437. *eum refellit Auguſtinus Libro De Natura & Gratia.* ibid.

Timaſius & Iacobus de Libro contra Pelagium ad ſe tranſmiſſo gratias agunt. 438. 439.

Traditio & Traditores.

Perſecutione Dioclet. & Maximiani iuſſum vt Sacri Codices igni abſumerentur. 139. *qui eos Ethnicis tradebant, inde* Traditores *dicti.* 141. *Epiſcopi in Concilio Cirtenſi Traditionis accuſati ſibi inuicem ignoſcunt.* 144.145. *Canon Concilij Arelatenſis contra Traditionis conuictos.* 177. V. Donatiſtæ.

Tractoriæ.

Tractoria quid? 176. *eas Conſtantinus dat Epiſcopis vocatis ad Concilium.* 175. 176.

Tribunus.

Tribuni-Notarij qui? 429. *Marcellinus Tribunus Notarius in Africâ.* 356. *item Dulcitius.* 428.

Tribulatio.

Tribulatio cur etiam bonis obueniat? 352.598. *prouidentia Diuinæ aſcribenda.* 354. *multum intereſt, non qualia*

ſed qualis quiſq; patiatur. ibid. *in Tribulatione beneficentia in pauperes commendata.* 352. 599. V. Perſecutio.

Trigetius.

Trigetius Tagaſtenſis, Auguſtini diſcipulus ſummo loco natus. 9. *ſecedit cum illo in villam Caſſiſiacum.* 40.

Turbantius.

Turbantius Epiſcop. Pelagianus; cui Iulianus dedicauit quatuor libros contra primum Auguſtini de Nupt. & Concupiſc. 504. *poſt ab eo errore conuerſus.* ibid.

V.

Valentinus.

Valentinus Abbas Adrumetenſis, ſignificat Auguſtino per Litteras eius Libro curatos eſſe quoſdam è ſuis ab errore in quem imprudentes inciderant. 554. V. Adrumetini.

Valerius Comes.

Valerium Africæ Comitem Pelagiani ab Auguſtino & Catholicis auertere conantur. 500. *eorum litteras Valerius mittit ad Auguſtinum: qui pro ſua ac Catholicorum defenſione reſpondet, Libro de Nupt. & concupiſc. ad Valerium miſſo.* 501. *Valerius Auguſtino gratias agit: & nouum ad ſe Pelagianorum ſcriptum Romam mittit Alipio, Auguſtino tranſmittendum.* 506.

Valerius Epiſcopus.

Valerius Epiſcopus Hipponenſis. Auguſtinum à populo arreptum ac ſibi præſentatum Presbyterum creat. 55. 5. *eidem in Monaſtica vita perſiſtere cupienti hortum ſuum donat vbi Monaſterium ædificet.* ibid. *Græcus natione, & minùs Latinis litteris inſtructus.* 62. *primus in Africa Presbytero poteſtatem facit in Eccleſia prædicandi.* 62. *Timens ne Auguſtinus ſibi ab aliis Eccleſiis præripeletur, impetrat vt ſe viuo eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus ordinetur.* 76. *contra Nicænos vtique Canones, quos tam ille quàm Auguſtinus tum ignorabant* 77. 561. *quot annis Auguſtinus cum Valerio ſederit?* 562.

Vandali.

Vandalos Bonifacius Comes ex Hiſpania in Africam euocat. 576. *tranſeunt in Africam duce Genſerico: eorum numerus.* ibid. *illis vtitur Deus ad caſtiganda Hiſpaniæ & Africæ peccata.* 591. *Bonifacius Vandalos, quos priùs euocauerat, bello aggreditur: atque ab iis victus Hipponem fugit.* 602. *Vandali Africam deuaſtant.* 576. 623. *ex innumerabilibus Eccleſiis vix tres ſuperſtites relinquunt.* 644. *Hipponem obſident.* 625. *tertio obſidionis menſe in morbum incidit Auguſtinus, &c.* 726. *Vandalorum mores.* 602. 603. *impietatis ſuæ pœnas tãdem perſoluunt.* 602.

Vere-

Verecundus.

Verecundus Grammaticus Mediolanenſis, Auguſtino familiaris. 8. *Concedit Auguſtino rus ſuum Caſſiſiacum.* 40.

Victorinus.

Victorinus Rhetor Romæ diu docuit: ſtatuâ in foro Traiani ibidem donatus. 35. *Libros aliquos Platonicos Latinè vertit.* 31. *iam ſenex Chriſtianiſmum amplectitur.* 35. *ſcripſit contra Manichæos.* 62. 70.

Vincentius.

Vincentius Cartennenſis Epiſcop. Rogati in Schiſmate ſucceſſor. 227. *expoſtulat cum Auguſtino ſuper Legibus pœnalibus contra Donatiſtas.* 231. *Eccleſiam* Catholicam *dici vnde velit?* 230.

Vincentius Victor.

Vincentius Victor itidem Rogatiſta, quamuis ad Catholicos reuerſus, aliquid prioris erga illos affectûs retinuit. 231. *deluſus falſis viſionibus.* ibid. *eius ridicula figmenta circà Animæ naturam.* 326. 411. *ſibi inſultantem quâ lenitate ac manſuetudine tractârit Auguſtinus?* 411. 525.

Vitalis.

Vitalem Carthaginenſem Auguſtinus à Pelagianiſmo liberare nititur. 527. *eius dogmata.* ibid. *epiſtolâ ad Vitalem Auguſtinus Semipelagianiſmum iugulat.* 573.

Voluſianus.

Voluſianus Auunculus S. Melaniæ, Marcellino Tribuno Carthagine familiaris; Philoſophiæ Paganicæ addictus. 406. *Auguſtino commendatur per Marcellinum, inſtante matre.* ibid. *Auguſtini operâ redditur Chriſtianus.* ibid. *Præfectus Vrbis ſub Honorio Imperat.* 525.

Z.

Zozymus Papa.

Zozymus accipit Pelagij Litteras cum Formula fidei ad præceſſorem ſuum Innocentium miſſas. 480. *à Pelagio ac Celeſtio circumuentus ſcribit ad Africanos Patres.* 483. 487. *à quibus mox de vtriuſque fraudibus edoctus, Pelagianos damnat.* 490. *V.* Celeſtius. Pelagius. *&* Indicem Auguſtinianum.

FINIS.

ERRATA.

PAg. 14. lin. 28. ferebantur. lege flebantur. p. 19. lin. 19. dele reſpondit. p. 26. l. 23. nam. l cùm. p. 73. l. 17. communita. l. comminuta. p. 98. l. 24. iuſtum. l. iſtum. p. 116. l. vlt. Auguſtinus. l. Auguſtino. p. 119. l. 14. fructibus. l. fluctibus. p. 136. lin. 6. fames. l. ſanies. p. 140. l. 24. Damaſc. l. Damas. p. 170. lin. 1. litigantibus. l. iudicantibus. p. 174. l. 28. ab. l ob. p. 177. l. 5. illicò. l. illicà. p. eâd. l. 23. Sacerdos. l. Sacerdotes. p. 225. lin. 20 proponentes. l. proponens. p. 238. l. 7. & 26. Olepzantariæ. l. Elephantariæ. p. 253. l. 17. prelatum. l. perlatum. p. 289. l. 5. habitâque Synodo. l. habitaque Synodus. pag. 307. lin. 21. celeberrima. leg. celerrima. pag. 389. l. 14. ſecundi. leg. quinti. pag. 405. lin. 18. explorare. l. exhilarare. pag. 413. lin. vlt. debitum. lin. deditum. p. 451. l. 20. 140. l. 400. p. 451. l. 12. cum eo. l. cuneo. p. 454. l. 21. vllâ. l. illâ. p. 485. l. 25. quæ. l. qui. p. 568. l. 33. viſa. l. niſa. p. 576. l. 12. dele: excidium. p. 585. l. 27. Retractionum. l. Retractationum. p. 618. l. 18. Florentium. l. Florentinum.

Cetera condonabit ac per ſe corriget benignus lector.

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA
1974